BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM,
BENITIÆ.
No.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ

QUAS AD USUM SCHOLARUM

AUCTORE AC MAGISTRO

DIVO THOMA AQUINATE

COMPOSUIT

FRATER THOMAS MARIA CERBONI

QUONDAM PROCURATOR GENERALIS

ORDINIS PRÆDICATORUM.

TOMUS TERTIUS

DE AUGUSTISSIMO MYSTERIO SANCTISSIMÆ TRINITATIS:
DE CREATIONE : DE ANGELIS : DE PRIMO HOMINE:
Et variis statibus naturæ humanæ.

Editio prima Hispana.

VALENTIÆ:
IN TYPOGRAPHIA ILDEPHONSI MOMPIÉ, VIA S. FERDINANDI.
ANNO 1824.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

DISPUTAT. V.

DE AUGUSTISSIMO MYSTERIO SACROSANCTÆ TRINITATIS.

Tres sunt præcipuæ hæreses, quæ huic divinissimo Mysterio adversantur, videlicet Sabellii, Arii, et Macedonii. Sabellius distinctionem personarum, earumdem consubstantialitatem Arius, Spiritus Sancti divinitatem Macedonius impugnavit. Sabellii errorem, cui ob celebritatem famæ nomen ipse dedit, alii quoque ante ipsum tenuerunt, posteaque sunt sequuti, quos inter præcipue Sociniani (a). Est autem hujusmodi gravissimus error in eo positus, ut una tantum persona sit in Deo, quæ tamen propter diversa munera dicatur Pater, Filius, et Spiritus Sanctus: Pater quidem quatenus est ingenita, et principium creationis, Filius, quatenus incarnata, Spiritus Sanctus, quatenus sanctificat animas. In hanc autem rem exemplo solis utebantur, qui in se unus illuminandi, calefaciendi, et alia producendi virtutem simul habet. Vocati sunt autem Sabelliani tum Monarchii ob unitatem personæ, quam admittebant in divinis, tum Patripassiani, quia, secundum errorem illorum, Patrem, unam personam in divinis, passum esse, consequitur, non vero Filium, quem habebant uti quamdam virtutem ejusdem personæ. Errorem Sabellianorum primo loco refutabimus. Quoniam vero duo sunt fundamenta distinctionis personarum, videlicet processiones, et relationes; ideo enim personæ a se invicem distinguuntur, quia ad se invicem referuntur, indeque ad se invicem referuntur, quia una procedit ab alia, ideo methodum Angelici sequentes in 1. lib. agemus de divinis Processionibus, in 2. de divinis Relationibus; in 3. de existentia, et numero, in 4. de Mysterio SS. Trinitatis habita ratione cognitionis naturalis: in 5. de eodem Mysterio juxta Verbum divinum tam scriptum, quam traditum: in 6. de prima persona SS. Trinitatis distincte, atque singulariter: in 7. de secunda persona SS. Trinitatis distincte, atque singulariter: in 8. de tertia persona SS. Trinitatis item distincte, atque singulariter.

LIBER PRIMUS.

De divinis processionibus.

Hanc totam doctrinam de divinis processionibus in quinque capitibus, explicabimus: in 1. de notione, et natura illarum disse-

(a) Vid. Gazaniga Dissert. 1. *De Trinit.*

2247

remus, in 2. de principiis, in 3. de existentia, et numero, in 4. de discrimine, quod intercedit inter processionem Filii, et Spiritus Sancti, in 5. de proprietatibus divinarum processionum.

CAPUT PRIMUM.

De notione, et natura processionum divinarum.

Procedimus sane, quando ab uno in alterum locum migramus: tamen hoc verbum *procedere* translatum est ad significandam productionem rei unius ex altera, indeque processio dicitur origo unius ex altero, et in divinis est origo unius personæ ab altera, vel a duabus. Duplex processio distinguitur; transiens videlicet, sive ad extra, et immanens, sive ad intra. In transeunte terminus extra suum principium exit, uti calor ab igne prodiens, filius a Patre, humanæ generationis habita ratione: in immanente terminus manet intra suum principium, et talis est productio verbi per mentem: verbum enim a mente productum in ipsa manet. Hæc autem processio dividitur in physicam, seu imperfectam, et in metaphysicam, seu perfectam: in priori; terminus productionis a suo principio pendet, atque secundum naturam differt ab illo, utpote quid distinctum: ita quando homo cogitat, verbum ab illius mente procedit, intra illam manet, tamen ab eadem pendet, atque distinguitur: in metaphysica, seu perfecta, quod procedit, neque pendet, neque secundum naturam a procedente differt: hac vero ratione Verbum Divinum procedit a Patre. Esse in Deo processionem ad extra, nullus negat, semel ac, Deum rerum omnium esse productorem, fateatur. De processione ergo ad intra, et quidem metaphysica, atque perfecta nunc agimus. Hæc autem est, quam, sicuti advertit Angelicus 1. p. quæst. 27. art. 1., negavit Arius, atque Sabellius. Nam Arius processionem admisit in divinis, quatenus effectus a causa procedit, indeque effutiit, Filium procedere a Patre, uti quid primum, atque præstantissimum creatum ab illo, et Spiritum Sanctum a Patre, et Filio, uti quid creatum ab iisdem. Sabellius autem in eo sensu processionem recepit, quatenus causa in suum effectum dicitur procedere, quando ipsum movet, vel in eo suam similitudinem imprimit. Quapropter tum Arius, tum Sabellius processionem transeuntem, et ad extra solummodo admiserunt, non vero immanentem, et ad intra.

Hæc vox *proboli*, quæ processionem significat, etiam nonnullis Patribus, uti Irenæo lib. 2. *Cont. Hæres.* cap. 48., Didymo lib. 2. *De Sp. Sancto*, et Cyrillo Alex. in Homil. Paschali 12. (a), olim displicuit, verum inde displicuit, quia ea Valentinus

(a) Vid. Petavius *De Trinit.* lib. 7. cap. 10. num. 6.

usus fuerat ad significandam propagationem, quæ fit a pluribus, accepta quadam parte a singulis, et simul in unum collecta. Valentinus quippe admittebat, seu, ut verius dicam, somniabat quoddam pleroma, seu plenitudinem divinitatis conflatam ex triginta Aeonibus (a). Quare vox *proboli* apud Valentinianos corpoream quamdam procreationem cum divisione substantiæ significabat. Ne ergo Fideles irretirentur erroribus Valentinianorum, nonnulli orthodoxi scriptores eamdem vocem reprobarunt, quam tamen alii retinendam a se esse censuerunt secundum Catholicam acceptionem.

Hæc monenda censuimus, ut, inter scriptores orthodoxos nullam controversiam esse, constaret, de ipsa processione, quæ admittitur in divinis.

CAPUT SECUNDUM.

De principiis processionum divinarum.

Ad explicationem hujus rei cum Philosophis duo principia distingui debent, videlicet principium *quod*, cui actio ipsa tribuitur, et est ipsum suppositum, indeque dici consuevit: *actiones sunt suppositorum*, et principium *quo*, scilicet forma, qua suppositum agit. Rursus hoc principium *quo* in proximum, et remotum dividitur: natura, a qua omnis motus profluit, est principium remotum; facultas, seu potentia, ad quam spectat agere, est principium proximum: ita homo dum intelligit, est ipse principium *quod* intellectionis, et suppositum, quod agit: principium *quo* remotum est ipsius natura intelligens, principium autem *quo* proximum est mens, seu intellectus.

Deus quum sit ens simplicissimum, in eo sunt quid unum natura, intellectus, voluntas, et utriusque actiones, sicut etiam relationes, quæ a se invicem, quatenus sibi invicem oppositæ, distinguuntur, sicut ostendimus, dum de attributis divinis ageremus: attamen Theologi ad faciliorem explicationem tanti Mysterii illa consuevere mente secernere, atque varia principia divinarum processionum distinxerunt. Principium igitur *quod* esse ipsam personam, naturam autem principium *quo* remotum divinarum processionum, omnes Theologi consentiunt. Circa principium *quo* proximum tota quæstio versatur, et 1. utrum scilicet sit intellectus, et voluntas, an immediate per se divina essentia: 2. semel ac ponatur, intellectum, et voluntatem esse immediatum principium, atque proximum, quæritur, per quos actus intellectus, et voluntatis personæ procedant, videlicet utrum per illos, qui appellantur essentiales, et sunt communes tribus Personis divinis, an ve-

(a) Vid. Tertullianus *Cont. Praxeam* cap. 8.

ro per actus, qui dicuntur notionales, et sunt proprii Personarum, sicuti v. g. est proprium Patris intelligendo producere Verbum.

Principium *quo* proximum divinarum processionum esse divinam naturam, quatenus est fœcunda, et infinita lib. 1. *Sent.* dist. 6. quæst. 2. Durandus contendit: alii autem rationem hujusmodi principii tribuunt relationibus originis, quales sunt Paternitas, Filiatio, et Spiratio activa. Hæc vero sententia S. Bonaventuræ, nonnullisque aliis tribuitur. Demum censent plures, intellectum, et voluntatem esse principia proxima processionum divinarum, earumdemque actiones productivas esse intellectionem, et volitionem.

Tamen quum facultas generandi, atque generatio conveniat Patri, spiratio autem tum Patris, tum Filii proprium sit, aliundeque in tribus divinis Personis unus sit intellectus, una intellectio, una voluntas, unaque volitio; ideo cum Theologis tertiæ opinionis duplicem intellectionem, atque volitionem distinguimus, essentialem unam, quæ tribus Personis divinis æque convenit, notionalem alteram, quæ Personis producentibus singulariter convenit. Eæ autem, sicut actus inter se diversi, non distinguuntur: nam notionalis est ipsamet essentialis, et præterea complectitur quidpiam aliud, videlicet relationem, proindeque generatio est ipsa intellectio divina, quatenus habet adjunctam Paternitatem.

Prop. I. Essentia divina, quatenus ab ea mente nostra sejungimus operationes intellectus, atque voluntatis, non est principium *quo* proximum, et immediatum divinarum processionum.

Prob. prop. „ In principio erat Verbum, et Verbum erat apud „ Deum... Verbum caro factum est:" sicuti *Joan.* cap. 1. v. 1. et 14. legitur. Profecto verbum proxime proficiscitur ab intellectu, quum sit terminus cognitionis paternæ. Hac de causa Tertullianus in lib. *Cont. Praxeam* cap. 5. Filium appellat *Dei rationem, quod cogitando Pater illum producat.* S. Basilius Homil. in illud: *In principio erat Verbum* num. 3. inquit: *Cur Verbum? ut perspicuum sit processisse ex mente.* S. Greg. Nazian. Orat. 36.: *Verbum porro dicitur*, inquit, *quia ita se habet ad Patrem, ut sermo ad mentem.* S. Augustinus lib. 15. *De Trinit.* num. 22. loquens de Verbo: *Tale est autem*, ait, *ac si diceretur de Patris scientia, de Patris sapientia, vel quod est expressius, de Patre scientia, de Patre sapientia.* Legatur etiam S. Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 7.

Quod autem affirmant Patres de Verbo procedente per intellectum, idem quoque dicunt de Spiritu Sancto procedente per voluntatem, quem vocant *amorem, dilectionem, et caritatem mutuam Patris, et Filii.* Amor autem, et caritas referuntur ad voluntatem.

Prob. ratione Theologica. Essentia per se immediate non operatur, sed per suas facultates, estque commune effatum in scholis vulgo receptum : *Essentia non producit, neque producitur:* ergo essentia divina non potest esse principium proximum *quo* divinarum processionum. Unde adverti debet cum Angelico in 1. *Sent.* dist. 5. quæst. 1. art. 1. quod „ In divinis quæcumque „ prædicantur de supposito, non secundum modum, quo differt „ ab essentia, prædicantur etiam de essentia: dicimus enim, quod „ essentia creat, et gubernat, et hujusmodi. Sed actus, qui di„ citur de supposito secundum modum, secundum quem differt „ ab essentia, non potest de essentia prædicari; et hujusmodi est „ actus generandi, qui prædicatur de supposito Patris secundum „ quod distinctum est a supposito Filii. Unde non est concedendum, quod essentia generat, sed quod Pater generet virtute „ essentiæ, vel naturæ."

Dices. In Deo esse, nosse, sapere, et velle est unum, et idem, sicuti Ecclesiæ Patres tradiderunt : „ Universorum Deus „ (inquit S. Irenæus lib. 1. *Cont. Hær.* cap. 12. num. 2.) simul ut cogitavit, perficit id, quod cogitavit, et simul ac voluit, cogitat id, quod voluit : tunc cogitans, quum vult, et „ tunc volens, quum cogitat." S. Augustinus lib. 7. *De Trinit.* num. 2. „ Et quia (inquit) in illa simplicitate non est aliud sapere, quam esse, eadem ibi sapientia est, quæ essentia." Simili ratione alii Patres exprimunt maximam simplicitatem Dei.

Item Filium esse ab essentia Patris contra Arianos, Doctores Catholici docuerunt. S. Hilarius lib. *De Synodis* num. 73. ait: „ Qui ex substantia Dei natus est, etiam ex consilio, ex voluntate „ ejus nascitur." S. Augustinus lib. *De Trinit.* num. 37. „ Filius caritatis ejus nullus est alius, quam qui de substantia ejus „ est genitus." Quod Hilarius, et Augustinus, etiam alii Patres hac de re tradiderunt. Ex his autem constat, divinam essentiam per se esse principium proximum *quo* divinarum processionum.

R. ad 1., de divina undequaque perfectissima simplicitate neminem dubitare posse. S. Irenæus ad hanc scholasticam quæstionem, de qua modo agimus, nullo modo respexit: illud ergo urgere contra Valentinianos sibi proposuit, Deum simul cogitare, et perficere, simul velle, et cogitare quod vult, contra ac ipsi de suo Bythone somniabant, fingentes, eum primo concepisse mente, postea voluisse, quod mente conceperat, atque ex hisce duabus affectionibus, *Cogitatione, et Voluntate,* quodammodo inter se unitis, *Monogenis, et Veritatis ortus ex conjugio extitisse.*

Ad S. Augustinum respondeo, eum hoc in loco explicandam sibi proponere quæstionem, quam supra explicare distulerat, videlicet, Deum Patrem, qui genuit Filium, Virtutem, et Sapientiam, non solum esse Patrem virtutis, atque sapientiæ, sed etiam

ipsam virtutem, et sapientiam: similiter et Spiritum Sanctum. Inde autem non consequi animadvertit, tres esse virtutes, aut sapientias, sed unam virtutem, et unam sapientiam, sicut unum Deum, et unam essentiam. Id autem non obstat, quominus divina essentia uti principium proximum *quo* divinarum processionum non habeatur.

Ad alterum respondeo, Ecclesiæ Doctores in confutationem erroris Arianorum recte, appositeque dixisse, Filium esse de essentia Patris; nam Filium non esse de substantia Dei, sed a voluntate, arbitrio, atque libertate illius, et ad modum aliorum quæ antea non existebant, creatum fuisse, adeoque esse Dei Filium non ex natura, sed ex gratia, atque adoptione, Ariani contendebant. Patres autem scripturarum divinarum fulti auctoritate contra reponebant, non voluntate, atque libertate Filium esse genitum a Patre, sed ex natura, atque substantia illius.

Nonnulli quidem Patres, Filium esse de voluntate Patris, aliquando dixerunt: sed *nomen* voluntatis *non secundum relativum* acceperunt, sed *secundum essentiam*, hoc est, quatenus voluntas in Deo non distinguitur ab ejus essentia, sed est unum cum illa, quemadmodum Patres XV. Concilii Toletani sese explicant (a).

Affirmarunt quoque Patres, Filium procedere a substantia Patris, videlicet, *totum de toto esse*, *plenum de pleno*: verum id affirmarunt ad confutationem Arianorum, qui effutiebant, Filium esse partem, atque portionem Patris, quamvis non adinstar corporum. Unde Doctores Ecclesiæ summam Dei simplicitatem contra illos urgebant, et ex ea simul colligebant, vel totam, quanta est, divinam naturam Filio communicatam fuisse, vel nullatenus communicatam, quum sit illa indivisibilis. Inde autem consequebatur, Filium esse *totum de toto*, *et plenum de pleno*.

Prop. II. Principia *quo* proxima divinarum processionum sunt quoad processionem Verbi intellectus, non essentialis, sed notionalis, seu ut Patris; quoad processionem autem Spiritus Sancti voluntas non essentialis, sed notionalis, seu, ut Patris, et Filii, ita ut intellectus, et voluntas sint principium immediatum, relationes autem, scilicet Paternitas, atque Filiatio sint modificationes ejusdem principii, seu conditiones necessario requisitæ.

Prob. prior pars prop. Nam Joannes in Evangelio 1. 1., in epist. 1. 5. 7., et Apocal. 19. 13. Filium vocat *Verbum Dei*: Verbum autem a mente procedit: igitur intellectus est principium proximum processionis Verbi. Hinc etiam a Patribus traditum accepimus, Filium dici Verbum, quia ex mente processit. Qua de re præter alios legatur Tertullianus *Cont. Praxeam* cap. 5., Basilius Homil. 6. in illud: *In principio erat Verbum* num. 2., Gregorius Nazianzenus Orat. 36., Augustinus lib. 15. *De Tri-*

(a) Tom. 3. Concil. edit. Harduini col. 1761.

nit. num. 22., Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 7.

Quod autem spectat ad Spiritum Sanctum, ex voluntate eum procedere, Patres item tradiderunt. Satis est, ut hac de re legatur Augustinus lib. 15. *De Trinit.* num. 27. et seqq., in quibus advertit, ideo Spiritum Sanctum appellari *amorem*, *dilectionem*, *caritatem*, non vero Filium, quia voluntas non exprimit imaginem sui.

Quemadmodum autem in præcedenti cap. animadvertimus, divinæ processiones sunt productiones ad intra: igitur ab iis facultatibus proxime proficisci debent, quæ operantur ad intra: hujusmodi autem facultates sunt in Deo intellectus, atque voluntas: principia ergo *quo* proxima divinarum processionum sunt intellectus, atque voluntas.

Prob. altera pars, videlicet, intellectum, et voluntatem non esse principia absolute, atque secundum se, sed prout modificantur relationibus Paternitatis, et Spirationis activæ. Si proxima potentia generandi Filium, et spirandi Spiritum Sanctum sisteret in intellectu, et voluntate absolute, atque secundum se, prout sunt communia tribus Personis divinis, inde consequeretur, ut potentia generandi, sicut et spirandi esset æqualiter in iisdem: nam in ipsis æque foret principium illud, a quo generatio, et spiratio proficisceretur. Id autem repugnat quam maxime, quia tunc longe plures, quam revera sint, divinæ Personæ esse deberent. Intellectus igitur, atque voluntas non sunt absolute, atque secundum se, principia divinarum processionum, sed quatenus modificantur relationibus Paternitatis, et Spirationis activæ.

Dices contra hanc alteram partem. Potentia generativa continetur sub omnipotentia, quam habet et Filius; ergo principium proximum *quo* processionis est divinus intellectus in se spectatus. Ita vel maxime, quia Filius non esset æqualis Patri, si propter omnipotentiam, quam cum Patre communem habet, etiam generandi potestatem communem non haberet. Hinc Augustinus lib. 2., alias 3., *Cont. Maximinum* cap. 12. num. 3. affirmat Patrem, quia genuerit, non esse potentiorem Filio, inquiens: *neque enim non potuit* (scilicet generare Filius) *sed non oportuit.* Ex his vero constat, intellectum, et voluntatem secundum se esse principia proxima divinarum processionum.

R. ad 1., potentiam generativam non contineri sub omnipotentia absolute accepta, seu secundum rationem, qua convenit tribus Personis divinis, sed sub omnipotentia, quatenus connotat Paternitatem, atque ab ea modificatur, indeque hujusmodi potentia non convenit Filio.

R. ad 2., Filium esse æqualem Patri, licet illi non conveniat generandi potestas: „Sicut eadem essentia (inquit Angelicus 1. p. „quæst. 42. art. 6. ad 3.) quæ in Patre est Paternitas, in Fi„lio est filiatio: ita eadem est potentia, qua Pater generat, et

„ qua Filius generatur. Unde manifestum est, quod quidquid po-
„ test Pater, potest Filius: non tamen sequitur, quod possit ge-
„ nerare... Nam generatio significat relationem in divinis. Habet
„ ergo Filius eamdem potentiam, quam Pater, sed cum alia re-
„ latione. Nam Pater habet eam ut dans: et hoc significatur,
„ quum dicitur, quod potest generare. Filius autem habet eam
„ ut accipiens, et hoc significatur, quum dicitur, potest ge-
„ nerari."

R. ad 3. cum eodem Angelico, qui quæst. 9. *De Potentia* art. 9. ad 1. Augustinum ita explicat: „ Ideo dicit Augustinus,
„ quod non est dicendum, quod Filius non potuit generare, sed
„ non oportuit, quia non ex impotentia Filii est, quod non ge-
„ neret, ut hoc quod dicit: *non potuit*, sumatur privative, et
„ non simpliciter negative. Per hoc autem quod dicit: *Quod non*
„ *oportuit*, significat, quod sequeretur inconveniens, si in divi-
„ nis Filius alium filium generaret." Id autemmultipliciter ostendit Angelicus, immo et Augustinus post citata verba.

CAPUT TERTIUM.

De existentia, et numero divinarum processionum.

Quæ in medium exempla afferri possunt, et a Patribus allata fuerunt ad explicationem processionum divinarum, easdem non omnino exhibent, vel exhibere possunt, quum infinite distent ab illa simplicissima, et immutabili ratione, qua processiones sunt in Deo. Hinc S. Hilarius lib. 7. *De Trinit.* num. 39. licet in hanc rem exemplo ignis utatur; tamen simul monet num. 31. *non utique aliquod naturæ Dei satisfacere exemplum.* Quidquid ergo imperfectionis inest in generatione rei creatæ, subtrahi debet a divina, quæ nihil patitur imperfectum.

Prop. I. Vera, et proprie dicta processio immanens datur in Deo, qua una divina Persona ab altera, aut aliis procedit.

Prob. prop. *Psal.* 2. 7. dicitur de Christo: *Ego hodie genui te.* Psal. 109. 3. *Ex utero ante luciferum genui te.* Mich. 5. 2. *Egressus ejus* (nempe Christi) *a diebus æternitatis.* Joan. 8. 42. *Ego ex Deo processi, et veni*: Quo in loco et æterna Filii Dei generatio significatur, et missio illius in hunc mundum per incarnationem. Tandem Joan. 15. 26. *Quum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Ex his autem omnibus constare de vera, et proprie dicta processione, nemo negare potest.

Et re quidem vera esse in Deo plures, et a se invicem distinctæ Personæ nullo modo possent, semel ac processiones in natura divina non admittantur: sicut enim inquit S. Gregorius Na-

zianz. Orat. 37. „ Ex his verbis, quod genitus non sit, et quod „ genitus „ et quod procedat, hoc effectum est, ut alius Pa- „ ter, alius Filius, alius Spiritus Sanctus appelletur."

Ad hanc veritatem Catholicam adstruendam Patres communiter usi sunt ratione ducta ex divina fœcunditate, atque ex ea ostenderunt, processiones in Deo admitti debere. Id præstitit inter alios S. Joan. Damascenus *De Fide Orth.* lib. 1. cap. 8., S. Cyrillus in lib. *Thesau.* Assert. 5., S. Athanasius Orat. 1. *Cont. Arianos*, num. 18. et seq.

Eadem veritas inde quoque ostenditur, quia inter Personas SS. Trinitatis nullus distinctioni locus esse posset, semel ac una non procederet ab altera. Nam in divinis Personis duo tantum mente secerni queunt, videlicet, substantia, et relatio originis, v. g. in Patre natura divina, et Paternitas. Personæ autem divinæ per naturam non distinguuntur, quum omnes unam, eamdemque habeant; igitur distingui debent relatione originis, hoc est, Paternitate, Filiatione etc. Ex hoc autem capite ortum habuit scholarum effatum illud; *Omnia in divinis sunt unum, et idem, ubi non obviat oppositio relationis.*

Dices et quidem 1. quod procedit ab altero, esse debet diversum ab eo, a quo procedit: 2. quod habet rationem principii, tempore præcedere aliquo modo debet: 3. procedens dependet a procedente: 4. Deus est ens a se: processiones autem e medio tollunt rationem entis a se. Ex his ergo, ad quæ sane reducuntur etiam alia, quæ opponi possunt, constat, processiones in Deo admitti non debere.

R. cum Augustino contra Maximinum Arianum lib. 2. num. 2. „ in Trinitate igitur, quæ Deus est, et Pater Deus est, et Filius „ Deus est, et Spiritus Sanctus Deus est, et simul hi tres unus „ Deus: nec hujus Trinitatis tertia pars est unus, nec major pars „ duo, quam unus, est ibi: nec majus aliquid sunt omnes, quam „ singuli: quia spiritualis, non corporalis est magnitudo. Qui po- „ test capere, capiat, qui autem non potest, credat."

Verum, Angelico præeunte, propositas difficultates nunc exponere conabimur. Interim recolatur oportet, intellectum, et voluntatem in Deo unum, idemque esse cum essentia ejus (a). Quamvis ergo quod ab altero ad extra procedit, ab illo diversum esse debeat, non tamen quod procedit ad intra secundum modum intelligibilem: hoc enim quanto magis perfecte procedit, tanto magis etiam est unum cum eo, a quo procedit. „ Manifestum „ est enim, (inquit Angelicus 1. p. quæst 27. art. 1.) quod quan- „ to aliquid magis intelligitur, tanto conceptio intellectualis est „ magis intima intelligenti, et magis unum. Nam intellectus „ secundum hoc fit unum cum intellecto." Quum ergo Deus,

(a) Vid. Disp. 5. lib. 8. cap. 2. et lib. 9. cap. 1.

etiam quatenus intelligens, sit infinite perfectus, necesse est, ut verbum ab intellectu divino procedens sit omnino unum cum eo, a quo procedit, eamdemque naturam exprimat una cum diversa ratione essendi.

Quia vero intellectus divinus actu semper intelligit, et in potentia ad intelligendum nunquam fuit, se ipsum semper necessario intellexit, atque verbum illius semper in eo fuit, ideoque est ipsi coæternum, nec supervenit in tempore (a).

Ex hoc autem et illud quoque consequitur, in divinis processionibus nullum dependentiæ locum esse, quia una Persona ab alia procedit secundum naturæ necessitatem, quæ proficiscitur ab infinita Dei perfectione, qua fit, ut Pater intelligendo non possit non producere Verbum, et Pater, atque Filius sese amando non possint non producere Spiritum Sanctum. Verum de his suo loco uberius agemus.

Sicut autem Filius cum Patre, ita etiam Spiritus cum Patre, et Filio eamdem naturam habent, indeque excluditur dependentia unius Personæ ab alia. Quam enim Pater naturam a se habet, eamdem omnino communicat Filio, propterea que natura, quæ est in Filio, est natura a se, sicut est etiam natura a se, quæ est in Spiritu Sancto. Unde processio non impedit, quin natura a se sit in qualibet Persona divina.

Prop. II. Processio unius divinæ Personæ ab alia, aut aliis, non est sicut a causa sui, sed sicut a simplici principio originis.

Prob. prop. Inter principium, et causam id discriminis intercedit, ut principium, quatenus tale, includat in se solam rationem originis, cum qua simul stat, ut sit omnino idem esse tum in principio, tum in eo, quod ab eodem principio producitur: in principio, sicut in communicante, in isto, sicut in accipiente. Causa autem, quatenus talis, quod ipsa est, effectui non communicat, sed diversum esse, quod ab ipsa causa pendet. At vero quælibet divina Persona procedens procedit cum eodem omnino esse, quod habet Persona, a qua procedit; ita ut esse, quod Filius accipit a Patre, sit omnino idem esse Patris, et esse, quod accipit Spiritus Sanctus a Patre, et Filio, sit idem esse Patris, et Filii communicatum, Filio quidem communicatum a Patre per generationem, Spiritui Sancto a Patre, et Filio per processionem, ita ut Pater, Filius, et Spiritus Sanctus sint unius substantiæ, et unus Deus, sicut contra Arianos, et Macedonianos Catholica Ecclesia firmissime tenet, atque nos infra, data opera, ostendemus. Dicendum est igitur, processiones Personarum divinarum non esse unius Personæ ab alia, aut aliis, sicut a causa sui, sed sicut a simplici principio originis.

(a) Vid Angelicus lib. 4. *Cont. Gent.* cap. 11.

Ad majorem explicationem hujus rei adverti debent, quæ habet Angelicus tum quæst. 10. *De Potent.* art. 1., tum 1. p. quæst. 33. art. 1. Observat ergo in cit. quæst. *De Potent.* art. 1. ad 9. „Quod inter omnia ad originem spectantia magis convenit in „divinis hoc nomen principii." Hujus autem rei hanc rationem affert, videlicet, ex eo quod divina comprehendere non possimus, magis apte exprimuntur nominibus communibus, quæ indefinite significant aliquid, quam peculiaribus indicantibus rem determinatæ speciei. Unde animadvertit, hoc nomen: *qui est*, quod juxta Damascenum significat quamdam infinitatem substantiæ, quam maxime convenire Deo. Principium autem est magis commune, quam sit causa, ideoque magis apte in Deum cadit nomen principii, quam causæ. „Quamvis autem (ita prosequitur Angelicus) Pater dica„tur esse principium Filii, et Spiritus Sancti, non tamen vi„detur indifferenter dicendum, quod Filius sit principiatum, vel „etiam Spiritus Sanctus, licet etiam hoc modo loquendi Græci „utantur, et possit apud sane intelligentes concedi. Tamen ea, „quæ minorationem aliquam importare videntur, refugere de„bemus, ne Filio, vel Spiritui Sancto attribuantur propter Aria„norum errorem vitandum. Sicut Hilarius licet concedat, Pa„trem esse majorem Filio propter auctoritatem originis, non ta„men concedit, quod Filius sit minor Patre."

Quæst. 10. *De Potent.* art. 10, ad 8. explicat, qua ratione contigerit, ut aliqui Patres Græci etiam in divinis nomen causæ adhibuerint: „Quia Græci (inquit) absolutius in divinis utun„tur nomine causæ, ex ipso solam originem significantes: et „ideo in divinis Personis utuntur nomine causæ... Non autem „oportet, si nomen causæ confitemur in divinis secundum Græ„cos, quod eodem modo accipiatur, sicut quum de creaturis „dicitur."

Prop. III. Duæ sunt tantum processiones passivæ in divinis.

Processio tum active, tum passive sumi potest: accepta secundum priorem rationem est actio, qua datur esse Personis divinis; secundum alteram, est terminus, qui producitur per processionem activam.

Modo ostenditur nostra prop. Tot sunt processiones passivæ, quot sunt Personæ procedentes, nempe Filius, et Spiritus Sanctus. Pater enim a nullo procedit, indeque dicitur ob singularem rationem Deus a se: et Ecclesiastici scriptores eum vocant ingenitum, innascibilem, principium sine principio, originem, et fontem totius Deitatis.

Prop. IV. Duæ tantum sunt in divinis processiones activæ, inter se virtualiter distinctæ.

Prob. prior pars prop. Processiones activæ sunt quidam actus immanentes, quibus Personæ divinæ producuntur: sed hujusmodi actus sunt duo tantum in divinis, videlicet, intelligere, et vel-

le : alii enim actus omnes, qui in Deo possunt cogitari, sunt transeuntes, uti creatio, gubernatio, conservatio, et alia hujusmodi : ergo duæ tantum sunt in divinis processiones activæ, si ratio habeatur ejus principii, a quo illæ profluunt.

Sunt quoque duæ, si attendatur ad terminum illarum. Quum enim terminus utriusque sit infinitus, utpote existens in natura infinita, naturamque habens infinitam, exhaurit totam fœcunditatem facultatis divinæ, ideoque unicus tantum in suo ordine sit oportet. Ita unicum est Verbum, seu unicus terminus divinæ intellectionis, quia per unicum illud Verbum, utpote infinitum, exhauritur tota vis intelligendi naturæ divinæ, ipsiusque Patris. „ Proinde (sicut advertit Augustinus lib. 15. *De Trinit.* num. 23.) „ tamquam se ipsum dicens Pater genuit Verbum sibi æquale per „ omnia. Non enim se ipsum integre, perfecteque dixisset, si „ aliquid minus, aut amplius esset in ejus Verbo, quam in „ ipso. "

Sicut autem est unicus tantum terminus divinæ intellectionis; ita etiam ob eamdem rationem est unicus terminus divinæ volitionis, ideoque sicut Pater intelligendo unum Verbum producit; ita Pater, et Filius sese amando producunt unum Spiritum Sanctum: et sicut Filius intelligendo alia Verba non producit, ita etiam Spiritus Sanctus amando non producit alium Spiritum. „ Deus (inquit Angelicus 1. p. quæst. 27. art. 5. ad 3.) uno „ simplici actu omnia intelligit, et similiter omnia vult. Unde „ in eo non potest esse processio verbi ex verbo, neque amo„ ris ex amore, sed est in eo solum unum verbum perfectum, „ et unus amor perfectus, et in hoc ejus perfecta fœcunditas „ manifestatur."

Prob. altera pars. Activa processio est actus, per quem Verbum, et Spiritus Sanctus accipit esse, sicuti jam diximus : at vero hujusmodi actus realiter, et a parte rei est solummodo unus : actus enim a parte rei non distinguuntur in Deo realiter, quum omne absolutum, quod in Deo reperitur, sit una, atque simplicissima substantia: superest ergo, ut processiones activæ solummodo virtualiter in Deo distinguantur.

Dices cont. priorem part. Si plures activæ processiones essent in divinis, quælibet earum, si ad earumdem naturam attendatur, non esset infinita: sed hoc est absurdum: ergo. Prob. maj. Quod non continet omnes processiones activas, non est infinitum in genere processionis activæ: sed quælibet processio activa in divinis non continet omnes processiones activas, quia, si contineret omnes, non esset multiplex: ergo.

R. dist. hoc ultimum: non esset multiplex actu, atque realiter, conc., virtualiter, neg. Generatio Verbi, et processio activa Spiritus Sancti, non sunt duæ entitates distinctæ realiter, sed una, et quidem omnino simplex, licet virtualiter multiplex.

Nam idem præstat, ac si revera essent duæ actiones distinctæ a parte rei.

CAPUT QUARTUM.

De distinctione, quæ intercedit inter processionem Filii, et Spiritus Sancti.

Pluribus propositionibus tria potissimum hoc in capite explicabimus: 1. processionem Verbi, quatenus ea, et quidem sola, dicitur generatio: 2. causam, ob quam sola processio Verbi est dicenda generatio: 3. processionem Spiritus Sancti, quatenus illi non convenit ratio generationis.

Notionem generationis primo loco præmittendam ducimus: generatio ergo est *origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ*. Dicitur *origo*, quia ut generetur vivens, illud a suo principio debet procedere: superadditur: *viventis a vivente*, ut significetur, tam generans, quam generatum, vivere debere, excludanturque a numero generatorum, quæ veram vitam in se non habent: adjicitur: *principio conjuncto*, quia generans debet conjungi cum genito non solum secundum suam virtutem, sed etiam secundum substantiam: ultimo ponitur: *in similitudinem naturæ*, quia finis generationis est, producere terminum similem saltem in natura specifica. In generationem Verbi hæc omnia cadunt: nam 1. ea est vera origo viventis a vivente, quum Verbum habeat suum esse a Patre: 2. est a principio vivente, videlicet a Patre: 3. est a principio conjuncto, non quidem per quamdam receptam partitionem, sicut contingit in creatis, sed per communicationem totius naturæ: 4. est in similitudinem naturæ, quoniam Verbum in Scripturis imago Patris appellatur, et quidem perfectissima, quum eamdem naturam Patris accipiat.

De primo capite doctrinæ, videlicet de processione Verbi, quatenus ea sola dici debet generatio, constat ex divino verbo tum scripto, tum tradito: de altero, hoc est, cur processio Verbi dicatur generatio, nulla evidenti ratione constat: quod sane plures quoque Patres testati fuerunt (a). Non defuerunt tamen etiam ex eis, qui rationibus probabilibus explicaverint, qua de causa processio Filii generatio dici debeat (b). De tertio capite doctrinæ, scilicet, qua de causa processio Filii debeat dici generatio, tum Patres, tum Scholastici disputarunt: non est, cur hic recenseamus varias opiniones illorum: nos eam sententiam Angelici sequemur, quam 1. p. quæst. 27. art. 2. et

(a) Vid. loca eorum apud Vitassium quæst. 5. *De Div. Proces.* art. 5.

(b) Consul. Petavius lib. 7. *De Trinit.* cap. 13.

34. art. 2. ipse tradit, aliique ante ipsum Patres tradiderunt.

Prop. I. Processio Verbi, et quidem sola, generatio dici debet.

Prob. prior pars prop. *Psal.* 2. 7. de divino Verbo dicitur: *Filius meus es tu: ego hodie genui te. Joan.* 1. 18. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Hinc Verbum a Patre genitum esse, Ecclesiæ fides semper fuit, atque a Patribus unanimi consensione traditum accepimus.

Et quidem definitio generationis a nobis tradita superius, omnibus generationis creatæ imperfectionibus seclusis, est omnino consentanea processioni Filii Dei: 1. est sane origo videlicet, emanatio, et processio: *Joan.* 8. v. 42. *Ego ex Deo processi:* 2. est viventis a vivente: *Joan.* 5. v. 26. *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso:* 3. est a principio conjuncto: Joan. 14. v. 10. *Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est:* 4. denique est in similitudinem, immo in unitatem naturæ: *Joan.* 10. v. 30. *Ego, et Pater unum sumus.*

Prob. altera pars. In Sacris litteris et nomen Filii solummodo tribuitur processioni Verbi, et Verbum traditur esse unigenitum Filium Dei, sicut *Joan.* cap. 1. 14. et 18., cap. 3. 16. et 18. et 1. epist. cap. 4. 9. legitur. In symbolis quoque, et in omnibus fidei professionibus, quæ in Conciliis editæ fuerunt, Christus dicitur Filius Dei unicus, et unigenitus, atque judicio Ecclesiæ pro hæreticis habiti ii semper fuerunt, qui plures Deo Filios tribuere.

Prop. II. Cur Verbum divinum sit, et dicatur Filius, nulla alia causa probabilior afferri posse videtur, quam quod procedat per intellectum.

Prob. prop., atque actum intellectus causam esse, cur processio Filii dicatur generatio, ita ostendo. Ille actus est causa, cur processio dicatur generatio, quo fit, ut secunda Persona SS. Trinitatis in similitudinem naturæ producatur: est enim in hoc posita essentia generationis: sed secunda Persona SS. Trinitatis actu intellectus producitur in similitudinem naturæ: nam intellectio ex se tendit ad efformandam imaginem objecti intellecti: est autem duplex intellectio, una creata, altera increata, illa imperfecta, ista perfecta ex omni parte. Quare sicut intellectio generatim accepta vi sua tendit ad aliquam similitudinem producendam, et intellectio creata, utpote imperfecta, vi sua tendit in similitudinem imperfectam; ita intellectio divina, utpote perfectissima, tendit vi sua in similitudinem perfectissimam, atque substantialem, ac propterea dicitur generatio, estque revera.

Plures quoque Patres ob prædictam rationem sensisse, processionem Filii dicendam esse generationem, Petavius ostendit *De Trinit.* lib. 7. cap. 14. Ita sensit S. Justinus in *Dial. cum Try-*

phone num. 62.. S. Theophilus in lib. 3. ad Autolycum num. 10. S. Greg. Nazianz. *Orat.* 36., S. Athanasius *De Decret. Synod. Nic.* num. 17. S. Ambrosius lib. *De Incarnat.* cap. 3. num. 20. S. Augustinus, quamvis in aliquibus locis varias hujusce rei rationes in medium attulerit ; tamen in pluribus aliis, quam nos cum Angelico sequuti sumus rationem , et ipse quoque sequutus fuit , videlicet, ut omittamus alia loca, in *Enarrat.* in Psal. 44. num. 5., et lib. 9. *De Trinit.* num. 17.

Dices I. secunda Persona non generatur illo actu, quo non potest recipere verum esse : sed ab actu intellectus non potest haberi verum esse , sed solummodo fictitium , quod consistit in idea , seu in imagine objecti, de quo mens cogitat : ergo.

R. dist. min. ab actu intellectus creati, conc. ; intellectus divini , neg. ; Disparitas hæc est : quum intellectus creatus non sit in ipsa ratione sui perfectus , non potest exprimere verbum perfectum , seu perfectam imaginem objecti , de quo cogitat: contra vero quum intellectus divinus in ipsa ratione sui sit infinite perfectus , necessario exprimere debet verbum perfectum, seu perfectam imaginem objecti illius , de quo cogitat. Oportet igitur , ut Pater , qui intelligit perfecte se ipsum , exprimat perfectum verbum sui , ac propterea Verbum, cujus esse sit reale, atque divinum. Hoc autem inde confirmatur, quia intellectio Patris est actus purissimus, qui proinde recipere non potest species a se ipso distinctas realiter, ideoque sui ipsius species, quam format intelligendo se ipsum , debet esse substantialiter idem cum ejus intellectione.

Dices II. Intellectio , et volitio sunt unum , et idem secundum substantiam : sed volitio non est principium generationis: ergo.

R. dist. maj. , sunt unum, et idem actu, conc. , virtualiter, neg. Operationes Dei ad intra eodem modo se habent , ac attributa illius. Sicut igitur attributa distinguuntur virtualiter: ita etiam intellectio , et volitio . Quemadmodum ergo attributa ob distinctionem virtualem respiciunt terminos realiter distinctos; ita ab eadem actione sub una ratione considerata producitur talis terminus , qui sub alia ratione non producitur. Hinc vero sequitur , eadem actione , prout ea reduplicative est intellectio , Verbum produci , licet reduplicative prout est volitio, ipsum minime producat.

Prop. III. Processio Spritus Sancti non debet dici generatio.

Prob. prop. Semel ac processio Spiritus Sancti diceretur generatio, idem Spiritus dicendus esset Filius tum Patris , tum Filii , quia per generationem ab utroque procederet : sed fides Catholica docet, Spiritum Sanctum dici non posse Filium Patris et Filii, quum neque in Sacris litteris, neque in Patribus, Spiritum Sanctum aliquando Filium appellatum fuisse , legamus,

quin immo unicum esse in Trinitate Filium, Sacræ litteræ nos docent: constat ergo, processionem Spiritus Sancti generationem non esse dicendam.

Prop. IV. Cur Spiritus Sanctus per generationem non procedat, nulla alia causa probabilior afferri posse videtur, quam quod procedat per voluntatem.

Prob. prop. Spiritum Sanctum per voluntatem a Patre Filioque procedere, traditum habemus in Sacris litteris, atque etiam ex ipsa traditione compertum est, quemadmodum suo loco pluribus ostendemus. Hoc autem semel posito, constat Spiritum Sanctum dici non posse Filium. Si enim ad rationem ipsam generationis, ejusque definitionem attendamus, ipsa generatio haberi non potest ex eo principio, per quod in similitudinem naturæ non procedit, quod ab eodem procedit: sed quod a voluntate procedit, quatenus ab ea procedit, in similitudinem naturæ procedere non potest: ergo. Prob. min. Ut quod a voluntate procedit, quatenus ab ea procedit, in similitudinem naturæ procederet, oporteret, ut actus voluntatis ex sui natura tenderet reddere simile sibi objectum, quod ipsa prosequitur: sed actus voluntatis ad hoc non tendit ex sui natura; immo quum voluntas amans extra se ipsam quodammodo exeat, atque objectum dilectum quodam amore prosequatur, in idem objectum per suum amorem quadam ratione transformatur. Hinc Angelicus 1. p. quæst. 27. art. 4. „Processio, (inquit) quæ attendi„tur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum „rationem, similitudinis, sed magis secundum rationem impel„lentis, et moventis in aliquid. Et ideo quod procedit in di„vinis per modum amoris, non procedit ut genitum, vel filius, „sed magis procedit ut Spiritus: quo nomine quædam vitalis „motio, et impulsio designatur, prout aliquis ex amore dici„tur moveri, vel impelli ad aliquid faciendum." Hanc Angelici rationem plures ante ipsum Patres prosequuti fuerunt, sicuti Petavius ostendit *De Trinit.* lib. 7. cap. 14. (a).

Multa contra ea, quæ diximus, opponi possunt, tamen, omissis aliquorum Scholasticorum explicationibus, quæ rem ipsam magis magisque implicare videntur, sufficit ad solutionem illorum, ut præ oculis hæc doctrina habeatur, quam tradit Angelicus 1. p. quæst. 27. art. 4. „Dicendum, (inquit) quod quidquid est „in divinis est unum cum divina natura. Unde ex parte hujus „unitatis non potest accipi propria ratio hujus processionis, vel „illius, secundum quam una distinguitur ab alia; sed oportet, „quod propria ratio hujus, vel illius processionis accipiatur se„cundum ordinem unius processionis ad aliam. Hujusmodi autem

(a) Idem Petavius in eodem lib. cap. 13. alias a Patribus traditas rationes recenset.

„ ordo attenditur secundum rationem voluntatis, et intellectus. „ Unde secundum horum propriam rationem sortitur in divinis „ nomen utraque processio, quod imponitur ad propriam ratio„ nem rei significandam: et inde est, quod procedens per mo„ dum amoris et divinam naturam accipit, et tamen non dici„ tur natum."

CAPUT QUINTUM.

De proprietatibus processionum divinarum.

Catholici omnes consentiunt, proprietates divinarum processionum esse istas, quas in hac propositione modo recensemus.

Prop. Divinæ processiones sunt immanentes, substantiales, necessariæ, æternæ, metaphysicæ, et expertes cujusvis imperfectionis.

Prob. prop. quoad singulas partes: sunt igitur immanentes, quia termini manent intra sua principia, v. g. Filius est in Patre, indeque *Joan.* 1. 2. legitur: *Et Verbum erat apud Deum*, v. 18. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Hujus autem rei ea causa est, quia divinæ processiones sunt ab intellectu, atque voluntate, quæ, sicut etiam Philosophi docent, operantur immanenter.

Sunt substantiales: nam inter Deum, et entia creata hoc discrimen intercedit, quod ista, dum intelligunt, et volunt, terminos solummodo accidentales producant: nam verbum, quod mens humana cogitando producit, est quoddam accidens, non substantia. At vero termini intellectus, et voluntatis Dei per se subsistunt, atque sunt veræ personæ, quæ eamdem cum suo principio substantiam habent „Deus (inquit Damascenus „ lib. 1. *De Fide Orth.* cap. 6.) Verbum suum ex se geni„ tum semper habet, non quod adinstar nostri non subsistat, „ et in aerem diffluat, sed in se consistens, viyumque, et per„ fectum, atque ejusmodi, ut extra ipsum non progrediatur, „ sed in ipso semper existat."

Necessariæ sunt: quoniam Deus necessitate naturæ seipsum cognoscit, et amat. Unde non secundum consilium, atque determinationem Patris, sicuti Ariani effutiebant, Verbum producitur, sed voluntaria propensione illius, attamen naturali, non libera. Sicut ergo Deus habet, ut sit non sua voluntate, sed natura, ita seipsum intelligit, Verbumque producit non sua voluntate, sed natura. Ab hæretico rogante, utrum Deus Filium volens, an nolens genuerit, quæmpiam acute vicissim quæsivisse, tradit S. Augustinus lib. 15. *De Trinit.* num. 38. „ utrum „ Deus Pater volens, an nolens sit Deus: ut si responderet, „ nolens, sequeretur illa miseria, quam de Deo credere, mag-

„ na insania est; si autem diceret, volens, responderetur ei: „ ergo et ipse Deus est sua voluntate, non natura. Quid ergo „ restabat, nisi ut obmutesceret, et sua interrogatione obligatum „ insolubili vinculo se videret?"

Sunt metaphysicæ: quia non sunt simpliciter actiones, sed potius emanationes, quæ in se includunt originem unius Personæ ab alia absque ulla mutatione sive in subjecto, sive in termino, absque ulla prioritate temporis, aut naturæ in una persona præ alia.

Tandem sunt expertes cujusvis imperfectionis: neque enim generatio divina est ejusdem conditionis cum humana, aut iisdem obnoxia defectibus. Falso ergo Ariani opponebant, si quæ in Deo generatio admittatur, consequens fore, ut corpus, atque divisio substantiæ ponatur in Deo: quæ enim in humana generatione contingunt, ad divinam transferebant.

Ut autem Patres divinæ generationis aliquam imaginem adumbrarent, aut luci, quæ prodit ex sole, aut igni, qui oritur ex alio igne, compararunt. Id fecit Hilarius lib. 6. *De Trinit.* num. 12, et lib. 7. num. 29. Verumtamen quod divisionis in hujusmodi exemplis occurrit, a divina generatione tolli debet, sicut advertit Athanasius Orat. 1. *Cont. Arian.* num. 21. Tamen, uti monet Hilarius *De Trinit.* lib. 4. num. 2. „ quum „ de naturis cælestibus sermo est, illa ipsa, quæ sensu mentium „ continentur, usu communi et naturæ, et sermonis sunt elo- „ quenda, non utique dignitati Dei congrua, sed ingenii nostri „ imbecillitati necessaria."

LIBER SECUNDUS.

De relationibus divinarum Personarum.

Relatio est ordo unius ad alterum, eaque distinguitur in relationem rationis, et realem: illa per solam considerationem mentis inducitur, ista inter duo reperitur ante omnem considerationem mentis.

In Deo sunt et relationes communes tribus Personis divinis, uti v. g. relatio æqualitatis, atque de istis modo non agimus, et relationes propriæ, et personales, quæ vulgo dicuntur originis, quia suum fundamentum habent in origine, seu processione unius Personæ ab alia, v. g. Filii a Patre, Spiritus Sancti a Patre, et Filio: tales sunt Paternitas in Patre respectu Filii: Spiratio activa in Patre, et Filio respectu Spiritus Sancti: Filiatio in Filio respectu Patris: et Spiratio passiva in Spiritu Sancto respectu Patris, et Filii, a quibus Spiritus Sanctus sicuti ab unico principio procedit. De istis nunc loquimur. Quinque capitibus rem

totam absolvemus : in 1. agemus de existentia relationum in Deo: in 2. de numero relationum: in 3. de perfectione illarum : in 4. de munere: in 5. de distinctione earumdem a se invicem. Hic illud cum Angelico monemus quæst. 10. *De Poten.* art. 5. ad 12. in divinis relationes, proprietates, et notiones re unum, idemque esse, atque distingui secundum rationem, prout referuntur, relationes dicuntur; proprietates, prout uni personæ conveniunt; notiones, quatenus sunt principia simpliciter, quibus in personæ notitiam ducimur.

CAPUT PRIMUM.

De existentia relationum in Deo.

Duo in hoc capite discutiemus, videlicet, utrum in Deo sint veræ relationes originis, et utrum eæ sint essentiales, internæ, et veræ secundum omnem respectum. Qua de causa cum Philosophis distinguimus duplex *esse* in relationibus, hoc est, *esse in*, seu subjectivum, habita ratione subjecti, in quo est relatio, et *esse ad*, seu terminativum, habita ratione termini, quem respicit ipsa relatio. Nullas relationes originis in Deo esse, putavit quidam Prævositivus, de quo mentionem facit Angelicus 1. p. quæst. 32. art. 2., illum sequutus fuit Gregorius Ariminensis in 1. dist. 26., et 27., atque etiam Fayditius (a); verum iste alia de causa, ac duo illi priores, videlicet, quia falso posuit, Filium esse ipsam essentiam Patris productam.

Prop. Relationes originis, et quidem veræ, atque reales, sunt in Deo.

Prob. prior pars prop. Divinæ Personæ non possunt esse inter se distinctæ realiter per id, quod in Deo est absolute, scilicet potentiam, sapientiam, quæ sane sunt in iisdem personis æqualiter, sed per id, quod est relativum, et unicuique Personæ proprium : „ Quod enim Pater est (ita in confes. fidei Synodus XI. Toletana) non ad se, sed ad Filium est; et quod „ Filius est, non ad se, sed ad Patrem est; similiter et Spiri„ tus Sanctus non ad se, sed ad Patrem, et Filium relative re„ fertur in eo, quod Spiritus Patris, et Filii prædicatur (b)." S. Augustinus *De Trinit.* lib. 5. num. 6. „ Si vero quod di„ citur Pater, ad se ipsum diceretur, non ad Filium; et quod „ dicitur Filius, ad se ipsum diceretur, non ad Patrem; secun„ dum substantiam diceretur et ille Pater, et ille Filius: sed quia „ et Pater non dicitur Pater, nisi ex eo, quod est ei Filius, et „ Filius non dicitur, nisi ex eo, quod habet Patrem, non se-

(a) In libello inscripto: *Alteration du Dogme Theologique etc.*
(b) Tom. 3. Concil. edit. Harduini column. 1021.

„ cundum substantiam hæc dicuntur, quia non quisque eorum „ ad se ipsum, sed ad invicem, atque ad alterutrum ista dicun„ tur: neque secundum accidens, quia et quod dicitur Pater, et „ quod dicitur Filius, æternum, atque incommutabile est eis. Quam„ obrem quamvis diversum sit et Patrem esse, et Filium esse, „ non est tamen diversa substantia: quia hæc non secundum „ substantiam dicuntur, sed secundum relativum: quod tamen re„ lativum non est accidens, quia non est mutabile." Constat ergo, per relationes inter se distingui Personas divinas, adeoque non esse dubitandum, in Deo dari relationes.

Et quidem veras, et reales, sicut in altera parte propositionis dicebamus. Ubi est enim vera, et realis origo unius ab altero ejusdem naturæ, est ibi sane verus, realis, atque mutuus respectus producentis, et producti: in Deo autem est hujusmodi origo: ergo sunt quoque respectus, seu relationes veræ, atque reales, eæque etiam sempiternæ, et immutabiles, quia, sicut ait Augustinus, *et quod dicitur Pater, et quod dicitur Filius, æternum, atque immutabile est eis.*

Sunt autem reales tam quoad *esse in*, quam quod *esse ad.* De realitate secundum priorem rationem Catholicorum nemo dubitat: etiam secundum alteram rationem dubitare nemo potest, quia secundum eam et divinas Personas constituunt, et a se invicem distinguunt.

Dices I. Relationes, quæ dicuntur de subjecto realiter, aut secundum substantiam, aut secundum accidens dicuntur: si secundum priorem rationem essent in Deo; tunc essentia divina non foret eadem in singulis personis, quia relationes inducunt distinctionem: si autem essent secundum alteram; tunc in Deo accidentia locum haberent, quod repugnat.

R. hoc argumentum Arianos proposuisse contra Catholicos, uti habemus ex Augustino lib. 5. *De Trinit.* num. 4. Verum respondetur, relationes dici de Deo neque secundum substantiam, neque secundum accidens, sed secundum esse relativum, quod in se spectatum a substantia, et accidente præscindit. Unde Augustinus ita primo retorquet in Arianos, quod ipsi pro se in medium adducebant: „ Si quidquid de Deo dicitur, secundum subs„ tantiam dicitur: ergo quod dictum est: *ego, et Pater unum* „ *sumus*, secundum substantiam (quod sane Ariani negabant) „ dictum est. Una est igitur substantia Patris, et Filii." Deinde vero ex falsa opinione Arianorum ita colligit: „ Aut si hoc non „ secundum substantiam dictum est: dicitur ergo aliquid de Deo „ non secundum substantiam; et ideo jam non cogimur secundum „ substantiam intelligere ingenitum, et genitum." Num. 5. explicat naturam accidentis in eo positam, quod accidens sit *mutabile, aut amissibile*, propterea que in Deum nullo modo cadere posse, colligit. Num. 6. advertit, in rebus creatis, atque mutabi-

libus quod non dicitur secundum substantiam, reliquum esse, ut dicatur secundum accidens, in Deo autem, quamvis nihil dicatur secundum accidens, tamen ex hoc non consequi, ut quidquid dicitur, secundum substantiam dicatur. „Si vero (ita prosequi-„tur) quod dicitur Pater, ad se ipsum diceretur, non ad Fi-„lium, et quod dicitur Filius, ad se ipsum diceretur, non ad „Patrem; secundum substantiam diceretur et ille Pater, et „ille Filius: sed quia et Pater non dicitur Pater, nisi ex „eo, quod est ei Filius, et Filius non dicitur, nisi ex „eo, quod habet Patrem, non secundum substantiam hæc di-„cuntur, quia non quisque eorum ad se ipsum, sed ad invicem, „atque ad alterutrum ista dicuntur... sed secundum relativum: „quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile."

Dices II. Semel ac in Deo admittatur relatio realis, extrema relationis, scilicet, personæ, a se invicem penderent: sed nihil tale in Deo potest admitti: ergo.

Item: relatio realis præsupponit extrema distincta realiter: sed hoc non potest in Deo præsupponi, quia ipsa relatio realis efficit distinctionem extremorum a se invicem, quum Personæ divinæ non distinguantur per essentiam, sed per relationes: ergo.

R. ad 1., futurum quidem esse, ut extrema relationis a se invicem penderent, attamen adinstar terminorum, non vero causæ, et effectus. Nam relationes efficiunt in divinis, ut Personæ, quæ sunt earumdem termini, sibi invicem coexistant, non vero ut a se invicem pendeant, sicuti effectus a causa. Producuntur enim iis actionibus, per quas unicuique Personæ communicatur eadem natura, quæ est in Patre, ideoque independens.

Ad alterum dicimus, relationem in creatis supponere extrema distincta realiter, non autem in divinis. Hujus diversitatis ea est ratio, „quia (uti habet Angelicus 1. p. quæst. 40. art. „2. distinctio in divinis Personis non est sic intelligenda, qua-„si aliquid commune dividatur, quia essentia communis rema-„net indivisa; sed oportet, quod ipsa distinguentia constituant „res distinctas. Sic autem relationes, vel proprietates distinguunt, „vel constituunt hypostases, vel personas, in quantum sunt ipsæ „personæ subsistentes: sicut paternitas est Pater, et filiatio est Fi-„lius, eo quod in divinis non differunt abstractum, et concretum."

CAPUT SECUNDUM.

De numero divinarum relationum.

Nulla est in Deo relatio realis, ex eo quod entia creata, atque finita produxerit, et ea nunc quoque conservet: licet enim ista in Deum referantur realiter, ipse tamen Deus per relationem, quæ in eodem sit, ad illa non refertur, sed per actionem tran-

seuntem, quæ recipitur in creatis. Quare relationes Domini, atque Creatoris, prout referuntur ad creata, sunt determinationes externæ, atque accidentales, quæ desumuntur ab iisdem creatis, ac propterea non ipsa relatio, sed potentia, voluntas, et actio Deum constituunt Dominum, atque Creatorem. De relationibus ergo, quæ sunt inter divinas Personas, nunc solum disputatur.

Prop. Quatuor tantum relationes originis sunt in Deo, videlicet, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, et Spiratio passiva.

Prob. prop. Tot sunt in Deo relationes reales, quod ordines: relatio enim est ordo unius ad alium: sed in Deo sunt quatuor ordines, seu respectus, videlicet, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa ad passivam, et passiva ad activam: ergo in Deo sunt quatuor relationes. Nam quælibet processio requirit duplicem relationem, unam producentis ad productum, alteram producti ad producentem: sed duæ sunt processiones in Deo, una Filii, Spiritus Sancti altera: ergo quatuor esse debent relationes: 1. Paternitatis respicientis Filium: 2. Filiationis, quæ refertur ad Patrem: 3. Spirationis activæ, qua Pater, et Filius Spiritum Sanctum simul respiciunt: 4. Spirationis passivæ, qua Spiritus Sanctus ad utrumque refertur.

Dices. *Joan.* 16. v. 15. ait Christus: „*Omnia quæcumque „habet Pater, mea sunt.*" Cap. 10. 30., *Ego, et Pater unum sumus.* Cap. 14. 9. et 10. *Philippe, qui videt me, videt et Patrem.... Ego in Patre, et Pater in me est.* Paternitatis ergo, et Filiationis nullæ sunt in Deo admittendæ relationes. Idem quoque de Spiratione tum activa, tum passiva dici debet.

R. ad 1. cum Augustino lib. 2. *Cont. Maximinum Arianum* num. 7. „Et ille quippe, et iste id habet, quod et ipse: sed „ille de nullo vita, iste vita de vita, sed talis, qualis illa, „tanta, quanta illa, hoc omnino, quod illa; quia verus est „filius, perfectus est filius, quia non est degener ab unico „Deo Patre Deus unicus Filius.... Quum Pater omnia, quæ „habet, gignendo dedit, æqualem utique genuit, quoniam nihil minus dedit."

R. ad 2. cum eodem Augustino in *Collat. cum Maximino* num. 14. „Aliter ille Filius unigenitus: ille natura filius, nos „gratia filii: ille unigenitus de Patre natus, hoc est, quod „Pater, secundum naturam, secundum substantiam."

R. ad 3. Filium in Patre, et Patrem esse in Filio ob unitatem naturæ; tamen, uti habet Augustinus lib. 2. *Cont. Maximinum* num. 7. „Omnia, quæ habet Pater, dedit ille gig„nendo, accepit iste nascendo. Nec dando ille amisit, quod „habuit, nec iste, quum esset, et non haberet, accepit: sed „sicut ille permansit habens omnia, quum ea, quæ habet, „Filio dederit omnia: sic iste nunquam fuit sine omnibus."

CAPUT TERTIUM.

De perfectione divinarum relationum.

Relationes considerari posse et secundum esse *in*, et secundum esse *ad*, jam monuimus. Eas ergo secundum priorem rationem esse perfectiones, consentiunt omnes; verum secundum alteram, sunt qui negant. Contra quos nos sentimus.

Illud tamen advertendum primo esse putamus, aliquas perfectiones dici simpliciter simplices, quasdam vero simplices: illæ sunt, quas habere, melius est, quam non habere, uti sunt sapientia, bonitas etc. istæ dicuntur, quæ aut aliquam imperfectionem in se includunt, vel in eodem subjecto una cum æquali, aut majori perfectione simul esse non possunt. Secundum hanc posteriorem rationem Paternitas in Deo est perfectio simplex, quatenus simul stare non potest cum alia sibi opposita relatione, videlicet Filiatione.

Natura autem duobus modis perficitur, hoc est, vel accessione cujusdam perfectionis, quomodo accessione scientiæ anima perficitur, vel quatenus ultimo terminatur, et quodammodo claditur: qua ratione punctum dicitur perficere lineam. Hic igitur non disputatur, utrum relationes, prout sunt idem realiter cum divina essentia, aliquam illi perfectionem superaddant: nam secundum hanc rationem a divina essentia non distinguuntur: sed utrum relationes originis, prout tales, et secundum suum esse *ad*, atque ab essentia distinguuntur virtualiter, sint veræ perfectiones.

Prop. Relationes divinæ, quatenus sunt relationes, et secundum esse *ad*, habent rationem perfectionis veræ, atque realis.

Prob. prop. auctoritate Damasceni, atque Angelici: ille enim lib. 1. *De Fide Orthod.*. cap. 8. modum, quo existit Persona divina, videlicet, relationem, vocat singulariter perfectionem: iste autem 1. p. quæst. 40. art. 3. ad 1. refert ad dignitatem Personæ proprietates personales.

Et re quidem vero quod divinam naturam certa quadam afficit ratione, quodque efficit, ut divinæ Personæ inter se distinguantur, illud sane in se perfectum sit oportet: sed illa duo præstant relationes, etiam consideratæ secundum esse *ad*: sunt ergo perfectiones veræ, atque reales.

Quia vero unitas essentiæ in tribus Personis divinis est perfectissima, atque simplicissima, et perfectio relationum non distinguitur ab essentia Dei; inde fit, ut, licet divinæ relationes sint distinctæ, tamen una Persona non possit dici perfectior alia, quia habet eam relationem, quam ipsa non habet. Nam sicuti Angelicus monet 1. p. quæst. 42. art. 4. ad 2. „æqualitas in divinis, et similitudo secundum essentialia attenditur, nec potest

„ secundum distinctionem relationum inæqualitas, vel dissimilitudo dici... Paternitas igitur est dignitas Patris, sicut et essentia Patris. Nam dignitas est absoluta, et ad essentiam pertinet. „ Sic igitur eadem essentia, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio. Vere ergo dicitur, quod quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius. nec sequitur: Paternitatem habet Pater: ergo Paternitatem habet Filius... Eadem enim est essentia, et dignitas Patris, et Filii, sed in Patre est secundum „ relationem dantis, in Filio secundum relationem accipientis." Hinc Augustinus lib. 7. *De Trinit.* num. 11. „Non enim major „ essentia est Pater, Filius, et Spiritus Sanctus simul, quam „ solus Pater, aut solus Filius; sed tres ille substantiæ, sive „ personæ, sicuti dicendæ sunt, æquales sunt singulis: quod animalis homo non percipit."

Veræ ergo, et reales perfectiones sunt divinæ relationes, attamen non simpliciter simplices, ut dicunt, sed simplices, non quidem propter oppositionem, quam ad invicem habent, qua fit, ut in eadem persona simul esse non possint: neque enim eadem divina Persona simul esse potest Pater, et Filius.

CAPUT QUARTUM.

De munere relationum divinarum.

Constituere, atque distinguere Personas divinas, esse relationum proprium munus, nunc ostendemus, proprium, inquam, munus illarum, tamen quatenus ipsæ considerantur secundum esse *ad*, non vero secundum esse *in*: nam secundum hoc esse sunt realiter idem cum essentia divina.

Prop. I. In Deo aliquæ proprietates necessario admitti debent, quibus Personæ constituantur, atque inter se distinguantur.

Prob. prop. Cap. *Firmiter De Sum. Trinit.*, et *Fide Cat.* Innocentius III. in Concil. Gener. ab omnibus credendum statuit: „ Sanctam Trinitatem secundum essentiam individuam, et secundum personales proprietates diversam." Et revera quæ sunt distincta inter se, oportet, ut per aliquid vel proprium distinguantur: sed divinæ Personæ sunt inter se distinctæ, licet in essentiæ unitate conveniant: ergo quod singulas aliquid distinctum oportet, ut admittatur. Hoc autem, quo una Persona distinguitur ab altera, vocatur proprietas, et per illud ipsum singularis distincta persona constituitur. Hinc Bessarion in Oration. In quæst. habita in Florentino Concilio cap. 6. (a), *Æternaliter*, inquit, *Filius, et Spiritus Sanctus distinguuntur proprietatibus.*

Prop. II. Non sunt aliquid absolutum, sed relativum, illæ

(a) Tom. 6. Concil. edit. Hard. col. 342.

proprietates, quibus Personæ divinæ constituuntur, atque inter se distinguuntur.

Prob. prop. In Sacris litteris distinctio personarum exprimitur nominibus relativis, videlicet, Patris, Filii, aut Verbi, et Spiritus Sancti: proprietatibus ergo relativis divinæ Personæ constituuntur, atque inter se distinguuntur. Hinc in Concil. Florent. Sess. ult. in Definitione hæc legimus (a): *Omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem.* Pater igitur non distinguitur a Filio per aliquam proprietatem absolutam, sed per relativam: hæc enim est, quam Filio non communicat. „Personarum discrimen (inquit S. Joan. Da„mascenus *De Fide Orth.* lib. 3. cap. 5.) in solis tribus pro„prietatibus, scilicet, quod unus sine causa sit, et Pater, alter „a causa, et Filius, alter item a causa, et procedens, esse po„situm agnoscimus". Legatur etiam cap. 10. lib. 1., et Anselmus lib. *De Fide Trinit., et Incarnat.* cap. 8. et 9.

Prop. III. Licet dici aliquo modo possit, per origines constitui, et a se invicem distingui Personas divinas; tamen simpliciter dicendum est, easdem constitui, et inter se distingui per relationes.

Prob. prior pars prop. Per id enim recte dicitur, aliquo modo constitui Personas, et unam ab alia distingui, quod ex. intrinsecum, atque omnino proprium singularum Personarum: sed origines sunt intrinsecæ singulis Personis, earumque propriæ: generatio enim activa est intrinseca Patri, atque propria illius: simili ratione est intrinseca Filio, et propria illius generatio passiva, et spiratio passiva respectu Spiritus Sancti: ergo per origines constitui, et inter se distingui Personas, dici potest. Hinc etiam Patres aliquando explicarunt distinctionem Personarum per origines, aut per voces, quæ easdem origines significarent. Præter alios explicavit S. Augustinus lib. 5. *De Trinit.* num. 7. et 8. Fulgentius lib. *De Fide ad Petrum*, num. 3. et seqq. Damascenus lib. 3. *De Fide Orth.* cap. 7.

Prob. altera pars. Tum in Scriptura, tum in Patribus, tum in Conciliis nomina significantia relationes frequentius adhibita fuisse legimus ad divinas Personas singulariter designandas, quam nomina propria originum. Nam plerumque nomine Patris, et Filii primum, et secundam Personam SS. Trinitatis singulariter designari in Scriptura, Patribus, atque Conciliis, nimis perspicuum est. Unde Angelicus 1. p. quæst. 40. art. 2. „Melius (inquit) „dicitur, quod Personæ, seu hypostases distinguantur relatio„nibus, quam per originem: licet enim distinguantur utroque „modo; tamen prius, et principalius per relationes secundum „modum intelligendi." Quapropter etiam Bessarion in Oratione

(a) Cit. tom. col. 422.

habita in Florentino Concilio cap. 6. (a) „Quum relatio (in-
„quit) et origo, etsi secundum modum intelligendi differunt
„(siquidem origo significatur per modum actus, ut generatio;
„relatio vero per modum formæ, ut paternitas) re tamen non
„differunt; ideo utroque quidem modo distinguuntur divinæ Per-
„sonæ, prius tamen, et principaliter secundum modum intelli-
„gendi nostrum per relationes, per quas etiam constituuntur di-
„vinæ Personæ."

Relationibus ergo formaliter, atque, uti loquuntur, reduplicative acceptis, divinæ Personæ constituuntur, atque inter se distinguuntur. Quidquid enim uti quidpiam absolutum intelligimus in divinis, commune est tribus divinis Personis: at vero id, quo divinæ Personæ constituuntur, et ab invicem distinguuntur, non concipimus uti quid commune tribus Personis divinis: ergo non concipimus ut quid absolutum: restat ergo, ut illud concipiamus sub ratione relativi: igitur relativum quatenus tale est, divinas Personas constituit, atque inter se distinguit.

Quapropter quia quælibet Persona et unam, eamdemque essentiam communem, et proprietatem sibi singularem habet, recte dicitur, constitui Personas ex essentia, et relatione, seu proprietate personali, quia Persona præter essentiam complectitur etiam relationem. Hinc in fine sess. 19. Concilii Florent. hæc leguntur (b): „Persona constat ex divina substantia, et proprietate, et
„propterea nihil aliud est, quam substantia, et proprietas."

CAPUT QUINTUM.

De distinctione, quæ est inter relationes divinas.

Disput. 3. lib. 2. cap. 2. jam ostendimus, attributa relativa non distingui ab essentia divina: nunc ergo quærimus de distinctione inter ipsas relationes, seu attributa relativa. Hæc autem vel sunt sibi invicem opposita, sicut Paternitas, et Filiatio, vel inter se disparata, sicuti spiratio activa comparata cum Paternitate, atque Filiatione. De utrisque modo agemus.

Prop. 1. Relationes originis, quæ sibi mutuo opponuntur, videlicet, tum Paternitas, et Filiatio, tum Spiratio activa, et passiva, inter se realiter distinguuntur.

Prob. prop. Ea enim sunt inter se distincta realiter, quæ sibi invicem opponuntur: ergo relationes originis, quæ sibi mutuo opponuntur, inter se realiter distinguuntur oportet. Deinde eæ formæ sunt a se invicem distinctæ realiter, per quas Personæ divinæ a se invicem realiter distinguuntur: propter quod enim unum

(a) Tom. IX. Concil. edit. Hard. col. 347.
(b) Cit. tom. col. 226.

quodque tale, et illud magis, sicuti fert commune axioma: sed relationes oppositæ, quemadmodum in superiori capite ostendimus, sunt formæ, per quas divinæ Personæ a se invicem realiter distinguuntur: relationes igitur oppositæ inter se realiter distinctæ esse debent.

Dices. Juxta vulgatum axioma scholarum: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se:* sed relationes divinæ sunt idem realiter cum essentia divina: ergo sunt etiam idem inter se, neque realiter distinguuntur.

R. dist. axioma: quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, si sibi invicem comparata nullam oppositionem inter se habeant, conc., si habeant, neg. Relationes ergo divinæ sunt sane idem realiter cum essentia divina, secundum quam rationem inter se nullam oppositionem habent; tamen si sibi invicem comparentur, atque considerentur secundum esse *ad*, habent oppositionem inter se, et quidem maximam, quoniam, ut idem sit Pater, qui Filius, fieri nullo modo potest.

Prop. II. Divinæ relationes ab invicem non distinguuntur realiter, si sint disparatæ, uti sunt Paternitas, vel Filiatio, et Spiratio activa.

Prob. prop. In Concilio Lateran. sub Innocentio III. *De Sum. Trinit.* cap. *Damnamus* definitum legimus, in Deo non esse *quaternitatem*: si autem Paternitas, et Filiatio a Spiratione activa distinguerentur, in Deo foret rerum distinctarum quaternitas, scilicet, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, et Spiratio passiva: ergo. Deinde in divinis sunt omnia communia, ubi non obstat oppositio relationis, sicuti fert commune axioma, sed inter relationes disparatas nulla hujusmodi oppositio occurrit: ergo.

LIBER TERTIUS.

De divinis Personis universe, atque generatim.

Quemadmodum initio quæst. 29. p. 1. Angelicus animadvertit, iis semel præmissis, quæ quoad processiones, et relationes præcognoscenda esse videbantur, agendum est de divinis Personis et primo quidem universe, atque generatim, deinde vero singillatim de singulis. Hunc librum quatuor capitibus absolvemus: in 1. agemus de nominibus, quibus Patres Latini: in 2. de illis nominibus, quibus Patres Græci vocarunt Personas divinas: in 3. de subsistentiis divinis: in 4. de proprietatibus divinarum personarum.

CAPUT PRIMUM.

De nominibus, quibus Patres Latini vocarunt Personas divinas.

Plura sane hujusmodi nomina Petavius recenset *De Trinit.* lib. 4. cap. 2., nos magis præcipua commemorabimus. Inter hæc vero nomen Personæ primum locum habet: Romana Synodus sub Agathone scribens ad Constantinum Imperatorem profitetur unitatem quidem essentiæ, *Trinitatem vero Personarum*, sive *subsistentiarum* (a). Eamdem vocem a Latinis adhibitam vulgo fuisse secundum prædictam significationem, tum Synodus Alexand. sub Athanasio ann. 362. celebrata testatur (b), tum S. Hieronymus in epist. 15. ad Damasum num. 3, et S. Augustinus lib. 7. *De Trinit.* num. 7. eumdem usum Latinorum hisce verbis confirmat: „Itaque loquendi causa de ineffabilibus, „ut fari aliquo modo possemus, quod effari nullo modo possu„mus, dictum est a nostris Græcis una essentia, tres substantiæ: „a Latinis autem una essentia, vel substantia, tres *Personæ*." Hinc Concil. Lateranense IV. suam de Trinitate fidem hisce verbis explicavit: „Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, tres „quidem *Personæ*, sed una essentia, substantia, seu natura „simplex omnino (c)." Quemadmodum autem animadvertit Facundus Hermian. lib. 1. cap. 3. (d). „*Personarum* autem no„men, nonnisi quum Sabellius impugnaret Ecclesiam, necessa„rio in usum prædicationis assumptum est; ut qui semper tres „crediti sunt, et vocati, Pater, et Filius, et Spiritus Sanc„tus, uno quoque simul, et communi *Personarum* nomine vo„carentur."

Tres divinas Personas sub nomine substantiarum Patres aliquando designarunt, uti constat ex S. Augustino lib. 7. *De Trinit.* num. 8. ajente, quod „Propterea licuit loquendi, et disputandi ne„cessitate tres *personas* dicere, non quia Scriptura dicit, sed quia „Scriptura non contradicit." Quare num. 9. deinde tradit, humanam inepiam quæsivisse, quum ex Scriptura constaret Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum a se invicem distinctos existere, „Quid „tria diceret: et dixit substantias, sive personas, quibus no„minibus non diversitatem intelligi voluit, sed singularitatem „noluit; ut non solum ibi unitas intelligatur ex eo, quod di„citur una essentia, sed et Trinitas ex eo quod dicuntur tres

(a) Tom. III. Concil. edit. Hard. col. 1119.
(b) Tom. I. Concil. ejusd. edit. col. 734.
(c) Tom. VII. Concil. ejusd. edit. col. 15.
(d) In Collect. Sirmondi tom. 2.

„ substantiæ, vel *personæ*." Illud tamen in eodem lib. num. 10. monet idem S. Augustinus, dubitari posse, utrum nomen substantiæ de Deo recte dicatur, quia hujusmodi nomine id significatur, in quo alia, sicut in subjecto, insunt: „Nefas est autem dicere, ut (Deus) subsistat, et subsit bonitati suæ, atque „ illa bonitas non substantia sit, vel potius essentia... Unde manifestum est, Deum abusive substantiam vocari, ut nomine „ usitatiore intelligatur essentia." Hoc idem etiam alii Patres monuerunt, sicuti legere est apud Petavium *De Trinit.* lib. 4. cap. 2. num. 2. Quapropter quando ad tres Personas divinas designandas utimur nomine substantiæ, ab illius est notione secernendum id omne imperfectionis, quod in rebus creatis ipsa substantia habet.

Item nomine subsistentiarum Personas SS. Trinitatis appellatas aliquando fuisse, legimus. Synodus Romana sub Agathone, sicuti modo vidimus, tam trium personarum, quam trium subsistentiarum nomine Trinitatem æque designavit. Facundus Hermian. lib. 1. cap. 3. (a) loquendo de divinis Personis ita habet: „ Deinde etiam subsistentiæ dictæ sunt, quoniam Ecclesiæ placuit ad significandam Trinitatem et hoc nomen distinctioni personali tribuere." Hæc de nominibus præcipuis, quibus Latini usi fuere ad Trinitatem singulariter designandam.

CAPUT SECUNDUM.

De nominibus, quibus Patres Græci designarunt Personas divinas.

Duo sunt præcipua hujusmodi nomina, videlicet, *usia*, id est, essentia, et hypostasis. Nomen essentiæ Deo tribui non debere, duplici de causa nonnulli Patres Græci putarunt: 1. videlicet ob excellentiam summæ majestatis, quæ est supra essentiam, sicut Gregorius Nazianz. Orat. 12. dicit: 2. quia essentia secundum intellectionem Philosophorum subjecta est accidentibus, indeque substantia dicitur. Verum Cyrillus Alex. *De Sanct. Trinit.* Dal. 1. vocem essentiam recte dici de Deo, affirmat, quia *to on:* id est, *qui est Exodi* 3. 14. singulariter dicitur de Deo, et ab eo hæc vox, usia, seu essentia dimanat, eademque significari non singularem, individuamque substantiam, uti Philosophi putarunt, sed substantiam communem individuis, Scriptores Ecclesiastici censuerunt. Quemadmodum autem Petavius loco supra citato animadvertit, apud Patres sensus hujus vocis unus, idemque non fuit.

Quod spectat vero ad nomen hypostasis, cum eodem Peta-

(a) Apud Sirmondum cit. loco.

vio animadvertimus, plures Patres tam Græcos, quam Latinos usiam, seu essentiam nomine hypostasis designatam voluisse, contra alios et numero, et antiquitate superiores usiam, seu essentiam ab hypostasi distinxisse, et illa naturam, ista personam significari, putasse.

Quamvis autem post sec. IV. Patres tum Græci, tum Latini nomen hypostasis non pro essentia vulgo acceperint, sed pro persona, tamen sec. IV. de significatione hujus nominis Antiochiæ controversia gravis exarsit, sicuti testatur S. Basilius epist. 224. num. 4., alias epist. 349., quum alii unicam, et singularem hypostasim in Deo profiterentur, alii autem tres. In Synodo Alexandrina, quam Athanasius, Eusebius Vercellensis, atque alii celebrarunt, de ista unius, triumve hypostaseon quæstione disputatum fuit, ut schisma solummodo positum in diversa significatione, qua vox hypostasis accipiebatur, e medio tolleretur. Id refert Athanasius in epist. Synodica (a), in qua hortatur Episcopos, qui commorabantur Antiochiæ, ut ad unitatem concordiæ revocent omnes Catholicos, sive unam, sive tres hypostases in Deo ponerent, dummodo a Nicæna professione non discordarent. Affirmat autem idem Athanasius, se quæsivisse ab iis, qui tres hypostases admittebant, quo sensu easdem admitterent, utrum videlicet Arianorum, an alio? eos tradit respondisse, se admittere tres hypostases, quia Trinitatem non voce tenus profitebantur, sed vere, et realiter, ita ut Pater vere esset, atque subsisteret, vere esset, atque subsisteret tum Filius, tum Spiritus Sanctus, nec propterea se admittere tres Deos, sed Trinitatem in una essentia. Istorum fidei ratione probata, superaddit, similiter quæsivisse ab aliis, qui unam hypostasim admittebant, utrum eo sensu illam admitterent, quo Sabellius admittebat, ita ut Filium *substantia carentem*, et Spiritum Sanctum *non subsistentem* assererent? longe aliter se sentire, eos respondisse, dicit, atque affirmasse, se admittere unicam hypostasim, quia tum essentiæ, tum hypostasis unam eamdemque significationem esse, putabant. Hisce perspectis, judicatum fuit, ad Catholicam communionem utrosque æque spectare.

Tamen ista discordia, videlicet tum eorum, qui tres, tum aliorum, qui unam hypostasim admittendam tuebantur, Antiochiæ non omnino Hieronymi tempore sublata erat: ipse enim epist. 57. ad Damasum testatur, a Syris et Antiochenis se aliqua passum fuisse, quia tres hypostases admittere renueret, veritus, ne sub nomine hypostasis usia, seu essentia intelligeretur, indeque post multa, quæ in hanc rem habet, Damasum rogat, ut sibi constituat, quid ipse servare hac in re debeat.

Hæc omnia tum in isto, tum in superiori capite contenta,

(a) Tom. I. Concil. edit. Harduini col. 734

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

putavi esse animadvertenda, ut constaret, quo sensu accipi debeant varii loquendi modi, quibus Patres tum Latini, tum Græci Trinitatem Personarum, et unitatem naturæ divinæ expresserunt, atque præterea nunc colligo 1. Græcos per plures annos non admisisse loquendi rationem, quam tenuerunt Latini de tribus Personis, et una essentia in Trinitate: 2. pariter Latinos noluisse recipere de tribus hypostasibus, et una essentia Græcorum dicendi modum: utrosque autem dissensisse inter se non quoad rem, sed quoad significationem nominum.

CAPUT TERTIUM.

De divinis subsistentiis.

Subsistentia, prout vulgo definiri solet, est ultimus terminus substantiæ, quo fit, ut ipsa subsistat in se, et fiat incommunicabilis alteri. Unicam in Deo esse subsistentiam absolutam, nullam vero relativam, sunt qui volunt: alii autem unam absolutam, et tres relativas admittunt, cum quibus est nos sentimus.

Prop. I. Tres subsistentiæ sunt in Deo.

Prob. prop. Synodus V. OEcumenica Collat. 8. anath. 1. (a) *Si quis* (inquit) *non confitetur unam Deitatem in tribus subsistentiis, seu personis adorandam, anathema sit.* Sophronius Patriarcha Hierosolymit. in epist. (b) quæ exscribitur, et probatur Act. 11. Synodi VI. *Trinitatem itaque* (ait) *in unitate credimus, et unitatem in Trinitate glorificamus: Trinitatem quidem pro tribus subsistentiis, unitatem autem propter singularitatem Divinitatis.* In his quidem locis sumitur in concreto nomen subsistentiæ, hoc est, pro persona; tamen quum propter subsistentiam persona fiat individua, inde est, ut tot esse debeant subsistentiæ, quot personæ, indeque nomen subsistentiæ, et personæ, habita ratione numeri, sub una significatione aliquando acceptum fuit.

Et quidem nemo diffitetur, omne absolutum, quod in Deo est, nullimode multiplicari posse: omnia enim in Deo sunt unum, et idem, ubi non obstat oppositio relationis: sed subsistentia multiplicatur in Deo pro numero personarum, et personæ sunt tres: ergo tres quoque sunt subsistentiæ.

Prop. II. Tres istæ subsistentiæ sunt relativæ.

Prob. prop. Nam sola relativa multiplicantur in Deo, ut constat ex iis, quæ de relationibus modo disseruimus: sed plures sunt subsistentiæ: ergo eæ sunt relativæ. 2. Quando Verbum

(a) Tom. III. Concil. edit. Hard. col. 194.
(b) Cit. tom. col. 1262.

caro factum fuit, conjunctio humanæ naturæ cum Deo facta est in subsistentia Verbi, quemadmodum legimus definitum in Synodo VI. Act. 8. (a): at hæc unio nonnisi in subsistentia relativa fieri potuit: si enim facta fuisset in subsistentia quadam communi, et absoluta, tres simul personæ assumpsissent carnem: ergo subsistentia relativa in Filio debet admitti: si autem in Filio, eodem jure, eodemque principio etiam in Patre, et Spirita Sancto.

Dices. Relatio uti fundamentum sui supponit naturam jam subsistentem: ergo subsistentia relativa dari non potest.

R. Verum esse ant., si de relatione accidentali sermo sit, non vero de substantialibus, quales sunt divinæ relationes, sicut jam vidimus: istæ enim ab essentia non distinguuntur.

Prop. III. Præter tres subsistentias relativas subsistentia absoluta, atque communis in Deo admitti debet.

Quædam sunt præmittenda, antequam propositionem ostendamus: 1. Constat penes omnes, divinam essentiam, ut in se præintellectam ante divinas relationes, esse subsistentem, si nomine subsistentis id accipiatur, quod non indiget alio subjecto, cui inhæreat: 2. Esse similiter subsistentem, si id dicatur subsistens, quod alio, sicuti principio, non indiget: 3. Dubitari non posse, quin divina essentia intellecta in illo priori, de quo nunc quæritur, subsistat communicabiliter, quia si non esset communicabilis, nullæ darentur processiones divinæ. Disputatur ergo solum inter scholasticos, utrum essentia divina præintellecta ad relationes habeat subsistentiam absolutam, qua fiat per se existens, non vero qua etiam incommunicabilis evadat: quod est alterum munus subsistentiæ, illudque in naturam divinam nullo modo cadere potest.

Prob. prop. Auctoritate S. Augustini inquientis lib. 4. *De Trinit.* num. 9. *Omnis res ad se ipsam subsistit, quanto magis Deus?* Pluribus in locis tradit Angelicus, quod nos modo tuemur: in I. *Sent.* dist. 21. quæst. 2. art. 1. hæc habet: *Iste terminus Deus prædicat naturam divinam de tribus Personis, quæ etiam in se est habens esse subsistens, nulla Personarum distinctione intellecta.* IV. *Cont. Gent.* cap. 14. „Sunt igitur „(inquit, videlicet in Deo) plures res subsistentes, si relationes „considerentur: est autem una res subsistens, si consideratur es„sentia. Et propter hoc dicimus, unum Deum esse, quia est „una essentia subsistens, et plures Personas propter distinctionem „subsistentium relationum." Hoc idem confirmat pluribus quæst. 9. *De Poten.* art. 5. ad 13.

Quamvis autem natura divina dicatur subsistens absoluta subsistentia pro priori ad relationes, non tamen est, aut dici po-

(a) Cit. tom. col. 1154.

test suppositum, vel persona. Suppositum enim, vel persona habet subsistentiam adæquate, et quantum ad utrumque munus, videlicet, tum subsistentiæ in se, tum distinctionis ab alio, atque incommunicabilitatis. Priorem effectum subsistendi in natura divina admittimus pro priori ad relationes, non autem alterum, propterea que subsistentem dicimus, non vero suppositum, vel personam.

CAPUT QUARTUM.

De proprietatibus Personarum divinarum.

Inter proprietates Personarum divinarum vulgo recensentur appropriatio, æqualitas, circuminsessio, notiones, et missio. De his omnibus nunc agemus in 5. §§. distinctis.

§. I.

De appropriationibus in divinis.

Appropriatio, de qua nunc agimus, consistit in quadam loquendi ratione, qua prædicatum absolutum, atque commune uni alicui ex tribus Personis divinis ad majorem manifestationem illius singulariter tribuitur.

Prop. De hac appropriatione constat auctoritate Patrum, et Scripturæ.

Prob. prop. Animadvertit Angelicus 1. p. quæst. 39. art. 8. intellectum nostrum, qui ex cognitione rerum creatarum venit in cognitionem Dei, in ipsa consideratione Dei eum modum sequi debere, quem servat in consideratione rerum creatarum. 1. Itaque intellectus considerat rem creatam absolute, quatenus est quoddam ens: 2. Quatenus est una: 3. Quatenus virtus ad operandum illi inest: 4. Quatenus habet aliquem respectum ad producta. Hæc autem quadruplex consideratio etiam quoad Deum menti nostræ obversatur. Quare secundum primam considerationem, qua Deus absolute respicitur secundum suum esse, locum habet appropriatio Hilarii lib. 2. *De Trinit.* num. 1., juxta quam *æternitas* Patri, *species* Filio, *usus* Spiritui Sancto tribuitur. Æternitas igitur, quatenus respicit id, quod non habet principium, cum proprietate Patris, quatenus est principium sine principio, similitudinem habet. Species autem, sive pulchritudo habet similitudinem cum proprietatibus Filii. Tria enim ad pulchritudinem requiruntur: 1. Integritas, sive perfectio: 2. Debita proportio: 3. Claritas, indeque quæ sunt nitida, dicuntur esse singulariter pulchra. Hæc autem tria præciputo modo cadunt in Filium: primum quidem, quatenus naturam Patris vere, perfecteque habet: alterum; quatenus est expressa imago Patris: ter-

tium; quatenus est Verbum Patris, quod lux, et splendor intellectus a Damasceno lib. 1. *De Fide Orth.* cap. 18. vocatur.

Usus autem cum proprietate Spiritus Sancti similitudinem habet, si accipiatur usus, quatenus fruitionem complectitur: nam usus, quo Pater, et Filius sese invicem fruuntur, convenit proprie Spiritui Sancto, quatenus est amor.

2. Consideratur Deus, prout est unus, et secundum hanc rationem Augustinus lib. 1. *De Doctr. Christ.* num. 5. *Patri unitatem* appropriat, Filio *æqualitatem*, Spiritui Sancto *unitatis, æqualitatisque concordiam*, sive *connexionem*. Simpliciter, absolutequc dicitur unitas, quia cujusvis alterius rei suppositionem excludit, indeque est propria Patris, qui non præsupponit aliam personam, et est principium sine principio. *Æqualitas* autem unitatem dicit positam in respectu ad alterum, ideoque æqualitas singulariter dicitur de Filio, qui est principium de principio. *Concordia* autem includit in se unitatem aliquorum duorum: unde appropriatur Spiritui, quatenus est a duobus.

3. Consideratur Deus prout est virtute præditus ad agendum: et juxta hanc rationem potentia Patri, sapientia Filio, et bonitas Spiritui Sancto singulariter tribuitur, sicut etiam habetur *Marci* 4. 36. *Lucæ* 11. 49., item eodem cap. v. 13. Hæ autem appropriationes fiunt in divinis secundum quamdam rationem similitudinis: nam potentia habet rationem principii, adeoque et similitudinis cum Patre, qui dicitur principium: sapientia cum Filio, quatenus est Verbum: bonitas, quæ est ratio, et objectum amoris, cum Spiritu Sancto, qui est amor.

4. Deus consideratur respectu suorum effectuum, et secundum hanc rationem illud: *ex quo omnia* Patri, *per quem omnia* Filio, *in quo omnia* Spiritui Sancto tribuitur juxta illud Apostoli *Rom.* 11. 36. *ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*. Ex Patre sunt omnia, quatenus est principium sine principio: per Filium sunt omnia, quia est sapientia, per quam Deus operatur: in Sancto Spiritu sunt omnia, quatenus omnia continentur in bonitate Dei, et Spiritus Sanctus est singulariter ipsa bonitas.

§. II.

De æqualitate divinarum Personarum.

Prop. Necesse est ponere æqualitatem inter Personas divinas.

Prob. prop. Æqualitas inter ea potissimum poni debet, quæ unam, eamdemque numero essentiam sine ulla divisione, aut partitione illius habent: hac enim æqualitate dari non potest aliqua alia major: sed divinæ Personæ unam, eamdemque numero essentiam absque ulla divisione, aut partitione illius habent: igitur necesse est ponere æqualitatem inter divinas Personas.

Dices. Licet Personæ divinæ sint æquales secundum essentiam, inæquales tamen dici possunt, si attendatur ad relationes: ergo aliqua inæqualitas in Personis divinis semper occurrit.

R. Cum Angelico 1. p. quæst. 42. art. 1. „Quod in divinis „Personis nihil est considerare nisi essentiam, in qua commu„nicant, et relationes, in quibus distinguuntur. Æqualitas autem „utrumque importat, scilicet, distinctionem Personarum, quia „nihil sibi ipsi dicitur æquale, et unitatem essentiæ, quia ex „hoc Personæ sunt sibi invicem æquales, quod sunt unius mag„nitudinis, et essentiæ."

§. III.

De circuminsessione in divinis.

Circuminsessio, quæ nunc ponitur a nobis in Personis divinis, nihil est aliud, quam mutua sessio, vel inhabitatio, qua una persona non minus in altera, quam in se esse dicitur. Est autem duplex circuminsessio spectata in se, videlicet perfecta, qua duo ita sibi invicem insunt, ut sese mutuo pervadant, et usquequaque penetrent, nec unum sit ullibi extra alterum: imperfecta autem est eorum, quæ ita sibi invicem insunt, et unum altero latius pateat. Hujusmodi circuminsessionem inter duas Christi naturas Gregorius Nazianz. Orat. 51. agnovit. Non de hac altera, sed de priori circuminsessione nunc agimus: ab ea sane, sicut jam multi animadverterunt, duo gravissima dogmata Christianæ religionis proficiscuntur, unum contra Arium, alterum contra Sabellium: nam si Pater est in Filio, et Filius vicissim est in Patre, sequitur contra Arium, esse Filium Patri consubstantialem, sequitur etiam contra Sabellium, Patrem, et Filium non unam esse personam, sed duas inter se distinctas. Hinc S. Cyrillus in lib. *Thesauri* Assert. 12. ita habet: „*Ego in Patre, et Pater* „*in me*, ut per hoc, quod hic quidem in illo, ille vero in hoc „appareat, identitatem Deitatis, et essentiæ unitatem demons„tret; utque per id, quod alter in altero, non unum numero „esse intelligatur, quod aliquando Pater, aliquando Filius vo„cetur, sed vere, et hypostatice existere Patrem, vere etiam, „atque hypostatice existere Filium, manifestissime ostendat (a)."

Prop. Admittenda est circuminsessio divinarum Personarum.

Prob. prop. *Joan.* 14. 8. Philippo Christum ita roganti: *ostende nobis Patrem*, respondit ipse Christus v. 10. et seq. „Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Pater „autem in me manens ipse facit opera. Non creditis, quia ego

(a) Vid. Angelicus lib. 4. *Cont. Gent.* cap. 9.

„ in Patre, et Pater in me est?" Hinc Angelicus lib. 4. *Cont. Gent.* cap. 9. num. 4. „Quum essentia Patris (inquit) sit in „ Filio, et essentia Filii in Patre, eo quod una est essentia „ utriusque, ut fides Catholica docet, sequitur manifeste, quod „ Pater sit in Filio, et Filius sit in Patre." Et re quidem vera Patres hanc de divinarum circuminsessione Personarum doctrinam in essentiæ unitate, sicut in quodam fundamento, reposuerunt, videlicet, S. Athanasius Orat. 4. *Cont. Arian.* num. 17. S. Basilius epist. 38. num. 4., alias epist. 43. S. Hilarius lib. 3. *De Trinit.* num. 1., S. Augustinus lib. 6. *De Trinit.* num. 12. dicens: „in illa Summa Trinitate tantum est una, „ quantum tres simul, nec plus aliquid sunt duæ, quam una, „ et in se infinita sunt. Ita et singula sunt in singulis, et om„ nia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, „ et unum omnia. Qui videt hoc vel ex parte, vel per specu„ lum, et in ænigmate, gaudeat cognoscens Deum, et sicut „ Deum honoret, et gratias agat: qui autem non videt, tendat „ per pietatem ad videndum, et non per cæcitatem ad calum„ niandum." Legatur etiam S. Fulgentius *De Fide ad Petrum* num. 4. Ex quibus omnibus ita: illa sane sunt in se invicem, ita ut unum sit in alio, et aliud vicissim in illo uno, quæ eamdem numero, atque indivisibilem essentiam habent: hæc enim a se invicem separari non possunt, et ubi est unum, esse quoque alterum debet: sed tres Personæ Divinæ habent unam, eamdemque essentiam indivisibilem: ergo.

Dices I. Paternitatem esse in Filio dici non potest: ergo neque etiam Pater secundum omnem rationem sui potest esse in Filio. Idem dicendum de Filiatione quoad Patrem.

R. dist. ant., Paternitas non potest esse in Filio per modum formæ, et relationis personalis, conc., non potest esse in Filio, quatenus ea est unum cum essentia divina, neg.: in Patre, quatenus est Pater, una cum divina essentia est etiam Paternitas, sed tamen per modum formæ, et proprietatis personalis. Hoc autem modo non est in Filio, sed in eo est tantum per simplicissimam identitatem cum essentia, indeque in Filio non est simpliciter Paternitas, prout ea habet rationem personalis proprietatis, sed quatenus cum essentia identificatur.

Est ergo in Patre proprietas Filii, et in Filio proprietas Patris, tamen non quatenus proprietas Filii distinguit Filium a Patre, et proprietas Patris eum distinguit a Filio, et utraque proprietas est singularis modus, quo essentia divina est in Patre, et in Filio, sed quatenus eæ proprietates sunt eadem res cum substantia communi. Unde tres esse divinas Personas dici debet, inquit Damascenus lib. 3. *De Fide Orth.* cap. 5. *Quamvis enim per se quæque subsistat, hoc est, perfecta sit hy-*

postasis, et suam proprietatem, hoc est, diversum existendi modum habeat; tamen unitæ sunt essentia, et naturalibus proprietatibus.

C. Quæ sese invicem excludunt, in se mutuo esse non possunt: sed Personæ SS. Trinitatis sese invicem excludunt ob oppositiones relativas: ergo.

R. dist. maj. si absolute secundum omnem rationem se excludant, conc. si se excludant secundum aliquam rationem ob oppositiones relativas, neg. Est ergo certum apud omnes, et nos quoque supra ostendimus (a), attributa relativa nullo modo realiter distingui ab essentia divina: unde secundum hanc rationem in eo, in quo est essentia divina, sunt etiam attributa relativa. De eo quoque dubitandum non est, divinas Personas constitui relationibus (b), propterea que relationes, uti modo dicebamus, considerari possunt uti formæ, et personales proprietates, et secundum hanc rationem sese invicem excludunt. Qua ratione hoc totum contingat, intellectu assequi non possumus, intelligitur tamen ita contingere debere.

Dices II. cum Wolzogenio in *Præp. ad utilem lect.* lib. Vet. Testam. cap. 8. (c) 1. circuminsessionem in mentem hominis cadere non posse: 2. neminem intelligere valere, non confundi personas per internam *immeationem* illarum: 3. necessario futuras tres Trinitates, si in qualibet persona est tota Trinitas: 4. semel ac quælibet persona est in tota Trinitate, vicissim totam Trinitatem esse debere in qualibet persona, et in tota Trinitate: 5. tres personas *digressas* esse consequitur, semel ac Filius Dei e cœlo descendisse dicatur, Spiritus Sanctus super Christum in Jordane, et Patrem in cœlo remansisse.

R. ad hæc omnia paucis: circuminsessio itaque cadere debet in catholicam mentem, quæ pro certo habet, unam, eamdemque esse numero essentiam trium divinarum Personarum. Hæ autem Personæ divinæ quum ob oppositas relationes inter se distinguantur, licet una sit illarum essentia communis, quamvis etiam proprietates communes sint eædem, tamen propter internam immeationem non confundentur.

In qualibet autem Persona divina est tota Trinitas, quatenus est una eademque numero essentia trium divinarum Personarum, non quatenus sint in singulis personis proprietates personales, quibus tres divinæ Personæ inter se distinguuntur, adeoque esse tres Trinitates, nullo modo dici potest.

Similiter nulla ratione dici potest, Trinitatem esse in Trinitate, quia Trinitas constituitur non solum essentia, et com-

(a) Disp. 3. De Div. Att. lib. 2. cap. 2.
(b) Vid. hujus Disp. lib. 3. cap. 4.
(c) Tom. 8. Bibl. Frat. Polon.

munibus proprietatibus, sed etiam personalibus, quæ, prout sunt propriæ, communicari non possunt, et hac de causa multiplicari non potest Trinitas, seu Trinitas esse in Trinitate.

Tunc autem Personas divinas esse *digressas* inde consequeretur, quia Filius in hunc mundum venit, Spiritus Sanctus descendit super Christum, et Pater in cœlo mansit, quando tum Filius, tum Sanctus Spiritus in cœlo esse desiissent, et solutum fuisset vinculum mutuæ circumsessionis: verum illud non fuit solutum, et una eademque numero semper fuit essentia trium divinarum Personarum.

§. IV.

De notionibus Personarum divinarum.

Notio, sicut ait Angelicus 1. p. quæst. 32. art. 3., est *propria ratio cognoscendi divinam Personam*, seu character, aut forma quædam peculiaris, qua cognoscimus Personas divinas, et ab invicem distinguimus. In Sacris litteris nulla quidem mentio fit de notionibus, fit tamen in eis mentio de personis, quas exprimunt ipsæ notiones. Easdem tamen, sicuti etiam formas, et characteres, quibus divinæ Personæ distinguuntur inter se, etiam Veteres admisisse, Petavius ostendit lib. 4. *De Trinit.* in Proœmio num. 2. et seqq.

Vera notio tria requirit: 1. ut exprimat perfectionem, et dignitatem personæ: 2. aliquid peculiare, et proprium illius, per quod distinguatur ab aliis: 3. ut respiciat originem, quia in divinis id tantum est peculiare, atque inducens distinctionem, quod pertinet ad originem.

Notiones in Deo admitti debere, omnes consentiunt, quinque autem eas esse, plerique tenent. Scotus innascibilitatem in Filio superaddit hisce quinque vulgo receptis notionibus, videlicet, innascibilitati, paternitati, filiationi, spirationi activæ, et spirationi passivæ.

Prop. 1. Notiones admitti debent in Deo.

Prob. prop. Notio est propria ratio cognoscendi divinam Personam, seu peculiaris character, quo unaquæque Persona constituitur, et distinguitur ab aliis: sed hujusmodi vocibus, sive nominibus singulæ divinæ Personæ designari debent, prout ex Sacris litteris novimus, et a Patribus traditum accepimus: nam prima Persona dicitur Pater, atque generans, altera Filius, et genita, tertia Spiritus Sanctus, et procedens: igitur admitti debent notiones in divinis.

Angelicus 1. p. quæst. 32. art. 2. advertit, notionibus semel admissis, satisfieri etiam hæreticis: „Quum enim confitea„mur, (inquit) Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum esse

„ unum Deum, et tres Personas, quærentibus quo sunt unus „ Deus, et quo sunt tres, sicut respondetur, quod sunt essen- „ tia, vel Deitate unum; ita oportuit esse aliqua nomina abs- „ tracta, quibus responderi possit, personas distingui: et hu- „ jusmodi sunt proprietates, vel notiones in abstracto significan- „ tes, ut Paternitas, et Filiatio."

Prop. II. Notiones in divinis sunt quinque, videlicet, Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa et Spiratio passiva.

Prob. prop. Notio est propria ratio cognoscendi divinam Personam: divinæ autem Personæ secundum originem multiplicantur: ad originem vero pertinet: *a quo alius, et qui ab alio*, et secundum hanc duplicem rationem potest innotescere Persona. Profecto Persona Patris non potest innotescere per hoc, quod ab alio sit, sed per hoc, quod a nullo sit, atque ex hac parte exurgit notio innascibilitatis. Quatenus autem duo sunt ab eodem, notio duplex exurgit, hoc est, notio Paternitatis, quatenus ab illo est filius, et quatenus est Spiritus Sanctus, notio communis inspirationis. Filius autem per hoc innotescere potest, quod est ab alio per generationem, indeque per filiationem innotescit, sicuti etiam per spirationem communem, quemadmodum Pater, quatenus alius, hoc est, Spiritus Sanctus est ab illo. Spiritus Sanctus innotescere potest per hoc, quod est ab aliis, ac propterea per spirationem innotescit: non autem per hoc, quod alius sit ab eo, quia nulla Persona divina ab eodem procedit.

Persona itaque Patris triplici notione exprimitur, videlicet Innascibilitate, Paternitate, et Spiratione activa: Persona Filii duplici, hoc est, Filiatione, et Spiratione activa illi communi cum Patre: Spiritus Sanctus una tantum, nempe Spiratione passiva, seu simplici processione. Neque enim illius inde esse potest notio singularis, quod nulla alia Persona sit ab ipso, sicut est notio singularis Patris, ut ipse non sit ab alio: siquidem ad notionem requiritur, sicuti jam monuimus, ut exprimat perfectionem, atque dignitatem personæ: quod autem nulla Persona sit a Spiritu Sancto: hoc *non pertinet ad dignitatem ipsius, sicut pertinet ad auctoritatem Patris, quod sit a nullo*, sicut advertit Angelicus 1. p. quæst. 32. art. 3. ad 4.

Dices. Negatio non potest esse notio alicujus Personæ divinæ: per notionem enim in cognitionem personæ devenimus: negatio autem id præstare non potest: sed innascibilitas est aliquid negativum: ergo.

R. dist. maj., negatio, quæ non innititur super aliquid positivum, conc., quæ innititur, neg.: Est ergo innascibilitas aliquid negativum, tamen super quidpiam positivum innititur, hoc est, super illud, quod prima Persona sit a se, et principium, ut dicunt, non de principio, quum e contrario secunda, et ter-

tia Persona sint ab alio, tamquam a principio originis.

C. Saltem Spiratio activa Patri, Filioque communis non est recensenda inter notiones, quæ proprium, et singularem characterem debent exhibere: ergo.

R. dist., proprium, et singularem characterem, habita ratione omnium, qui respiciuntur, conc., habita ratione singulorum, neg. Spiratio activa proprium characterem Patris, et Filii solummodo exhibet, ideoque est notio singularis, si omnium trium divinarum Personarum ratio habeatur. Hoc autem sufficit ad veram rationem notionis.

Illud nunc est advertendum, ista, videlicet relationes personarum, notiones personarum, proprietates personarum, et proprietates personales, non esse unum, atque idem: relationes enim personarum sunt tantum quatuor, non vero quinque, sicuti sunt notiones: innascibilitas enim spectata simpliciter non est relatio. Notio autem unius, vel duarum personarum proprium characterem exhibet, indeque recensetur inter notiones etiam spiratio activa, quæ est communis Patri, et Filio. Hinc spiratio activa non est proprietas personæ, sed personarum, proptereaque proprietates personæ sunt tantum quatuor videlicet, Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, et Processio. Tandem proprietates personales, quibus ipsa persona constituitur, sunt tres, scilicet, Paternitas, Filiatio, et Processio: nam Spiratio communis est quidem notio Patris, et Filii, non tamen proprietas personæ, quia duobus convenit. Sicut etiam innascibilitas, licet sit propria Patris, cujus est etiam notio, tamen proprietas personalis dici non debet, quia non constituit personam.

§. V.

De missione Personarum divinarum.

Missio est processio unius personæ ab alia in ordine ad effectum aliquem exterius de novo producendum. Unde missio complectitur duos respectus, scilicet, et ad mittentem, et ad terminum ipsius missionis; juxta priorem respectum designat processionem missi a mittente: missio enim refertur ad originem, quatenus persona procedens mittitur a persona, a qua procedit: juxta alterum designatur terminus, ad quem mittitur eadem persona procedens, quæ in illo incipit esse aliquo modo, quo prius non erat.

Sicuti vero Angelicus 1. p. quæst. 43. art. 1. animadvertit, per hoc, quod aliquis ab altero mittitur, missi a mittente quædam processio consequitur vel secundum imperium, vel secundum consilium, vel secundum originem: et hac ratione flos ab arbore procedit. „Missio igitur divinæ Personæ (prosequitur

„ Angelicus) convenire potest secundum quod importat ex una „ parte missionem originis a mittente, et secundum quod im- „ portat ex alia parte novum modum existendi in alio. Sicut „ Filius dicitur esse missus a Patre in mundum, secundum quod „ incœpit in mundo esse per carnem assumptam." Hinc in eodem art. in resp. ad 1. monet Angelicus, missionem, vel secundum imperium, vel secundum consilium secum ferre imperfectionem, non vero illam, quæ est secundum originem, quia hæc in se includit æqualitatem. Unde S. Augustinus lib. 4. *De Trinit.* num. 27. „ Si „ autem (inquit) secundum hoc missus Filius a Patre dicitur, „ quia ille Pater, ille Filius, nullo modo impedit, ut creda- „ mus æqualem Patri esse Filium, et consubstantialem, et co- „ æternum, et tamen a Patre missum Filium. Non quia ille „ major est, ille minor: sed quia ille Pater, ille Filius."

Quare attendi debet, longe esse diversam missionem in creatis, et in divinis: in creatis enim missus ponitur extra mittentem: mittitur enim ad locum, in quo neque ipse, neque mittens antea erat: in divinis autem tum missus, tum mittens antea erant in eo loco, quem ipsa missio respicit, solumque diverso modo incipit in eodem loco ille esse, qui mittitur, sicut tradit Angelicus in cit. art. ad 2. Et Augustinus lib. 2. *De Trinit.* num. 8. „ *Quod ergo de Deo natus est, in hoc mundo erat: quod autem de Maria natus est, in hunc mundum missus advenit.*"

Tandem advertatur oportet, ex eo quod missio sit solummodo secundum processionem originis, divinam Personam ab ea tantum mitti dicendum esse, a qua per originem procedit: hinc Pater, quia a nullo procedit, non habet, a quo mittatur, et Spiritus Sanctus non habet, quem mittat, quia ab ipso nulla persona procedit. Filium quidem non solum a Patre, sed etiam a se ipso, vel a Spiritu Sancto missum, Patres aliquando dixere, sicuti legere est apud Petavium *De Trinit.* lib. 8. cap. 1. num. 9. et seq., verum uti habet Angelicus 1. p. quæst. 43. art. 8. „ quum dicitur aliqua persona mitti, designatur et ipsa persona „ ab alio existens, et effectus visibilis, seu invisibilis, secundum „ quem missio divinæ Personæ attenditur. Si igitur mittens designetur „ ut principium personæ, quæ mittitur, sic non quælibet persona „ mittit, sed solum illa, cui convenit esse principium illius per- „ sonæ: et sic Filius mittitur tantum a Patre, Spiritus Sanctus „ autem a Patre, et Filio. Si vero persona mittens intelligatur „ esse principium effectus, secundum quem attenditur missio: sic „ tota Trinitas mittit personam missam." Juxta hanc autem acceptionem Filium etiam a Spiritu Sancto missum esse, Patres aliquando dixerunt.

Prop. Admitti debet in divinis missio divinarum Personarum.

Prob. prop. Christus *Joan.* 8. 16. suum testimonium verum esse inde confirmat, quia erat testimonium Patris, a quo ipse missus fuerat: *Judicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, et qui misit me Pater. Joan.* 10. 36. *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum.* Paulus *ad Galat.* 4. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Christus autem *Joan.* 16. 7. Spiritum Sanctum se missurum esse pollicetur. Constat igitur ex Sacris litteris de missione divinarum Personarum, neque opus est, ut in hanc rem loca Patrum in medium afferamus.

Missio autem divinarum Personarum, sicuti Angelicus advertit 1. p. quæst. 43. art. 2., secundum unam rationem est æterna, secundum alteram temporalis: æterna quidem, si processio originis spectetur: Filius enim ab æterno ad intra processit: temporalis autem, quatenus respicit exitum personæ procedentis a mittente: et in hoc proprie consistit missio personæ ad aliquem temporalem effectum; ita Filius missus fuit in tempore, et ut esset visibiliter homo, et ut esset etiam invisibiliter in homine.

Missio autem temporalis alicujus personæ est duplex: una visibilis, altera invisibilis: erit quidem visibilis, si effectus producendus fiat visibiliter: hujusmodi autem fuit missio Filii per incarnationem, et Spiritus Sancti sub specie linguarum super Apostolos. Si vero effectus producendus sit invisibilis, missio quoque invisibilis erit: et hujus generis est missio Filii, et Spiritus, quando per gratiam, et dona effunduntur super homines. Plura de utraque missione Angelicus docet in cit. quæst. 5. 6. et 7.

LIBER QUARTUS.

De Mysterio SS. Trinitatis, habito respectu ad humanam rationem.

Explicatis iis, quæ præmittenda putavimus, ut eo saltem modo, quo nunc potest, Personæ divinæ cognoscerentur, nunc agere instituimus de Mysterio SS. Trinitatis, in quo unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate credere, atque venerari debemus. Quo humana ratio pertingere in hujus mysterii cognitione possit, in isto libro constituemus: in 1. cap. disseremus de insufficientia humanæ rationis in toto negotio mysterii Trinitatis: in 2. de insufficientia ejusdem humanæ rationis quoad idem mysterium, etiamsi lumen fidei supponatur: in 3. de ignoratione mysterii Trinitatis, in qua Ethnici fuerunt: in 4. de commentitia oppositione, quam aliqui esse confinxerunt inter hoc mysterium, et ipsam rationem.

CAPUT PRIMUM.

De insufficientia humanæ rationis in hoc toto negotio mysterii SS. Trinitatis.

Ante ea, quæ in hoc capite, et in tribus sequentibus sumus disputaturi, illud nunc præmittimus, aliquam veritatem aut positive, aut negative demonstrari posse: positive ea demonstratur, quando certis principiis ab ipsa ratione ductis ostenditur: negative autem, dum vindicatur ab iis, quæ contra objiciuntur, et tunc minus proprie probari dicitur. Rursus positive probari potest aut ratione verosimili, atque per conjecturam, aut certa, et evidenti, qua posita, habetur demonstratio proprie dicta.

Humanam ergo rationem per se non posse pertingere ad cognoscendum Mysterium SS. Trinitatis in hoc articulo contra eos ostendemus, qui illud eidem pervium esse putarunt: ita sensit sec. 5. Claudianus Mamertus lib. 2. *De statu animæ* cap. 7., Petrus Abælardus sec. 12., teste S. Bernardo epist. 187., 188., et 330., ac celebris Raymundus Lullus sec. 13. Id ipsum sensit etiam Richardus Victorinus *De Trinit.* lib 4. cap. 4. et alibi. Petrus autem Poiretus mysterium Trinitatis methodo mathematica demonstrare non ita pridem tentavit in *Cogitat. Rational. de Deo etc.* lib. 8. cap. 8. Verum non defuit, qui Sabellianismi illum accusaverit (a).

Prop. Mysterium SS. Trinitatis rationem humanam longe transcendit, et naturali lumine rationis cognosci non potest.

Prob. prop. Ut mysterium SS. Trinitatis perspectum sit, generationem quoque Filii oportet esse perspectam: sed hæc sine divina revelatione non potest esse perspecta: ergo. Prob. min. *Isaiæ* 53. 8. enarrari non posse dicitur generationem illius. *Matt.* 11. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Unde Petro confitenti Divinitatem Christi, dixit ipse Christus *Matt.* 16. 17. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Constat ergo generationem Filii sine divina revelatione nobis perspectam esse non posse, adeoque ipsum mysterium SS. Trinitatis esse omnino supra humanam rationem.

Hoc vero est, quod etiam SS. Patres inculcarunt, videlicet, ut aliquos tantum commemorem, S. Hilarius lib. 2. *De Trinit.* num. 5., S. Hieronymus l.b. 18. *in Isaiam*, S. Augustinus lib. 18. *De Trinit.* num. 9. inquiens: *Quis itaque disputandi modus, quænam tandem vis intelligendi, atque potentia, quæ vivacitas*

(a) Vid. Buddæus *in Isagoge Hist. Theol.*

rationis, quæ acies cogitationis ostendet, ut alia jam taceam, hoc unum, quod sapientia dicitur Deus, quomodo sit Trinitas.

Postremo, aliis rationibus omissis, ita argumentor cum Angelico 1. p. quæst. 32. art. 1. duplex sane est genus demonstrationis, videlicet, et a priori, seu per causam, et a posteriori, seu per effectus: at vero neque priori, neque altero genere demonstrationis mysterium SS. Trinitatis adstrui potest: non quidem priori, seu per causam; quum SS. Trinitas nullam sui causam habeat; neque etiam altero, seu per effectus, quandoquidem ideo cognosci potest Deus ex effectibus creatis, quia solus Deus prima causa illorum esse potest. At vero Deus est prima causa effectuum creatorum, non quatenus est trinus, sed quatenus est unus, quum sit causa illorum, prout est omnipotens. Omnipotentia autem spectat ad divinam naturam, quatenus est una in se, non vero ad distinctionem Personarum. Unaquæque enim persona propriam, atque distinctam omnipotentiam non habet, indeque juxta commune effatum opera SS. Trinitatis ad extra sunt indivisa: nullus ergo datur effectus singularis proprius, per quem Trinitas Personarum singulariter demonstrari possit.

Merito igitur Gregorius XI. inter alias multas hanc quoque Raymundi Lulli proposit. num. 96. damnavit: *Omnes articuli fidei... possunt probari, et probantur per rationes necessarias, demonstrativas, et evidentes* (a).

Dices. Deum esse ens intelligens, et volens lumine naturæ cognoscitur: agit ergo Deus intelligendo, atque volendo: quia vero omnis actio suum terminum habet, actioni intelligendi, et volendi duo termini debent respondere: hi autem in Deo sunt consubstantiales, et personaliter distincti. Consubstantiales quidem, tum quia nullum accidens, utpote argumentum imperfectionis, fingi potest in Deo, tum quia eamdem cum suo principio substantiam, et naturam habere debent, alioquin plures Dii agnoscendi forent: quod sane repugnat lumini rationis. Sunt etiam personaliter distincti: nam sunt consubstantiales suo principio, et simul ab ipso distinguuntur, quia non sunt ipsum principium: distinctione ergo personali et differunt inter se, et a suo principio. Cognoscitur ergo lumine rationis, terminos intellectionis, et volitionis in Deo esse consubstantiales, et personaliter distinctos: in quo duplici capite mysterium SS. Trinitatis consistit.

R. hac in argumentatione falso supponi lumine rationis nota esse multa, quæ revera non sunt: quod enim dicitur de terminis substantialibus, atque distinctis intellectionis, et volitionis ipsius Dei, lumine naturæ non cognoscitur, quum experiamur,

(a) Apud Natal. ab Alexan. sec. 14. cap. 3. art. 20.

etiam nostrum intellectum se ipsum intelligere, et voluntatem amare se ipsam, quin inde duo distincta subsistentia oriantur. Deinde si ponatur, ipsa ratione constare de prædictis terminis substantialibus, atque distinctis divinæ intellectionis, atque volitionis, ratione quoque constare debebit, ad intellectionem, et volitionem Filii, atque Spiritus Sancti consequi eosdem terminos, proptereaque ad illos actus utriusque aliam, atque aliam subsistentiam consurgere. Uno verbo: nunquam ratio assequi potest, quinam revera sit terminus divinæ intellectionis, atque volitionis: nam si terminus ponatur substantialis, sicut poni deberet, tunc tres esse numero Deos, ratio concludit: aliunde autem tres numero Dii repugnant ipsi rationi: igitur in profunda obscuritate sepulta ratio semper remaneret.

CAPUT SECUNDUM.

De insufficientia humanæ rationis in toto negotio mysterii SS. Trinitatis, etiam supposita fide.

Henricum Gandavensem, Richardum a S. Victore, atque etiam Gersonium, mysterium SS. Trinitatis demonstrari posse, supposito lumine fidei, quasi ex eo certa deinde ratio eruatur ad ostendendum hujusmodi mysterium, tradit Vasquesius 1. part. disput. 133. cap. 1. Angelicus tamen 1. part. quæst. 32. art. 1. Richardi auctoritatem benigne interpretatur. Quotquot ergo tenuerunt, mysterium SS. Trinitatis, supposita fide, demonstrari posse, nunc refutabimus.

Prop. Demonstrari non potest mysterium SS. Trinitatis etiam supposito lumine fidei.

Prob. prop. Loca enim Scripturæ, de quibus mentionem in præced. cap. fecimus, hoc mysterium cognosci sola revelatione posse, aperte significant: idem quoque Patres confirmant, atque ipsa experientia evidentissime testatur. Ex quo enim Christiana Religio promulgata, atque latissime propagata fuit, multi profecto suas graviores meditationes in hoc mysterium intenderunt, illudque serio perscrutati fuere: istorum tamen omnium nemo unus extitit, qui rationem invenerit, qua posset demonstrari. Immo vero hoc mysterium offensioni fuit etiam iis, qui ipsa ratione viderunt multa nostra esse probabilia: „Hæc asseveratio „(inquit Lactantius lib. 4. *Instit.* cap. 29.) plerosque in maxi„mum impingit errorem, quibus quum probabilia videantur es„se, quæ dicimus, in hoc uno labare nos arbitrantur, quod alte„rum mortalem Deum fateamur."

Ratio Angelici, quam in præcedenti cap. attigimus, id quoque suadet, quod in hac nostra propositione modo contendimus: duplex enim tantum est genus demonstrationis, videlicet a prio-

ri, seu per causam, et a posteriori, seu per effectum: fides autem nullam causam prodit, seu manifestat, qua mysterium SS. Trinitatis ostendi possit, neque aliquem effectum detegit, qui a Deo, quatenus est trinus, proficiscatur. Quin immo fides confirmat, quod ipsa ratio docet, hoc est, nullam causam Dei fingi, vel excogitari posse, aliundeque omnia proficisci a Deo, quatenus omnipotens, unusque est, non quatenus trinus.

Prop. II. Semel posita fide, nonnullæ in rebus creatis occurrunt imagines, quæ mysterium SS. Trinitatis adumbrant, et credentes in sua fide confirmant.

Prob. prop. exemplo SS. Patrum, qui plures hujusmodi imagines in medium protulerunt: prima est: radicis, trunci, et rami ejusdem arboris: altera: trium lucernarum in eodem cubiculo positarum, quæ unum, idemque lumen emittunt: tertia: venæ, fontis, et fluvii, quæ sunt unum secundum naturam: quarta: solis, candoris, et caloris, quæ tria sunt vocabula, et tria unum: hac utraque utitur Auctor Serm. *de Symb.* ad *Cathec.* cap. 11. (a) quinta tandem: intellectus, voluntatis, et memoriæ in una, eademque anima. Ita S. Augustinus lib. 14. *De Trinit.* num. 11.

Dices. Semel ac dicatur esse in creatis imagines quædam Trinitatis, inde consequitur, ut per eas in aliquam cognitionem Trinitatis devenire possimus: hoc autem pugnat cum nostra præcedenti propositione: ergo.

R. dist. si imagines essent perfectæ, conc., si sint tantum adumbratæ, neg. Profecto omnes istæ recensitæ imagines, aliæque omnes, quæ in medium afferri possunt, a repræsentando mysterio SS. Trinitatis infinite distant. Hinc S. Hilarius lib. 1. *De Trinit.* num 9. „Si qua vere nos (inquit) de natura Dei „tractantes comparationum exempla afferemus, nemo ea exis„timet absolute in se rationis perfectionem continere: compa„ratio enim terrenorum ad Deum nulla est... Omnis igitur com„paratio homini potius utilis habeatur, quam Deo apta: quia „intelligentiam, magis significet, quam explicet."

CAPUT TERTIUM.

De ignoratione mysterii SS. Trinitatis, in qua Ethnici fuerunt.

Ethnicos in ignoratione hujus mysterii versatos fuisse, quæ hucusque disseruimus, omnino suadent: semel ac enim illud humanæ rationi pervium esse non possit, duo inde consequuntur, videlicet, aut Ethnicos omnino non novisse mysterium SS. Trini-

(a) Tom. VI. inter Op. S. August.

tatis, aut si quam ipsi cognitionem illius habuerunt, eamdem ex Scriptura hausisse. Res ista facti est, deque ea nunc disputare instituimus, quia hac nostra ætate aliqui cognitionem mysterii SS. Trinitatis etiam quibusdam Ethnicis tribuerunt, ut inde colligerent, non ex divinis litteris, sed ex philosophia Ethnicorum dogma Trinitatis in christianam religionem profectum fuisse (a).

Prop. Ethnici Philosophi SS. Trinitatis veram, rectamque cognitionem non habuerunt, et si quando eam in suis scriptis adumbrasse videntur, vel ob consuetudinem habitam cum Hebræis, vel ob lectionem sacrorum librorum adumbrarunt.

Prob. prior pars prop., et quum Platoni præ ceteris id laudis tribuatur, ut Trinitatem noverit, eum nullam veram, rectamque cognitionem ejusdem habuisse, ostendemus. Summum igitur, et supremum quemdam Deum existere, Platonis certa sententia est tum in *Timæo*, tum in aliis libris, sicut etiam Petavius *De Trinit.* lib. 1. cap. 1. num. 3. advertit. Hunc Deum aliorum minorum Deorum fuisse propagatorem, affirmat idem Plato, atque in *Timæo* mentionem illorum facit. Alibi autem duos, aut tres Deos distinguit, quorum primus sit ceterorum parens, alter artifiex, et tertius principium rerum omnium, quod a plerisque Platonicis anima mundi dicitur. Duo sunt loca præcipua, ut de *Timæo* mentionem non faciamus, quæ in hanc rem etiam antiqui Patres agentes contra Ethnicos in medium protulere, eaque leguntur et in epist. 2. ad Dionysium, et in epist. 6. ad Herminm, Erastum, et Coriscum: „Dicendum est igitur (ita in epist. priori) tibi nunc per ænigmata quædam: ut si quid huic tabellæ vel mari, vel terra continget, qui eam legerit, intelligere non possit. Est autem ita: circa omnium regem cuncta sunt: ipsius gratia omnia; ipse pulchrorum omnium causa: circa secundum secunda: tertia circa tertium." In altera hæc leguntur: „Etiam jurejurando, ut æquum est, interposito, non sine eleganti studio, atque hujus sorore disciplina: testando Deum rerum omnium ducem, quæ sunt, et quæ futura sunt, ac ducis, et principii Patrem Dominum." (b) Hoc autem in loco Patrem, et Filium Plato diserte videtur indigitare. Verum enim vero 1. non constat ex hisce omnibus, utrum Plato tres veras personas, et a se invicem distinctas admiserit, an vero tria solummodo attributa: 2. ex tribus Diis Plato facit unum superiorem, alios inferiores, atque subordinatos. Hinc Angelicus lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 6. „Est autem hæc positio Arii, et Eunomii, et videtur a

(a) Plures hujusmodi auctores *De Trinit.* lib. 1. cap. 1. not. 1. erudite, prout solet, Gazaniga recenset.

(b) Vid. Petavius cit. loco num. 3.

„ Platonicorum dictis exorta, qui ponebant summum Deum, „ Patrem, Creatorem omnium rerum, a quo primitus effluxis- „ se dicebant quamdam mentem, in qua essent rerum omnium „ formæ, superiorem omnibus aliis, quam paternum intellec- „ tum nominabant, et post hanc animam mundi, et deinceps „ alias creaturas." 3. Unius esse substantiæ eas personas, quas commemorat, nullo modo indicat, neque, humana ratione detegente, indicare poterat: 4. Prædicta tantam in se continent obscuritatem, ut divinitatem velut in nebula quadam involvant.

Hinc Patrum sententia fuit, in libris Philosophorum non contineri veram de Trinitate doctrinam. S. Cyrillus Alexandrinus, unus sane, qui præcipue in lib. 1. *Cont. Julianum* Philosophorum plura loca in medium protulit ad adstruendam aliquo modo fidem Trinitatis, doctrinam tamen illorum omnis erroris expertem minime esse, fatetur. Et lib. 3. Platonem tres Deos inæqualis perfectionis admisisse tradit. S. Augustinus lib. 8. *de Civit. Dei* cap. 1. ostendit, Platonicos censuisse multis Diis sacra facienda esse, licet de uno vero Deo recte senserint.

Prob. pars altera propositionis. Justinus in *Apolog.* 1. num. 6. tradit, Platonem et plura a Moyse mutuatum fuisse, et non omnia, quæ fuit mutuatus, recte intellexisse. Eusebius lib. 11. *Præparat. Evangel.* num. 16. affirmat, Platoni ne in mentem quidem venire potuisse, quæ de Deo scripsit, eaque propterea ab Hebræis didicisse. S. Basilius Homil. 16. in illud: *In principio erat Verbum* num. 1. hæc habet: *Novi multos ex iis etiam, qui a veritatis doctrina alieni sunt, quique de sapientia mundana gloriantur, hæc et admiratos esse, et scriptis suis inserere ausos fuisse*: videlicet, prædicta: *In principio erat Verbum.* Et S. Clemens Alexand. lib. 5. *Stromatum* num. 14. Platonem ex Scriptura deprompsisse ea, dicit, quæ in epistola illius ad Hermiam, Erastum, et Coriscum de Deo leguntur.

Dices. Eusebius lib. 11. *Præp. Evang.* num. 16. Theodoretus lib. *De Græcorum affectionibus curandis*, S. Cyrillus passim in libris contra Julianum, S. Clemens Alex. lib. 5. *Stromat.* num. 14., S. Augustinus lib. 10. *De Civit. Dei* cap. 23. ad suadendam fidem Trinitatis multa loca Platonis, atque discipulorum ejus in medium adducunt. Id autem evidenti argumento esse debet, eosdem de Trinitate recte sensisse.

Item ethnicos Philosophos vel ex Scriptura, vel ex colloquio cum Hebræis id hausisse, quod ipsi de Trinitate senserunt, quisnam unquam crediderit?

R. Loca Platonis, et discipulorum illius, in quibus aliquod vestigium Trinitatis adumbratum esse videbatur, Patres ea potissimum de causa Ethnicis aliquando objecisse, ut eos redarguerent, quam præter omnem rationem religionem Christianam,

uti absurdam, et omni fide indignam irriderent. Doctrina enim Platonis etiam apud illos in maxima existimatione erat, propterea que quum ostenderent quædam in ea occurrere, quæ eum nostra religione quamdam conformitatem habebant, inde consequebatur ut Ethnici irridentes christianam religionem auctoritate quoque Philosophorum redarguerentur.

CAPUT QUARTUM.

De oppositione, quam cum ipsa ratione habere mysterium SS. Trinitatis, nonnulli confinxerunt.

Novi Sabelliani, hoc est, Sociniani sunt ii, qui, hoc mysterium rationi adversari, contendunt, indeque nihili facienda esse ea Scripturæ loca, quibus idem mysterium ostenditur a nobis. Est enim Socinianæ Theologiæ principium, atque caput præcipuum in interpretatione locorum etiam evidentissimorum Scripturæ pro regula habendam esse ipsam rationem; indeque mysteriæ omnia, utpote quæ rationem humanam transcendunt, e medio tollenda esse. Metaphorice ergo intelligi oportere effutiunt, quæ de tribus, distinctisque divinis Personis traduntur in Sacris litteris, quia *dogma Trinitatis juxta regulas sanæ rationis multis modis absurdum est, et secum ipso pugnat* sicuti Wolzogenius habet in *Præparat. ad utilem lect. lib. N. T.* part. 2. cap. 4. (a).

Ut autem omnis in hac quæstione locus tollatur æquivocationi, adverti debet, esse supra rationem, et esse contra rationem, pro una eademque re nullo modo accipi posse: nam principiis rationis adversatur, quod est contra rationem: quod autem est supra rationem, transcendit quidem principia rationis, iisdem tamen non opponitur. Ut enim statuatur, utrum aliquid rationi sit oppositum, lumini rationis illud subjectum esse debet, quum ratio de iis tantum judicare possit, quæ ei subjiciuntur: sed quod est supra rationem, lumini rationis non potest esse subjectum: igitur decerni non potest a nobis, utrum illud lumini rationis opponatur.

Deinde ut aliquid rationi oppositum esse recte dicatur, oportet per lumen rationis cognosci repugnantiam, quæ est inter prædicatum, et subjectum: hanc vero repugnantiam humana ratio non potest in iis detegere, quæ supra ipsam posita sunt. „Si„cut igitur (ita apposite ad rem nostram Angelicus lib. 1. *Cont.* „*Gent.* cap. 3. num. 2.) maximæ amentiæ esset idiota, qui „ea, quæ a Philosopho proponuntur, falsa esse assereret per „hoc, quod ea capere non potest; ita etiam multo amplius ni-

(a) Tom. VIII. Bibliot. Frat. Polon.

„miæ stultitiæ esset homo, si ea, quæ divinitus Angelorum mi„nisterio revelantur, falsa esse suspicatur ex hoc, quod per ra„tionem investigari non possunt." Quapropter ex eo, quod mysterium SS. Trinitatis humanam cognitionem excedat, nostræ illud adversari rationi, is tantum auserit affirmare, qui entis supremi infinitam intelligentiam vel supra nostram non extendi, vel ei semper accommodatam esse debere, impie ostenderit.

Iis autem, quæ sunt nobis revelata divinitus, mentisque nostræ cognitionem excedunt, fidem præbere, atque hoc potissimum actu Deum intellectu nostro colere debemus (a). Nunc quod proposuimus.

Prop. Mysterium SS. Trinitatis rectæ rationi non adversatur.

Prob. prop. Ea autem nunc a nobis ita debet ostendi, ut generatim perspectum fiat, nullum mysterium nobis divinitus revelatum rationi oppositum esse posse, ita enim fiet, ut quod modo volumus, non solum constet, quoad mysterium Trinitatis, sed etiam quoad alia mysteria. Singillatim tamen id patebit de mysterio SS. Trinitatis in solutione illorum, quæ opponuntur a Socinianis.

Sicuti nullo modo dubitari potest, utrum sint vera, quæ rationi habemus naturaliter insita; ita etiam dubitationi non subest, utrum sint vera, quæ fide per divinam revelationem nobis tradita tenemus, quum divinæ revelationis evidentissima argumenta habeamus, sicut etiam Sociniani concedunt: quia ergo falsum solummodo vero contrarium esse potest, verum autem vero non potest, nunquam profecto fiet, ut fidei veritates adversentur principiis rationis, aut ista illis.

Deinde quum Deus nostræ sit auctor naturæ, ab ipso sane est cognitio illorum principiorum, quæ naturaliter novimus: aliunde a Deo sunt ea quoque omnia, quæ accepimus revelata divinitus, si igitur aut ista illi, aut illa istis adversarentur, inde consequeretur, ut, Deo auctore, nos a veritate perspicienda avocaremur, quum intellectus noster ob sibi adversantes rationes a cognitione veritatis retrahatur (b).

Wolzogenii nunc præcipuas objectiones diluemus, quoniam ipse tum in *Instruct. ad utilem lect. lib.* N. T. cap. 6. et seqq., tum in *Declarat. duarum contrariarum sentent.* cap. 4. et seqq. (c), quæ Crellius jam opposuerat (d), inculcavit efficacius, nonnullaque alia superaddidit.

Dices I. Esse unum Deum, et tres personas distinctas, quarum unaquæque sit Deus, prorsus repugnat, et ea ratione, qua

(a) Vid. nostra *Theol. Natur.* lib. 3. quæst. 4. artic. 3.
(b) Vid. Angelicus lib. 1. *Cont. Gent.* cap. 7.
(c) Tom. VIII. Bibl. Frat. Polon.
(d) Eodem tom.

ponuntur tres personæ distinctæ, tres quoque Dii ponantur oportet. Nam quia Pater est persona divina, Filiusque, et Spiritus Sanctus sunt personæ divinæ, inde consequitur, ut sint tres personæ divinæ: ergo eodem jure ita colligere licebit: Pater est Deus: Filius est Deus: Spiritus Sanctus est Deus: ergo sunt tres Dii (a).

R. Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum esse tres personas distinctas propter tres relationes distinctas, atque distinctas subsistentias relativas (b), non esse autem tres Deos, quia una, et eadem est natura, una eademque substantia. Quando ergo dicitur: Pater est Deus, intelligitur natura, et substantia divina simul cum relatione Paternitatis, ejusque singulari subsistentia: quando dicitur Filius est Deus, intelligitur item eadem natura, et substantia divina unita cum relatione Filiationis, ejusque singulari subsistentia: quando demum dicitur Spiritus Sanctus est Deus, intelligitur eadem natura, et substantia divina cum relatione Spirationis passivæ, ejusque singulari subsistentia. Una ergo natura, una substantia, ideoque unus Deus: tres distinctæ relationes, atque subsistentiæ, ideoque tres personæ distinctæ. Hac tota in re supra rationem sane multa, nihil tamen contra illam.

Dices II. Ex dogmate Trinitatis consequitur, unam personam esse aliam quoque personam, hoc est, Patrem esse Filium, et Spiritum Sanctum, idemque dicendum de Filio, et Spiritu Sancto: nam Pater est Deus ille unus, sicuti est etiam Filius, et Spiritus Sanctus: ergo Pater est Filius, et Spiritus Sanctus, idem dicendum de duabus aliis divinis personis (c).

R. cum dist. Deus ille unus est Pater, est, inquam, Pater, quatenus Deus ille unus, neg.: ob relationem Paternitatis, ejusque subsistentiam singularem, in quibus ratio personæ consistit, conc. Eadem distinctio etiam supra Filium, et Spiritum Sanctum cadit. Personalitas in divinis innititur distinctæ oppositæ relationi, atque subsistentiæ, quarum utraque in Patre, Filio, et Spiritu Sancto est distincta: unitas autem identitati naturæ, et substantiæ innititur, propterea et unus Deus, et Pater non est Filius, et Spiritus Sanctus, quamvis Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus sint unus Deus.

Eodem modo hæc altera objectio Wolzogenii solvitur, videlicet; unus ille verus Deus est Pater: Filius non est Pater: ergo Filius non est ille unus verus Deus (d). Nam ille unus verus

(a) Ita Wolzogenius in priori Opere cap. 6., et in altero 4. cap.
(b) Hujus Disput. lib. 2. cap. 4. et lib. 3. cap. 3.
(c) Ita Wolzogenius in cit. loc.
(d) *In Instruct. ad utilem lect. lib.* N. T. part. 2. cap. 6.

Deus est talis, non quatenus Pater, sed quatenus habet naturam divinam: quandoquidem quatenus Pater et Paternitas inest in illo, est distincta persona tum a Filio, tum a Spiritu Sancto. Unde ex eo quod Filius non sit Pater, eumdem non esse verum Deum, nullo modo consequitur. Est enim et ipse verus Deus, quia eamdem cum Patre naturam, atque substantiam habet.

Dices III. Quamlibet divinam Personam esse trinam colligitur ex mysterio Trinitatis: nam Deus ille unus est trinus in personis: quælibet persona est Deus ille unus: ergo quælibet est trina in personis. Sequitur etiam, tres personas esse inter se realiter easdem: quæ enim sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: sed tres personæ inter se distinctæ realiter sunt idem uni rei, nempe essentiæ divinæ: ergo tres personæ sunt eædem realiter inter se (a).

Ad 1. resp. cum dist. Deus ille unus est trinus in personis, quatenus est unus Deus: neg., quatenus est Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, hoc est, propter Paternitatem, Filiationem, et Spirationem passivam, quæ faciunt, ut divina substantia subsistat secundum diversas rationes, conc. Nulla ergo persona, licet sit unus Deus, esse potest trina in personis, quia unaquæque earum est persona distincta vel propter Paternitatem, vel propter Filiationem, vel propter Spirationem passivam, nullaque earum Paternitatem, Filiationem, et passivam Spirationem simul habet.

Ad alterum resp., in divinis prædictum axioma non habere locum, sicut nec illud alterum: ex nihilo nihil fit. Deinde quamvis demus, habere locum etiam in divinis, nihil ex eo pro se possunt Sociniani colligere. Nam quæ sunt eadem uni tertio adæquate, et secundum omnem rationem, sunt eadem etiam inter se, quia tunc in eis nihil occurrit, per quod differre possint: quæ autem sunt eadem uni tertio inadæquate, ea secundum aliquam rationem, non sunt eadem inter se. Unde licet tam actio, quam passio sint idem motui, tamen non sunt idem inter se, quia est diversus respectus tum in actione, tum in passione. „ Similiter (inquit Angelicus 1. p. quæst. 28. art. 3.) licet „ Paternitas sit idem secundum rem cum essentia divina, et „ similiter Filiatio; tamen hæc duo in suis propriis rationibus „ important oppositos respectus: unde distinguuntis ab invicem."

Dices. IV. In rebus creatis unius substantiæ intelligentis est una persona tantum: ergo quum Deus sit substantia intelligens, necessario sequitur, Deum esse unam personam. Neque est, cur reponatur, aliud esse rationem Dei, et hominum, sive Angelorum, quia essentia Dei est infinita; nam in Deo æque infini-

(a) Ita una cum Socinianis Bælius art. *Pyrrhon.* rem. D.

ta est tam persona, quam essentia, seu substantia: igitur sicut in substantia creata est una persona, ita etiam in increata una esse debet. Quemadmodum enim una persona complectitur in se totam creatam substantiam, istaque eodem tempore non potest esse duplex, vel triplex, idem quoque est dicendum de persona, et substantia divina. His accedit esse posse infinitas personas divinas, si divina substantia, quia infinita, continet plures personas: nam eadem ratione, ob quam in una substantia divina ponuntur tres personæ: aliæ, et aliæ poni possunt (a).

R. Eam esse disparitatem inter creatas, et inter divinas personas, ut illæ suam substantiam distinctam singulæ habeant, istæ autem unam, eamdemque substantiam indistinctam: unde in creatis non potest esse identitas naturæ in pluribus personis, potest tamen in divinis, quatenus et eamdem totam naturam singulæ habent, eamque terminant, ut jam diximus, sub diversis respectibus, qui quum sint plures, et inter se oppositi, videlicet Paternitatis, Filiationis, et Spirationis passivæ, sunt quoque plures divinæ Personæ.

Sicuti vero est tota natura hominis in uno homine, quatenus quilibet homo de humana natura participat, non vero quatenus eadem numero natura in eo sit; ita est tota natura divina in una persona, quatenus quælibet persona unam, eamdemque numero naturam habet: hoc tamen non obstat, quin et sint plures ob oppositas relationes, quibus personæ divinæ constituuntur: non obstat, quin sint infinitæ, quum non repugnet, oppositas relationes in divina natura esse solum modo tres, et quod uni personæ convenit ob relationem oppositam, non conveniat alteri. Non est necesse, ut hic repetamus, quæ supra lib. 2. et seqq. de relationibus disputavimus.

Dices ult. Fundamentum Trinitatis est distinctio, quæ ponitur inter essentiam, et divinas personas: nullus est hujusmodi distinctioni locus. Nam essentia rei est propria natura, ex qua res ipsa constat: persona autem est res subsistens, quæ suam propriam essentiam, et naturam habet: si ergo ponantur tres personæ divinæ, quarum singulæ integram essentiam habeant, tres quoque essentiæ admitti debent: quod repugnat.

2. Triplex modus existendi respectu unius ejusdemque essentiæ frustra confingitur: si enim una res pluribus modis existat eodem tempore, non est amplius una.

3. Quod de mutua personarum divinarum circuminsessione dicitur, et nullo modo intelligi potest, et in se includit permixtionem earumdem personarum.

4. Deum accipi posse et essentialiter, et personaliter, in

(a) Hæc Wolzogenius tum in *Instruct. ad utilem lect. lib. N. T.* part. 2. cap. 7., tum *in Declarat. duar. contrar.* Senten. cap. 5.

Scriptura non legimus: utroque autem modo accipiatur oportet, supposita Trinitate personarum (a).

Ad 1. cum Angelico 1. p. quæst. 39. art. 1. ita respondeo: „ Sed difficultatem videtur ingerere, quod, multiplicatis relationibus divinis, essentia retinet unitatem... Sed relationes in „ Deo sunt ipsa essentia divina (b). Ex quo sequitur, quod in „ Deo non sit aliud essentia, quam persona secundum rem, et „ tamen quod personæ realiter ab invicem distinguantur. Persona enim... significat relationem, prout est subsistens in natura divina (c). Relatio autem ad essentiam comparata non differt re, sed ratione tantum: comparata autem ad oppositam „ relationem habet virtute oppositionis realem distinctionem. Et „ sic remanet una essentia, et tres personæ." Nunc paucioribus: quia igitur oppositæ relationes sunt idem cum essentia, aliundeque ex oppositione relationum habetur distinctio personarum, neque distinctio personarum officit unitati essentiæ, neque unitas essentiæ distinctioni personarum.

Ad 2. dico cum Angelico in cit. art. in creatis haberi non posse distinctionem oppositorum ab ipsis relationibus, quæ in eisdem non sunt subsistentes; sed oportet, ut habeatur ab essentialibus principiis: „ In divinis autem relationes sunt subsis„ tentes (d), et ideo secundum quod habent oppositionem ad „ invicem, possunt distinguere supposita. Neque tamen distin„ guitur essentia, quia relationes ipsæ non distinguntur ab invi„ cem secundum quod sunt realiter idem cum essentia."

Ad 3. resp., satis jam explicatum esse a nobis (e), quid sit ipsa circuminsessio, atque etiam ostensum, eam admitti debere in personis divinis.

Ad 4. dicimus futurum, ut de falsitate objectionis constet ex iis, quæ libro sequenti disseremus.

LIBER QUINTUS.

De mysterio SS. Trinitatis juxta divinum verbum tam scriptum, quam traditum.

De mysterio SS. Trinitatis hoc in libro disputaturi sumus, quatenus in eo sunt tres distinctæ personæ, non vero quatenus eæ

(a) Hic finem imponimus sophismatibus Crellii, Wolzogenii, et aliorum Socinianorum.
(b) Disput. 3. *De Div. Attrib.* lib. 2. cap. 2.
(c) Hujus Disput. lib 2. cap. 4. et 5. et lib. 3. cap. 4.
(d) Hujus Disput. lib. 3. cap. 4.
(e) Hujus Disput. lib. 3. cap. 4. §. 4.

unam, eamdemque substantiam habent: de hoc enim capite doctrinæ in libris seqq. disseremus. Tribus capitibus librum istum absolvemus: in 1. disputabimus de Trinitate divinarum personarum juxta divinum verbum contentum in veteri Testamento: in 2. juxta idem verbum contentum in novo: in 3. juxta divinum verbum traditum. Nunc haud multa de origine, et progressu erroris circa mysterium SS. Trinitatis. Realem distinctionem inter tres divinas personas negarunt omnes fere antiquiores hæretici. Nam ante Sabellium sec. 3. Noëthus, uti constat ex S. Augustino *De Hæresib.* cap. 36., ante Noëthum Praxeas, et alii sec. 2., sicuti ex Justino novimus in Dialogo cum Tryphone num. 138., hoc in errore fuerunt. In eo tamen disseminando Sabellius superavit omnes, qui sibi præiverant, indeque secta Sabellianorum ab eo nomen accipit. S. Augustinus Tract. 40. *in Joan.* num. 7. affirmat, non suspicari, in multitudine se audientium esse Sabellianos, *qui ipsum Patrem dicunt esse, qui Filius est*, quoniam, sicut ipse dicit, *hæresis ista nimis antiqua est, et paulatim eviscerata.* Eam tamen a Petro Abailardo, et Gilberto Porretano, dum Roscelini Tritheismum confutarent, resuscitatam fuisse, nonnulli contendunt: qua de re non est, cur nunc disputare instituamus. Illud sane certum est, Sabellianismi restauratores sec. 16. fuisse Michaelem Servetum, Valentinum Gentilium, Franciscum David, Georgium Blandratam, Bernardinum Ochinum, et Joannem Alciatum.

Hos tamen omnes hac in re impietate sua vicerunt duo Socini, videlicet, Lælius, et Faustus nepos illius, qui scriptorum sui patrui hæres in pluribus libris partes Anti-Trinitariorum defendendas suscepit. Sub hoc duce, qui initio sec. 17. obiit, lues Sociniana præcipue in Poloniam longe, lateque manavit atque subinde in alias regiones.

Quoniam vero Sabelliani non advertere non potuerunt, in sacris litteris sæpe fieri mentionem Dei, Verbi, et Spiritus Sancti, in defensionem sui erroris effutierunt, hæc esse tria nomina ejusdem divinitatis, seu per Verbum significari rationem, et sapientiam Dei, per Spiritum divinam virtutem. Unde sicuti advertit Epiphanius Hæresi 62. in rem suam similitudine solis utebantur, in quo tria possunt distingui, videlicet, substantia, virtus illuminandi, et calefaciendi, Patris autem, atque Filii dum mentionem facerent, unam eamdem personam esse Patrem et Filium non intelligebant, sed distinguentes Verbum a Filio, illud esse attributum Dei, istum purum hominem ajebant. *Patripassiani*, itemque *Modalistæ* vocati fuerunt Sabelliani; *Patripassiani* quidem, quia dixerunt *ipsum Patrem passum fuisse*, sicuti apud Augustinum Tract. 36. in *Joan.* num. 8. legitur: *Modalistæ* vero, quia secundum diver-

sum modum cogitandi numerum personarum divinarum explicabant (a).

CAPUT PRIMUM.

De Trinitate divinarum personarum juxta verbum divinum contentum in veteri Testamento.

Ex Vet. Testamento Trinitatem personarum divinarum nunc aggredimur ostendere non solum contra Socinianos, sed etiam contra Judæos.

Prop. Ex veteri Testamento constat de Trinitate divinarum personarum.

Prob. prop. *Genes.* 1. 26. hæc leguntur: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* His autem verbis: *Faciamus*: atque *ad similitudinem nostram*, tum pluralitas personarum, tum etiam unitas essentiæ indicatur, quemadmodum etiam Patres unanimi consensu tradiderunt, licet non omnes citatum locum Scripturæ eodem modo interpretentur. Plures enim illorum putant, verbo *faciamus* significari vocem Patris Filium, alii tum Filium, tum Spiritum Sanctum alloquentis, nonnulli demum toti Trinitati vocem illam tribuunt. (b).

Non solum Rabbini (c), sed etiam plures Sociniani reponunt, Deum loqui numero plurali in manifestationem sui dominii, et in argumentum honoris, qui sibi debetur. Cujus rei exemplum occurrit etiam in Sacris litteris *Genes.* 29. 27. Laban namque filiam suam Rachelem Jacobo despondens: *hanc*, (inquit) *dabo tibi*, seu, uti legitur in Hebræo: *dabimus tibi.* Et *Job.* 18. 3. Baldad Suites dicebat: *Quare reputati sumus ut jumenta, et sordimus coram vobis.*

2. Potuit Deus ita loqui sibi ipsi, ut se excitaret ad opus: qua ratione artifices ad desidiam depellendam dicunt: *Eja manum operi admoveamus* (d).

3. Potuit Deus iisdem verbis alloqui Angelos, quorum ministerio aliquando usum fuisse, patet ex lib. III. *Regum* cap. 22. 19. (e).

4 Aliqui suspicantur, loquutionem: *faciamus*, primum usur-

(a) De iis, qui mysterium Trinitatis oppugnarunt, atque negarunt tres divinas personas in uno Deo, legatur Biblioth. Anti-Trinit. Christoph. Christ. Sandii.

(b) Vid. Petavius. *De Trinit.* lib. 2. cap. 7. num. 6.

(c) Apud Theodoretum quæst. 9. in Genes.

(d) Ita veteres Judæi apud S. Basilium Hom. 9. in Hexæmeron. num. 6.

(e) Idem apud eumdem.

petam a Gentilibus ad plures Deos designandos, evasisse postea familiarem Israelitis, atque etiam a Moyse adhibitam, licet sano sensu (a).

Verum ad hæc omnia paucis: ad 1. ergo dicimus, semel ac ponatur, Deum in argumentum majestatis, et auctoritatis plurali numero in citato loco usum fuisse, alibi quoque eadem phrasi uti quam maxime decuisse, et potissimum quando in monte Sina legem promulgavit. Unde Theodoretus quæst. 19. in Genesim *insanos* vocat illos, qui adinstar eorum, qui sibi *credita summa imperia habent*, Deum numero plurali fuisse loquutum, dicunt: *In universa plane scriptura divina* (inquit) *licet audire Deum omnium singulari numero loquentem. Raro autem pluraliter sermonem format, nisi quum innuit numerum personarum Trinitatis.* Exemplis autem e Scriptura petitis utrumque ostendit.

Ad 2. respondeo cum S. Basilio Homil. 9. in *Hexæmeron* num. 6. esse profecto *insignes nugas, si quis sedeat, imperetque, et præsit sibi, atque domin more vehementer se ipsum urgeat. Verumtamen qui ipsum Dominum calumniari veriti non sunt, quid dicere non possint, linguam habentes mendacium exercitatum?*

Ad 3. ita Basilius in cit. loco: „Considera autem et quæ „sequuntur *ad imaginem nostram*, quid dicis ad hoc? Num „et Dei, et Angelorum una est imago? Filii quidem, et Pa„tris eamdem esse formam, omnino necesse est, forma videli„cet, uti Deum decet, intellecta non in corporea figura, sed „in Divinitatis proprietate... Cui dixit ad imaginem nostram? „cui, quæso, alteri, quam gloriæ splendori, et substantiæ ip„sius characteri, qui est Dei invisibilis imago. Itaque imagini „viventi qui dixit: *Ego, et Pater unum sumus*, huic dicit: „*faciamus hominem ad imaginem nostram.*

Ad 4. respondeo, quod hac in re suspicari nonnulli dicuntur, ullo sine fundamento suspicantur: a vero enim prorsus abhorret, Moysem divinitus inspiratum ea forma loquendi usum fuisse, qua ad exprimendam pluralitatem Deorum Gentiles utebantur.

De duabus personis divinis tum Psal. 2. 7. tum Psal. 109. 1. distincta mentio fit: in illo enim hæc leguntur: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te*: in isto: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis.* Verba illius Psalmi ad comprobandam Divinitatem Christi Paulus adhibuit in epist. ad *Hebræos* cap. 1. 5. Verba istius ad ostendendum se esse Filium Dei, Christus *Matt.* 22. 44. in medium protulit.

Verum contra hæc quoque duo loca opponunt primo: Paulum

(a) Clericus in *Comment.* ad cap. 1. *Genes.*

Act. 13. 33. referre primum locum ad resurrectionem Jesu Christi, Sanctorum vero Patrum nonnullos ad ejusdem nativitatem temporalem, alios ad baptisma illius (a). His accedit, ob particulam *hodie* putandum non esse fieri mentionem æternæ generationis Verbi.

Ad hæc respondeo, præcitata verba pertinere posse, atque revera pertinere ad æternam generationem Verbi, et nihil obesse, quin etiam ad nativitatem, baptismum, et resurrectionem Christi referantur: unum enim istorum non adversatur alteri; immo quidquid in nativitate, baptismo, et resurrectione Christi contigit, ab illius æterna generatione profluit. Hinc ita recte ad rem nostram Bossuetius in Dissertatione, quæ in 2. edit. Oper. illius Psalmo 2. subnectitur: „Quare (inquit) idem „Paulus idem illud Davidicum: *Filius meus es tu: ego hodie „genui te*, ad Christi quoque sacerdotium refert *Hebræor.* 5. „5. ut omnia, quæ de Christi gloria sanciuntur, ab hoc uno „fonte profluant, quod sit natura, et vera generatione filius, „atque inde et mirabili ex Virgine, et Spiritus Sancti concep„tione, et gloriosa resurrectione dignus, et denique apud ho„mines quoque et regno, et sacerdotio clarus."

Quapropter dico, apud omnes Christianos certum esse debere, illa verba proprie, atque præcipue spectare ad Christum unicum Dei Filium, quum Apostolus *Hebr.* 1. 5. ad illum retulerit. Quod autem spectat ad Hebræos dicendum, metaphora nonnisi remota et in Sacris litteris inusitata illud: *genui te*, intelligi posse de exaltatione Davidis ad solium regium. Deinde quomodo in David cadere illud potest: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ?* Hinc jure merito Bossuetius in cit. Dissert. affirmat, eos, qui illa verba: *Filius meus es tu: ego hodie genui te*, ad Davidem quodammodo referunt, excusari posse, *si verba Psalmi in Christo quidem propria, innataque esse, ceterum Davidi utcumque imperfecte accommodari posse sentiunt: nec omnino aliter, interpretante Estio, nisi quatenus David gerebat typum, et imaginem Christi.*

Ceterum veteres Hebræi ad Messiam eadem verba semper retulerunt: hujus rei testis est Rabbi Salomon Jarchi dicens (b): *Majores nostri ad Messiam Psalmum hunc referebant: expedit tamen eum referre ad Davidem, prout sonat, et propter Minæos, seu hæreticos* videlicet Christianos. Huetius inter alios satis multa testimonia Rabbinorum hanc in rem in medium producit *Demonst. Evangel.* prop. 7. num. 14.

(a) Vid. Estius *Comment.* in cap. 1. epist. ad Heb., et Natalis ab Alex. Dissert. 25. in sec. 4.

(b) Apud Bossuetium in cit. Dissert.

Cum S. Augustino in *Enchirid.* num. 14. animadverto voce illa *hodie* valde apposite designari æternitatem, in qua neque præteritum, neque futurum fingi potest. „Unde (inquit) vox „illa Patris, quæ super baptizatum facta est: *ego hodie genui* „*te*, non unum illum temporis diem, quo baptizatus est, sed „immutabilis æternitatis ostendit, ut illum hominem ad unige„niti personam monstraret. Ubi enim nec hesterni fine inchoa„tur, nec initio crastini terminatur, semper æternus est."

Neque est etiam, cur quis contendat, saltem illa Psalmi 109. *Dixit Dominus etc.* ad Davidem alloquentem Salomonem referenda esse: ea enim nonnisi de Christo intelligi debere, ipse Christus docuit *Matt.* 22. 43., *Lucæ* 20. 42., et Apostolus *ad Hebr.* 1. 13.

Tandem ea Scripturæ loca in medium afferimus, in quibus mentio fit trium divinarum personarum: sunt vero ista duplicis generis: in iisdem enim vel voces exprimuntur, quibus tres personæ divinæ significantur, vel eadem vox ter repetita divinitati, nec sine mysterio, tribuitur. Psal. 32. 6. hæc leguntur: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Dominus namque, Verbum, et Spiritus tres significant distinctas personas (a). *Isaiæ* 6. v. 3. *Seraphim clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum* (b). His autem efficaciter evinci quod modo volumus, magis, magisque constabit, postquam auctoritate novi Testamenti rem eamdem ostenderimus. Legatur hac de re Raymundus Martini in *Pugione fidei* 2. p. dist. 1. cap. 3. et 4. qui etiam in num. 2. cit. cap. 3. affirmat, neque illos Rabbinos, quorum mentionem ipse facit, neque alios, quos legerit, inficiari mysterium SS. Trinitatis.

Illud ergo nunc adverti debet, quemadmodum etiam constat ex unanimi doctrina Sanctorum Patrum ignotum omnibus mysterium SS. Trinitatis in veteri Testamento fuisse, ac propterea solummodo post Christum in nostram religionem invectum a quibusdam fabulatoribus, impium Socinianorum commentum esse. *Trinitas* (ait S. Epiphanius *Hæres.* 5. *num.* 5.) *semper in illa singulari Divinitate nunciata, creditaque ab illis est, qui ceteris antecellerent, cujusmodi Prophetæ, atque eximia sanctitate præditi homines fuerunt.* S. Fulgentius *De Fide ad Petrum* num. 1. „Fides (ait) quam Sancti Patriarchæ, et Prophetæ an„te incarnationem Filii Dei divinitus acceperunt, quam etiam „Apostoli ab ipso Domino in carne posito audierunt, et Spiri„tus Sancti magisterio instructi non solum sermone prædicave-

(a) Vid. le Blanc tom. 2. in cit. Scripturæ locum, in quo ita Patres sensisse ostendit, et ex eo colegisse Trinitatem personarum.

(b) Vid. expositio Cornelii a Lapide.

„runt, verum etiam ad instructionem saluberrimam posterorum „scriptis suis inditam reliquerunt, unum Deum prædicat Trini„tatem." Idem affirmat S. Gregorius Nazianz. Orat. 49., et alii plures, quos pro suo more sequutus Angelicus 2. 2. quæst. 2. art. 8. *eodem modo*, (inquit) *quo mysterium Incarnationis Christi ante Christum fuit explicite creditum a majoribus, implicite autem, et quasi obumbrate a minoribus, ita est mysterium Trinitatis.*

Cur autem neque Patriarchæ, neque Prophetæ edocuerint rudem populum hoc mysterium, nulla certa ratio afferri potest, sed nobis imperviæ sublimitati consiliorum divinorum est acquiescendum. Timendum fuisse, ne rudis populus prolaberetur in idololatriam, in quam valde propendebat, semel ac Trinitas divinarum personarum ei innotesceret, nonnulli putaverunt.

CAPUT SECUNDUM.

De Trinitate divinarum Personarum juxta divinum verbum contentum in Sacris litteris novi Testamenti.

Hoc in capite Trinitatem personarum divinarum contra Sabellianos tum veteres, tum recentiores, hoc est præcipue contra Socinianos, auctoritate Scripturæ novi Testamenti propugnabimus. Hoc enim de mysterio non constare ex Sacris novi Testamenti litteris, ipsi contendunt (a).

Prop. Ex pluribus locis in novo Testamento contentis constat de Trinitate Personarum divinarum.

Prob. prop. Quamvis multo plura possemus, tamen quatuor loca tantum in medium proferemus ad evincendum quod volumus, eaque a cavillationibus Socinianorum simul vindicabimus. *Lucæ* 3. 22., et *Matt.* 3. 16. in baptismo Christi tres distinctæ personæ divinæ recensentur; Pater, qui ait: *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi*: Filius, qui baptizatur, et Spiritus Sanctus, *qui descendit corporali specie, sicut columba in ipsum.* Item *Matt.* 28. 19. Christus alloquens Apostolos ait: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti.* Nihil hoc in loco magis evidenter expressum, quam Trinitas personarum. Rursus *Joan.* 14. 16. inquit Christus: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Cap. 15. 26. *quum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Tandem Joan. epist. I. cap. 5. 7. et seq. ait: *Quoniam tres sunt, qui testimonium*

(d) Vid. inter alios Wolzogenius in *Præpar. ad utilem lect. lib.* N. T. part. 2. cap. 21. et seq. (tom. 8. Bibl. Frat. Polon.)

dant in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt: et tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, et sanguis: et hi tres unum sunt. His præhabitis, nunc ita contra Socinianos, quorum una sententia est, nomine Verbi, seu Filii, significari rationem, et sapientiam Dei, nomine autem Spiritus divinam virtutem, nullo autem modo veras personas, et inter se, et a Patre distinctas, quæ unam, eamdemque essentiam habeant. Filius profecto necessario supponit Patrem, atque tum Filius, tum Pater sunt duæ veræ, realesque inter se distinctæ personæ: Pater ergo, qui in Filio, sicut in dilecto, sibi complacuisse legitur, Filiusque, qui fuit objectum complacentiæ ipsius Patris, sunt duæ veræ, realesque inter se distinctæ personæ. Spiritus quoque Sanctus est vera, realis et distincta persona, quia Filius eum vidit *descendentem sicut columbam, et manentem supra se* (a). Hæc autem in veram, realemque personam cadunt, atque hoc potissimum in loco cadunt, quoniam eodem modo, quo Patris, et Filii, etiam Spiritus Sancti distincta ratio habetur, sicuti distinctæ personæ.

Item: Semel ac quod Patri tribuitur, etiam duobus aliis eodem modo tribuatur, hi quoque duo, sicut Pater, distinctæ personæ rationem habere debent: sed tam in nomine Patris, qui omnibus consentientibus, est persona distincta, quam in nomine tum Filii, tum Spiritus Sancti baptisma conferendum esse, Apostolis, indicitur: ergo sunt Pater, Filius, et Spiritus Sanctus tres personæ distinctæ. Et sanæ nihil ineptius dici potest, quam in nomine Patris, ulteriusque in nomine duorum donorum illius baptisma conferendum esse decerni.

Rursus: Christus promittit Apostolis, se rogaturum suum Patrem, ut Spiritum Sanctum mittat super illos: profecto Pater est, qui rogandus dicitur, Filius, qui promittit, se rogaturum, Spiritus, qui mittendus dicitur. Quum ergo rogans a rogato distinguatur, atque sint rogans, et rogatus duæ personæ distinctæ; quum etiam missus distinguatur a mittente, atque etiam ab eo, qui rogat pro missione illius; dicendum sane est, Filium rogantem, Patrem rogatum, et Spiritum Sanctum missum esse tres personas distinctas.

Tandem Joannes in sua epistola simpliciter affirmat, esse tres, qui testimonium dant in cælo, videlicet Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, propriamque subsistentiam, sicuti Patri, ita etiam Filio, et Spiritui Sancto tribuit: quemadmodum in terra spiritus, aqua, et sanguis propriam subsistentiam habent, atque inter se distinguuntur. Quum ergo eodem modo, quo Pater, Filius quoque, et Spiritus Sanctus in cælo testimonium perhibere dicantur, et Pater, uti persona distincta, testimonium perhibeat, etiam

(a) *Matt.* 3. 16.

Filium, et Spiritum Sanctum secundum eamdem rationem perhibere, affirmandum est; adeoque tres sunt distinctæ personæ divinæ.

Duplici simul argumenti genere mysterium Trinitatis oppugnatur a Socinianis, etiam dum citata loca divinarum Scripturarum, falsa interpretatione, conantur eludere, videlicet et distinctas personas intelligi non debere nomine Filii, atque Spiritus Sancti, et Filium, Spiritumque Sanctum non esse consubstantiales Patri. Illud prius, quod opponunt, modo refutabimus, alterum autem, quando contra illos singulariter ostendemus consubstantialitatem tum Filii, tum Spiritus Sancti cum Patre.

Contra ea, quæ ex *Lucæ* cap. 3. 22., et *Matt.* cap. 3. 16. in medium attulimus, Wolzogenius opponit (a): *Improprie, et per tropum etiam de talibus rebus dici posse, quod descendant de cælo, quæ non solum personæ non sunt, sed ne substantiæ quidem:* igitur nomine Spiritus descendentis de cælo distincta persona intelligenda non venit.

R. etiam dona divina de cælo descendere, dici recte posse; verum hoc in loco sub specie columbæ, divinam personam descendisse, nimis perspicuum est. Nam sicuti Angelicus recte animadvertit in cap. 3. *Matt. Filius fuit in carne, Pater in voce, Spiritus Sanctus in columbæ specie.... Hoc autem quod seorsim fuit, non pertinet ad divisionem operationis personæ de Trinitate.... sed ad diversas personas.* Ad diversas, inquam, personas etiam juxta adversarios: quandoquidem sicuti, ipsis consentientibus, voce exterius audita designatur distincta persona Patris, quia paterna vox audita esse dicitur; ita etiam quum Spiritum Sanctum sub specie columbæ descendisse, et Christum supra se descendentem illum vidisse, legamus, nomine Spiritus personam intelligendam esse, consequitur. Immo vero potiori jure consequitur, quia adventus personæ, ipsaque persona magis distincte declaratur præsentia, quam voce illius. Christum autem supra se descendentem vidisse legimus non columbam, sed spiritum sub specie columbæ.

Quod Wolzogenius ulterius urget, hoc est, unam personam divinam fecisse, quod in citato loco *Matthæi* tribuitur singulis, unde inquit: „ergo Pater ipse de cælo descendit, et sic de reliquis. Hoc autem quum absurdissimum sit, „et contradictionem implicet, dicendum potius est, Deum, qui de cælo lo„quutus est, aliam habuisse essentiam, quam Christum, qui „in Jordane baptizatus est, et Spiritum Sanctum, qui supra „eum cælitus descendit."

Hoc, inquam, quod urget Wolzogenius, solutum manet,

(a) In Append. 6. ad cap. 3. Matt. (Tom. 8. Bib. Frat. Polon.)

si cum Angelico mox citato advertatur, totum, quod seorsim fuit, videlicet vocem Patris, descensum Spiritus Sancti sub specie columbæ, et visionem filii aspicientis Spiritum Sanctum supra se descendentem sub specie columbæ, non pertinere *ad divisionem operationis personæ de Trinitate*, sed ad personas diversas, hoc est, iis tribus non significari, quod una Persona divina operatur ad extra, non operari etiam alteram, sed indicari distinctionem personarum, indeque non tribui alteri, quod uni tribuitur. Hoc autem recte fit, quia licet secundum essentiam non distinguantur tres divinæ personæ, distinguuntur tamen secundum relationes.

Contra ea, quæ ex forma baptismatis Apostolis ab ipso Christo præscripta ad evincendum mysterium SS. Trinitatis ex Scriptura depromsimus, hæc habet Wolzogenius (a): *Tria videmus, tres personas non videmus, nec magis unam earum trium esse essentiam, imo potius diversas cernimus, et inter se inæquales.*

At utrumque Wolzogenius sibi falso confingit: nam tres sane personas distinctas, quæ distincte recensentur, hoc est, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum videmus, non vero tria tantum, cujusvis tandem naturæ Wolzogenius esse ea velit. Et sane mirandum non est, semel ac communem, vulgatam, atque omnibus notam nominum significationem ipse subvertit, et aliquid unum indefinitum sub nomine Patris, sicut etiam sub nomine Filii, et Spiritus Sancti intelligi vult, rem negasse, quam in Sacris litteris perspicue traditam habemus.

Distinctionem quidem numericam divinarum personarum in loco citato videmus, essentiæ autem earumdem personarum nullam distinctionem detegimus, quin immo una, eademque essentia in tribus divinis personis nobis repræsentatur. Uno enim nomine, una virtute, unaque potestate baptisma esse conferendum indicitur. Sub hoc autem uno nomine venire etiam Spiritum Sanctum, quatenus est persona, inde constat, quia et baptisma non confertur in nomine doni, et ipsum donum Personis Patris, et Filii non æquiparatur.

Si quando autem in Scriptura, quæ tribuuntur Deo, etiam hominibus tribuantur, sicuti *Exodi* 14. ult., 1. *Regum* 12. 19., semel ac ad contextum verborum attendatur, et alia loca Scripturæ expendantur, statim constat, homines in infinitum distare a Deo. Unde non est, cur Sociniani nobis opponant cum Dei virtute conjungi virtutem etiam causæ creatæ.

Demum 1. *Corint.* 10. 2. Israelitæ baptizati quidem dicuntur *in Moyse, in nube, et in mari*, attamen non in nomine, aut virtute Moysis, nubis, et maris: quatenus ergo illis figura

(a) *In Præparat. ad utilem lect. lib.* N. T. 2. part. cap. 2. (cit. tom.)

baptismi præluxit, duce Moyse, mare Erythræum transeuntibus, et sub nube aquæ ambulantibus, in Moyse, nube, et mari baptizati dicuntur (a).

Contra ea, quæ ex Joanne cap. 14. et 15. in medium produximus, opponunt una voce Sociniani, Filium, et Spiritum Sanctum non esse Deum, quia ille rogare Patrem, iste autem mitti dicitur.

Verum Christus, prout homo erat, atque mediator Dei, et hominum, Patrem rogare potuit, et revera rogavit: ita tamen rogavit, ut quatenus Deus, omnia, quæ petiit, sua perinde essent, ac Patris. Nam, sicut ipse dicit *Joan.* 16. 15. *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt.* Missio autem Spiritus Sancti non servitutem indicat, sed originem. Neque enim mittitur ut servus, sed ut Deus procedens etiam ab illo, a quo mittitur. Hac de re jam egimus hujus Disput. lib. 3. cap. 4. §. 5.

Tandem etiam ex citato loco Joannis epist. 1. cap. 5. nihil minus colligi debere Sociniani contendunt, quam mysterium SS. Trinitatis. Unitatem ergo, quæ exprimitur illis verbis: *et hi tres unum sunt*, ad unitatem testimonii, sive consensus referri debere contendunt, idque inde probant, quia etiam Spiritus, aqua et sanguis unum esse dicuntur: quæ sane quoad essentiam, et substantiam distinguuntur inter se. Quare in priori loco, videlicet v. 7. nomine Verbi testantis intelligi debent *apparitiones, visiones, et sermones habiti ab ipso Christo, postquam in cœlum ascendit*: nomine autem Spiritus in eodem vers. designatur divina virtus, et efficacia, *quatenus de cœlo sese exerit*, in vers. 8. *quatenus in terris quodammodo versatur* (b).

Illud quidem quoad explicationem hujus loci primo loco adverti debet, in textu Græco dici de Spiritu, aqua, et sanguine esse *in unum*, non vero unum quemadmodum de Patre, Verbo, et Spiritu Sancto affirmatur. Verum illud nunc expendamus, utrum illorum verborum vers. 7. significationis obviæ, et per se unicuique manifestæ habita ratione, interpretatio Socinianorum quidpiam verosimile præseferat. Profecto nomine Patris intelligi *Deum Patrem*, veram, et distinctam personam, Socinus quoque concedit (c): igitur etiam nomine Verbi personam distinctam a Patre, ob quam ipse Deus pater dicatur Pater, opertet, ut intelligat: sicuti enim Filius dicitur Filius respectu Patris, ita etiam Pater dicitur Pater respectu Filii: igitur est sane Verbum distincta persona, sicut Pater. Qua autem ratione

(a) Vid. Angelicus in exposit. hujus loci.

(b) Vid. Socinus in *Exposit.* ad cap. 5. epist. Joan. (tom. 1. Bibl. Frat. Polon. et tom. 8.) Wolzogenius *in Præparat. ad utilem lect. lib.* N. T. part. 2. cap. 11.

(c) Loco cit.

Pater, et Verbum sunt personæ distinctæ, est quoque Spiritus Sanctus distincta persona: nam Spiritus Sanctus una cum Patre, et Filio numerum trium personarum eodem modo constituit, quo Pater, et Filius una cum Spiritu Sancto. Eodem, inquam modo, et quatenus est persona distincta a Patre, et Filio, alioquin intra eumdem numerum ea ratione, qua Pater, et Filius, absque ulla distinctione recenseri non posset.

Illud autem: *unum sunt*, referri ad personas, non vero ad testimonium, quod ab iisdem dicitur perhiberi. tam manifestum est, quam quod maxime: nam et tres dicuntur perhibere testimonium, et tres unum esse dicuntur. Unitas ergo trium non ad unitatem testimonii, sive consensus referri potest, si ad ipsum quoque verborum obvium sensum attendatur, sed ad essentiæ unitatem referri debet.

Hæc autem explicatio tota ex aliis locis Scripturæ. quæ supra retulimus, magis magisque confirmatur. Ut unius tantum mentionem faciamus: in forma baptismatis et tres divinæ personæ distinctæ, hoc est, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus recensentur, et non in nominibus, sed in nomine illarum baptisma esse conferendum, indicitur. Unum quid hic occurrit, et distinctio trium personarum: similiter in loco Joannis occurrit quid unum in distinctione earumdem trium personarum. Hanc vero rationem explicandi loca Scripturæ etiam Socciniani non probare non possunt, quum ea ab iisdem quoque adhibeatur.

Quod autem spectat ad ea, quæ habentur in v. 8. Joannis, dicendum est, illa cum superioribus v. 7. non omni ex parte comparari posse: in eo sane comparantur, quod spiritus, aqua, et sanguis ternarium numerum constituunt, et inter se distinguuntur: quoad illud autem in comparatione deficiunt, quod neque sunt, neque esse possunt quid unum eodem modo, quo tres personæ divinæ.

§. UNICUS.

De authenticitate illorum, quæ leguntur in v. 7. cap. 5. Epist. I. Joannis.

Hac de re jam disputatum est a pluribus, nosque etiam paucioribus, prout fieri poterit, nunc disputabimus contra Socinianos, qui verba illius vers. tam aperte sibi contraria e medio sublata vellent, et præterea etiam contra nonnullos alios, et eos quidem Catholicos; tamen intemperantioris criticæ viros. Nam hac in re Socinianis adhæserunt non solum Joannes Clericus, et Erasmus saltem in duabus prioribus editionibus N. Test. ann. 1516., et 1519., sed etiam Richardus Simonius in

Hist. Crit. N. T. cap. 18. in *Hist. Versionum* ejusdem cap. 9., *Dissert. De Variis N. T. Codicibus* MSS., atque etiam alius nuperus Auctor (a).

Prop. Sanioris criticæ regulis ostenditur, citatum versiculum esse genuinum.

Prob. prop. Illud primo loco animadvertimus, in quibusdam Codicibus MSS. eumdem versiculum integrum deesse, in aliis verba illa: in *cœlo*, in quibusdam hæc alia v. 8. *in terra*, et insuper *hi tres unum sunt*; demum in nonnullis legi v. 7., non servato ordine verborum. Et alterum quoque observandum ducimus, videlicet auctores, quos nunc refutamus, non consentire inter se quoad modum, quo verba v. 7. in textum, sicuti ipsi putant, irrepserint. Nunc primum hac de re, conjecturarum tantum habita ratione. Fatemur ergo oscitantia amanuensium quandoque contigisse, ut quæ in margine erant posita, exscriberentur in textu: verum longe esse facilius, ut quando inter duas, vel tres lineas eorumdem occurrit repetitio verborum, omittantur, quæ sunt intermedia aut vitio oculorum, aut ejus advertentiæ, quæ requiritur in exscribendis scriptis alienis. Quare antiquum scriptorem vel ob vitium oculorum, vel ob defectum advertentiæ post hæc verba: *tres sunt, qui testimonium dant*, omisisse hæc alia media: *in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt*, statimque adjecisse ista: *Spiritus, aqua, et sanguis: et hi tres unum sunt*, majori probabilitate dicitur, quam irrepsisse in textum, quæ in margine posita erant.

Si autem habeatur ratio fraudis, Catholicos mala fide textui addidisse, quæ in præcit. v. 7. continentur, probabile non est, quum auctoritate aliorum locorum Scripturæ suum dogma tueri possint, atque revera tueantur. Aliunde autem æquo jure supponi potest, v. 7. ab Arianis ablatum esse ab iis codicibus, qui in eorum manus devenerunt, quum illius auctoritate se quam maxime premi viderent. Nam eos delevisse ex Sacris litteris nonnulla, quæ sibi adversabantur, tradit S. Ambrosius lib. 2. *De Fide* cap. 15. num. 335. lib. 5. cap. 16. num. 193., et lib. 3. *De Spiritu Sanct.* cap. 10. num. 59.

Has conjecturas monumenta certissima confirmant: profecto in Ecclesia Romana vers. 7., de quo agimus, uti verbum divinum non aliter, ac alia, lectum fuisse, Cassiodorum testem amplissimum habemus. Hic enim in *Complexionibus* ad cap. 5. epistolæ S. Joannis ita habet: *Cui rei testificantur in terra tria mysteria, aqua, sanguis, et spiritus, quæ in passione leguntur impleta: in cœlo autem Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, et hi*

(a) Ludovicus du Four Abbas de Longuerve Dissert. *Sur le trois temoins du Ciel etc.*

tres unus Deus sunt. Sexto seculo floruit Cassiodorus et non solum Sacros codices antiquos summa cura conquisivit, iisdemque suam bibliothecam ad usum Monachorum locupletavit, sicut ipse testatur in lib. *De Instit. Div. Litter.* cap. 8., sed etiam, sicuti fidem facit in Præfatione ejusdem operis, in Psalterio, Prophetis, et in epistolis Apostolorum *studium maximum laboris impendit*, et novem codices auctoritatis divinæ *sub collatione priscorum codicum, amicis ante eum legentibus, sedula lectione transivit.* Cassiodorum igitur usum fuisse editione Hieronymi, in qua ille primus citatum vers. inseruerit, a nonnullis falso confingitur, sicuti Maffejus in editione *Complexionum* Cassiodori advertit, qui illud quoque recte colligit, Cassiodorum antiqua italica versione usum fuisse (a).

Non minus apud Romanam, quam apud Africanam Ecclesiam certum fuit, v. istum 7. esse genuinum, atque, sicut alia, inspiratum divinitus. S. Cyprianus in lib. *De Unitate Ecclesiæ* hæc habet: *De Patre, Filio, et Spiritu Sancto scriptum est: et hi tres unum sunt.* Respicere autem Cyprianum *ad v. 7. cap. 5. epist. I. Joannis* valde perspicuum est (b).

Ad sensum allegoricum Cyprianum respexisse. et nomine trium testium terrestrium intellexisse Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, adeoque legisse vers non 7., sed 8., Richardus Simonius in *Hist. Crit. N. T.* cap. 18. falso colligit, neque illi suffragatur auctoritas Facundi Hermianensis lib. 1. *Pro Defen. trium Capitul.* cap. 3., vel Augustini lib. 2. *Cont. Maxim. Arianum* num. 3. intelligentis per spiritum, aquam, et sanguinem, sicut per symbola, designatum Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, nullam autem mentionem facientis de illis prioribus verbis Joannis: *tres sunt, qui testimonium dant in cœlo etc.* Cyprianus enim ad allegoriam nullo modo recurrit, ut constat ex præcedentibus: „Qui (inquit) alibi præter Ecclesiam colligit Christi, Ecclesiam „spargit: dicit Dominus: *ego, et Pater unum sumus*: et itе„rum de Patre, et Filio, et Spiritu Sancto scriptum est: *et hi „tres unum sunt.*" Facundus quidem asseruit, sicuti ipse quoque opinatur, S. Cyprianum intellexisse designatum Patrem in spiritu, in aqua Spiritum Sanctum, in sanguine Filium: verum auctoritati Facundi opponimus S. Fulgentii auctoritatem longe superiorem, qui tum in lib. *De Trinit.* cap. 4., tum in lib. *Resp. ad 10. object. Arian.* respondens ad ultimam objectionem, ad ostendendam Trinitatem personarum, et unitatem naturæ v. 7. in medium adducit, idemque a S. Cypriano in lib. *De Unit. Eccl.* factum, affirmat.

S. Augustinus Maximinum monet, ne fallendi occasionem in-

(a) Vid. notæ Maffeji ad supra cit. locum Cassiodori.
(b) Vid. epist. Cypriani ad Jubajanum.

de accipiat, quod dictum sit, spiritum, aquam, et sanguinem esse unum, licet sint substantiæ diversæ: attendendum ergo esse dicit, non quid illa sint, sed quid *ostendant*, seu significent, et secundum hanc rationem sunt unum, quatenus eisdem tres personæ divinæ significantur. Superaddit tamen, et auctoritate Scripturæ probat, rationem testimonii convenire Patri, Filio, et Spiritui Sancto, deque iis ait: *hi sunt tres testes: et tres unum sunt*, in quibus verbis vers. 7. exprimitur.

Deinde in Ecclesia Africana versum, de quo nunc disputatur, communiter receptum fuisse, evidenter constat ex ea professione fidei, quam ann. 484. Episcopi Africani Hunnerico Regi Arianorum obtulerunt; in illa enim divinitas, et consubstantialitas Spiritus Sancti cit. loco Joannis confirmatur (a). Ex hoc autem colligitur, pro certo habuisse Africanos Præsules, eum esse genuinum, alioquin illum non objecissent Arianis.

In Gallia idem existimatum, ac in Africa, testem habemus S. Eucherium sec. 5. Episcopum Lugdunensem qui in lib. *Formularum Spiritualium* cap. 11. mentionem facit versiculi Joannis.

His addi possunt testimonia quoque Orientalis Ecclesiæ: nam in libro Liturgico Græcorum, qui dicitur *Apostolos* citatus versiculus legendus præcipitur fer. 5. hebdomadæ 5. post pascha. Idem versiculus legitur etiam in Professione fidei Græco-Latina in Concilio IV. Lateranensi edita, cui Patriarcha Constantinopolitanus, et Hierosolymitanus, atque Legati Patriarcharum Alexandrini, et Antiocheni, pluresque alii Metropolitæ, et Episcopi Græci interfuere (b).

Huc usque traditione Ecclesiarum v. 7. cap. 5. epist. I. Joannis genuinum esse, ostendimus. A referendis codicibus quibus res eadem confirmatur, nunc supersedemus, atque illud tantum animadvertimus, in codicibus, quibus prædictæ Ecclesiæ usæ fuerunt, cit. v. 7. descriptum fuisse, nullo modo dubitari posse. Fatemur tamen, eumdem vers. in pluribus codicibus Græcis deesse, in paucioribus autem Latinis (c).

(a) Vid. Victor Vitensis lib. 3. *De Perseq. Afric.*

(b) Vid. Maranus *Divinitas* J. C. *manifesta in Script., et Tradit.* part. 2. cap. 19.: Dissertatio de Rubeis *De Tribus in cœlo testibus etc.*, et Rogerii Dissert. Crit. Theol. *De his Evangelistæ verbis: Tres sunt etc.*

(c) Vid. Gazaniga Dissert. 1. *De Trinit.* cap. 3. in append.

CAPUT TERTIUM.

De Trinitate personarum divinarum secundum traditionem Patrum.

Prop. De Trinitate divinarum personarum certo constat ex traditione Patrum.

Probatur prop. ex præscriptione, de qua egimus Disput. 2. *De Locis Theol.* lib. 2. cap. 2. et seq. Semper in Ecclesia, et a primis usque temporibus firmissime creditum, retentumque fuisse, tres esse divinas personas, atque inter se distinctas, inde constat evidentissime, quia statim ac nonnulli distinctionem trium personarum de medio tollere contenderunt, Patres in defensionem antiquæ fidei iisdem sese acriter opposuerunt: ita contra Praxeam antiquissimum omnium distinctionem personarum Tertullianus vindicavit, qui et illud quoque affirmat in lib. *Adversus Praxeam* cap. 1. ad palinodiam coactum fuisse Praxeam, et non multo post tempore in pristinum errorem incidisse. S. Hyppolitus Episcopus, et Martyr Nöetum in sua contra eumdem *Demonstratione* confutavit, atque eumdem in suo errore persistentem ab Ecclesia ejectum fuisse, dicit: quod quidem Epiphanius Hæresi 57. num. 1. confirmat: Quando autem hæc hæresis magis, quam antea, sub Sabellio exarsit, Dionysius Alexandrinus illi sese opposuit, sicuti constat ex *Hist. Eccl.* Eusebii lib. 7. cap. 6. Demum in tribus Conciliis Antiochenis contra Paulum Samosatenum sec. 3. celebratis (a) confirmatum fuit, dogma Trinitatis semper retentum in Ecclesia.

In eadem rem aliqua loca veterum Patrum nunc in medium proferemus. Una cum S. Basilio etiam S. Clemens Petri secundus successor huic SS. Mysterio adtestatur: *Sed et Clemens simplicius* (ait Basilius lib. *De Spir. Sanc.* num. 72.) *vivit, inquit, Deus, et Dominus Jesus Christus, et Spiritus Sanctus.* S. Justinus M. in sua 1. *Apologia* Antonino Imperatori oblata num. 6. calumniam Atheismi a Christianis inde depellit, quod colerent tres personas divinas. Athenagoras in *Legat. pro Christ.* num. 10. dum Christianos ab eadem nota purgat, ita habet: „ Quis igitur non miretur, quum Atheos vocari audiet eos, qui „ Deum Patrem, et Filium Deum, et Spiritum Sanctum asse„ rant, ac eorum et in unione potentiam, et in ordine distinc„ tionem demonstrant?" Id ipsum etiam num. 12. et 24. tradit. S. Irenæus lib. 6. *Cont. Hæreses* cap. 6. num. 7. *Et propter hoc* (inquit) *in omnibus, et per omnia unus Deus Pater, et unum Verbum, Filius, et unus Spiritus Sanctus, et una fides,*

(a) Vid. Collect. Concil. Harduini tom. 1.

salus omnibus credentibus in eum. Tertullianus *Adver.* Praxeam cap. 13. *Et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus Sanctus Deus, et Deus unusquisque.* S. Cyprianus lib. *De Unit. Eccl. De Patre, Filio, et Spiritu Sancto scriptum est: et hi tres unum sunt.* Tandem, ut omittamus alios, S. Augustinus lib. 1. *De Trinit.* num. 7. „ Omnes, quos legere potui, qui antе me scripserunt de Trinitate, quæ Deus est, divinorum librorum veterum, et novorum Catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater, et Filius, „ et Spiritus Sanctus unius, ejusdemque substantiæ inseparabili „ æqualitate divinam insinuant unitatem."

Quæ contra opponuntur ad evincendum, tres personas divinas non esse consubstantiales, nunc refutare non aggredimur, quia hæc de re infra singillatim agemus, simulque aliqua dicta Patrum explicabimus, quæ in sui defensionem erroris nostri adversarii in medium proferunt. Superest ergo nunc, ut hæc pauca diluamus.

I. Si dogma Trinitatis primis tribus Ecclesiæ seculis pervulgatum fuisset, illud sane Ethnici Christianis objecissent, ab eis coli plures Deos, quoniam tres personas æque divinas colerent. Nam ut hoc illis veniret in mentem, per se obvium erat.

II. Ethnici procul dubio irrisissent mysterium tam altum, atque sublime, quod tres personas distinctas, et unam naturam complectitur, atque destituti lumine revelationis illud contempsissent. Neutrum tamen ex his duobus fecerunt; id igitur argumento esse debet, mysterium Trinitatis tribus primis Ecclesiæ seculis pervulgatum non fuisse.

R. Latere neminem, mysteria religionis occultare Ethnicis, nostros consuevisse, ne ea ab illis ludibrio haberentur. Singulariter de mysterio Trinitatis id testatur Cyrillus Hierosolymit. *Catech.* 6. num. 29. dicens: *Non enim Gentili, quæ Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum spectant, mysteria declaramus; neque Catechumenis coram de mysteriis palam loquimur.* Hoc autem semel constituto, mirandum non est, si Gentiles non objecerint Christianis multa eorum, quæ respiciunt mysterium Trinitatis.

Verum enim vero Celsum irrisisse nostros, quia adorarent Deum, et Christum, licet ipsi exprobrarent aliis multitudinem Deorum, testatur Origenes lib. 8. contra eumdem num. 4. atque Celsum monet, Christum, et Patrem ipsum esse Deum unicum, quia Dei, et Verbi est una, eademque natura.

LIBER SEXTUS.

De prima persona SS. Trinitatis videlicet Patre.

Modo de tribus Personis divinis singulariter agere instituimus: et primo quidem singillatim suo loco de unaquaque, quatenus distinctis nominibus vocantur, deinde vero Catholicas veritates, quæ respiciunt singulas personas divinas, contra hæreticos propugnabimus. Quædam tantum nomina quoad primam personam occurrunt explicanda, eaque sunt nomina ingeniti, patris, principii, atque causæ. De his ergo agemus in tribus capitibus, in quarto autem de Patre, quatenus est per se Deus, ut contrarium hac quoque de re errorem refellamus.

CAPUT PRIMUM.

De nomine ingeniti, quod tribuitur Patri.

Nomen ingeniti sumi potest tripliciter: 1. Pro eo, quod a principio externo non est creatum, vel factum: 2. Pro eo, quod per generationem non producitur: 3. Demum pro eo, quod caret omni principio. Secundum priorem acceptionem illud non minus primæ personæ convenit, quam duabus aliis, quum etiam istæ duæ sint et quid increatum, et quid non factum ab externo principio. Secundum alteram non solum convenit Patri, sed etiam Spiritui Sancto, qui, uti jam vidimus, non procedit per generationem. Secundum tertiam Patri solummodo convenit, et dicitur illius notionale nomen, quatenus singulariter nos ducit in cognitionem primæ personæ.

Prop. Nomen ingeniti si accipiatur pro eo, quod omni principio caret, est nomen proprium primæ divinæ personæ, et notionale illius.

Prob. prop. auctoritate Patrum. S. Basilius lib. 2. *Adv. Eunomium* num. 17. „*Ingenitum* (inquit) *dicitur, quod neque principium sui ipsius, neque causam, ut sit, habet: æternum vero, quod tempore omni, ævo secundum esse antiquius est. Unde Filius neque ingenitus est, sed est æternus.* S. Athanasius in epist. 1. ad *Serapionem* num. 25. pluribus ostendit, Spiritum Sanctum esse ex Deo, licet filius Dei non dicatur, adeoque nomen ingeniti illi non convenire, quatenus per hoc nomen excluditur esse sine principio.

Et re quidem vera est illud nomen primæ personæ proprium per quod ipsa distinguitur ab aliis: hoc vero est, quod præstat nomen ingeniti, quum id significet, quod est expers cujus-

eaque principii non solum creationis, atque productionis, sed etiam originis; hoc ergo nomine prima persona divina distinguitur ab aliis, quæ non sunt sine principio: secunda enim est a prima, tertia simul a prima, et secunda.

Dices. Nomen ingeniti semel ac Patris proprium esse dicatur, fauentes Arianis destruimus mysterium Trinitatis: ergo. Prob. aut. ex argumentatione, qua utebantur Ariani apud S. Augustinum lib. 5. De Trinit. num. 4. Quidquid de Deo dicitur, vel intelligitur, non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur: quapropter ingenitum esse Patri secundum substantiam est. Diversum est autem ingenitum esse, et genitum esse: diversa ergo est substantia Patris, et Filii. Ergo.

Præterea Ariani ita urgebant (a): „Pater ad Filium dici„tur, et Filius ad Patrem: ingenitus autem ad se ipsum dici„tur, et genitus ad se ipsum non dicitur. Et ideo si quid„quid ad se ipsum dicitur, secundum substantiam dicitur, di„versum est autem ingenitum esse, et genitum esse: diversa „igitur substantia est." Hæc Ariani: constat ergo nos favere illis, si nomen ingeniti proprium Patris esse dicamus. Eo vel maxime, quia quotquot consubstantialitatem Filii, et Spiritus Sancti cum Patre ab antiquis temporibus impugnarunt, in hac voce ingenitus, quæ est propria Patris, suum errorem aliqua ex parte reposuerunt: ajebant enim: neque Filius dici potest ingenitus, neque Spiritus Sanctus, quatenus est uterque ab aliquo principio, indeque inferebant, solum ingenitum esse summum Deum, a quo omnia procreata dicerentur (b).

R. Ad 1. cum S. Augustino loco citato, qui illud acute opponit Arianis; etiam ea verba: *ego, et Pater unum sumus*, intelligi debere secundum substantiam, si quidquid de Deo dicitur, secundum substantiam dicitur, ac propterea Patris, et Filii unum, eandemque substantiam esse. Post nonnulla vero alia, quæ iisdem objecit, ipse quoque fatetur, nihil secundum accidens de Deo dici posse, quia in eo *nihil est mutabile, aut amissibile*. Negat tamen omne, quod dicitur de Deo, secundum substantiam dici, licet in creatis quidquid de illis dicitur, aut secundum substantiam, aut secundum accidens dicatur. Quare licet de Deo nihil dicatur secundum accidens, non tamen quidquid dicitur, tantum secundum substantiam dicitur, sed etiam dicitur „Ad aliquid, sicut Pater ad Filium, et Filius ad Pa„trem, quod non est accidens, quia et ille semper Pater, et „iste semper Filius ... Si vero quod dicitur Pater, ad se ip„sum diceretur, non ad Filium et quod Filius ad se ipsum „diceretur, non ad Patrem; secundum substantiam diceretur et

(a) Apud August. cit. loco num. 3.
(b) Vid. Petavius *De Trinit.* lib. 5. cap. 1.

„ille Pater, et iste Filius. Sed quia Pater non dicitur Pater, „nisi ex eo quod est ei Filius, et Filius non dicitur, nisi ex „eo quod habet Patrem, non secundum substantiam hæc di„cuntur, quia non quisque eorum ad se ipsum, sed ad invi„cem, atque ad alterutrum ista dicuntur: neque secundum ac„cidens, quia et quod dicitur Pater, et quod dicitur Filius, „æternum, atque incommutabile est eis." Unde *secundum re„lativum dici*, colligit, quod non est mutabile.

Respondet deinde num. 7. alteri objectioni, atque dicit, adversarios *mira cæcitate* non advertere, genitum ad se ipsum revera dici non posse, sed ad alterum dici debere, hoc est, ad generantem. Deinde ut ostendat, Patrem, quia ingenitum, non esse substantiæ diversæ a Filio, ita habet: *Quum vero ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit, dicitur. Quum autem relativum negatur, non secundum substantiam negatur, quia ipsum relativum non secundum substantiam dicitur.* Unde post multa exempla, quæ in hanc rem adducit, ita num. 8. colligit: *Non ergo recedit a relativo prædicamento, quum ingenitus dicitur. Sicut enim genitus non ad se ipsum dicitur, sed quod ex genitore sit; ita quum dicitur ingenitus, non a se ipso dicitur, sed quod ex genitore non sit, ostenditur.* Hinc etiam Basilius lib. 1. et 4. *Cont. Eunomium* illud semper contra eumdem urget, nomine ingeniti non significari, quid sit Deus, sed remotionem ejus, quod non est. Idem inculcat S. Gregorius Nazianz. *Orat.* 35., et alii Patres, qui pugnarunt contra Arium, aliosque, qui ipsum præcesserunt.

Cavillandi quidem occasionem ex illa voce *ingenitus* Ariani, et potissimum Eunomiani acceperunt: volebant enim ipsi totam rationem Divinitatis in eo positam, quod improducta, et ingenita foret, indeque inferebant, Filium, et Spiritum Sanctum non esse Deum, quia rationem ingeniti, et improducti in se non haberent. Hac ergo malitiosa æquivocatione ipsi utebantur, videlicet per ingenitum intelligebant eum, qui nullum prorsus principium sui haberet, qualis est solus Deus: per genitum autem, qui ab alio productus, sive factus, aut creatus esset, indeque inferebant, Filium, et Spiritum Sanctum habendos in numero creaturarum. E contrario autem Catholici nomen ingeniti secundum omnem suam significationem tribuebant Patri, hoc est, non solum exclusо omni principio creationis, sed etiam cujusvis processionis, productionis, seu emanationis, et originis in ius personæ ab altera, quia Pater est principium sine principio. Filium autem dicebant genitum, non quia creatus, et factus, quatenus antea non esset, sed quia per æternam generationem procedit a Patre, ipsi omnino æqualis, atque consubstantialis.

Mirandum autem non est, si aliqui Patres objecerint hæreticis, vocem *ingenitus*, in qua fundamentum sui erroris ipsi

ponebant, non occurrere in Scriptura, legi autem in ea plura alia nomina, quibus Deus voluit se vocari. Hoc enim totum non eo pertinet, ut nulla voce uti liceat, quæ non sit expressa in Sacris litteris, sed suam ad convincendos Arianos efficaciam inde habet, quia vocem *omousion* illi recusabant admittere, quia ea in Scriptura non habebatur. Unde contra Arianos inferebant, sane non esse, cur in voce *ingenitus*, suæ causæ defensionem reponerent, eo vel magis, quia aliunde appellatio Patris est magis simplex, et non subjecta cavillationibus.

CAPUT SECUNDUM.

De nomine Patris, quo vocatur prima persona SS. Trinitatis.

Nomen Patris aut de prima persona SS. Trinitatis singulariter dicitur, aut de omnibus divinis personis, quatenus et in eadem natura conveniunt, et operantur ad extra : secundum priorem rationem est nomen notionale, sive proprium primæ personæ.

Prop. Nomen Patris, si accipiatur singulariter, est nomen proprium primæ personæ SS. Trinitatis.

Prob. prop. *Matt.* 10. 32. ait Christus : *Confitebor et ego eum coram Patre meo.* Cap. 11. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli, et terræ.* Cap. 16. 17. *Caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* Ille profecto, quem Christus suum Patrem appellat, est prima persona SS. Trinitatis : nomen ergo Patris, si singulariter accipiatur, est proprium primæ personæ SS. Trinitatis.

Dicitur quoque nomen notionale : hoc enim nomine prima persona distincta significatur ab aliis, quatenus est principium aliarum vel per modum originis, vel per modum processionis, ipsa autem nullo modo ab aliquo principio procedit.

Hinc appellationem Patris non secus, ac Filii, sancte custodiendam, retinendamque tota antiquitas censuit, eosque, qui unam ex illis e medio tollere conati fuerant, in numero Arianorum habuit. Nam Eunomius, sicut advertit S. Gregorius Niss. lib. 1. contra eumdem, nomina Patris, et Filii fraudulenter dissimulavit, ne ipsa appellatione cogeretur admittere æqualitatem naturæ. Nam personæ non sunt diversæ substantiæ, quando una est generans, altera genita, semel ac generatio perfectissima sit, quælis est in divinis : generatio enim producit in similitudinem naturæ. Etiam Sabellianis ipsum nomen Patris Ecclesiæ Doctores opposuerunt : neque enim is, qui solus est, pater dici potest : nam filium habere debet. Appellatio ergo Patris tam appellationi ingeniti, quam aliis primæ personæ nominibus

anteponenda est, tum propter auctoritatem Scripturæ, tum propter id, de quo in cap. præced. mentionem fecimus. „Principalis„ ma enim cognitio de Deo (inquit S. Cyrillus lib. 11. in Jesa.) „ in hoc sita non est, ut Deum esse tantum cognoscamus, sed „ et Patrem, et cujus sit Pater, una quoque subeunte cogni„ tione Sancti Spiritus."

Dicas: Nomen Patris vel substantiæ, vel actionis nomen est: si prius dicatur; Filius erit substantiæ diversæ a Patre, quum substantia Dei sit una: si alterum; dicatur oportet, Filium factum, non genitum esse. Ita Eunomius apud Gregorium Nazianzenum Orat. 35. Nomen igitur Patris habesi non delet, uti nomen proprium, et personale primæ personæ.

R. Gregorius hac ratione: „Nec essentiæ nomen est Pater, „ nec actionis, sed relationem eam indicat, quam Pater erga „ Filium habet, vel Filius erga Patrem. Ut enim apud nos hæc „ nomina germanam quamdam conjunctionem, et necessitudinem „ declarant; ad eumdem modum illic quoque Genitorem, ac Ge„ nitum eandem naturam habere significant." Quia enim generatio perfectissima est, inde colligitur, eamdem esse substantiam Genitoris, ac Geniti.

Si autem nomen Patris ad creata referatur; tunc primæ personæ divinæ convenit essentialiter non secus, ac aliis duabus. Nam secundum hujusmodi acceptionem significat aliquid commune tribus personis divinis, videlicet creationem, providentiam, conservationem, et alia hujusmodi, quæ toti Trinitati communia sunt, et creata, uti suum objectum, respiciunt.

CAPUT TERTIUM.

De nomine principii, et causæ, quatenus tribuitur primæ personæ SS. Trinitatis.

Hoc nomen principium tripliciter accipi potest, videlicet et respectu rerum creatarum, et respectu Filii, et respectu Spiritus Sancti. Secundum primam acceptionem nomen principii tribus personis divinis æque convenit: secundum alteram; est proprium, et notionale primæ personæ, quæ generat filium: secundum tertium, non est proprium solius Patris, sed convenit etiam Filio, a quo Spiritus Sanctus, æque ac a Patre, procedit.

Prop. 1. Nomen principii est proprium, et notionale Patris, quatenus Filium generat.

Prob. prop. *Proprium autem eius, qui principium est respectu, nomen* (inquit Gregorius Nazianz. Orat. 36.) *est Pater.* In Deo autem 1. tribuit Patri nomen principii, non quatenus res creatas ipse respicit, sed quatenus Divinitatis, quæ inest in Filio, principium est. Dici etiam potest, nomen principii esse proprium,

et notionale Patris, quatenus ab ipso et generatur Filius; et procedit Spiritus Sanctus.

Prop. II. Si autem nomen principii sumatur relate ad Spiritum Sanctum, est proprium non solum Patris, sed etiam Filii, et non est amplius nomen notionale Patris.

Prob. prop. Nomen namque notionale non solum alicujus divinæ personæ proprium esse debet, sed etiam oportet, ut in notionem personæ divinæ nos singulariter ducat: esse autem principium Spiritus Sancti Patri, Filioque convenit, quemadmodum suo loco ostendemus: si ergo nomen principii sumatur relate ad Spiritum Sanctum, est quidem proprium una cum Filio etiam Patris, non tamen notionale ipsius Patris.

Dices. Semel ac dicatur, Patrem esse principium Filii, et Filium una cum Patre principium Spiritus Sancti, Filius erit quid principiatum respectu Patris, et Spiritus Sanctus respectu Patris, et Filii: hoc dici non potest: ergo.

R. Hac argumentatione contra consubstantialitatem Filii usos fuisse Arianos, qui notionem principii per summam ignorantiam, seu malitiam, in eo tantum reponebant, ut a principio id fieret, quod antea non erat: verum origo, quæ per nomen principii designatur, est duplex: altera creationis, seu effectionis, altera naturalis productionis: illa convenit tribus personis divinis, ista soli Patri respectu Filii. Quapropter, sicuti habet S. Gregorius Niss. lib. 1. *Cont. Eunomium* „Quando in voce principium nihil intelligitur aliud, nisi id, quod ex nullo penitus principio habet, ut subsistat, hoc ipsum solius esse Patris proprium, confitemur. Quum autem de reliquis principii significationibus inquisitio fit; quoniam et creationis principium est, et temporis, et ordinis, etiam in iis unigenitum Filium omni principio superiorem esse, testamur.... Itaque quem ratione subsistentiæ non expertem esse principii putamus, in reliquis omnibus carere principio, fatemur. Et Patrem quidem principio carentem, et ingenitum, Filium vero principio quidem eo, quem diximus, modo, carentem, non tamen ingenitum esse, dicimus." Idem dici debet de Spiritu Sancto, quatenus a Patre, et Filio procedit.

Patrem autem causam esse Filii, et utrumque Spiritus Sancti, legitur apud Patres Græcos, nonnullosque etiam Latinos (a): passim tamen Patres Latini, et antiqui scriptores tradunt, Patrem dicendum non esse causam Filii, sed principium. Hujus rei istam rationem tradit Angelicus 1. p. quæst. 33. art. 1. ad 1. „Quia principium communius est, quam causa. Primus enim terminus, vel etiam prima pars rei, dicitur principium, sed non causa. Quanto autem aliquod nomen est communius, tanto con-

(a) Vid. Petav. *De Trinit.* lib. 5. cap. 5. num. 9. et seq.

„ venientius assumitur in divinis, ut supra dictum est: (quæst. „ 13. art. 2.) quia nomina quanto magis specialia sunt, tanto „ magis determinant modum convenientem creaturæ. Unde hoc „ nomen *causæ* videtur importare diversitatem substantiæ, et „ dependentiam alicujus ab altero, quam non importat nomen „ principii... Sed nomine principii utimur etiam in his, quæ nul- „ lam hujusmodi differentiam habent, sed solum secundum quem- „ dam ordinem, sicut quum dicimus punctum esse principium „ lineæ."

Ecclesia autem nomen tum principii, tum causæ æque admisit, et utroque nomine Patrem vocari posse, consensit. Quum enim nomen causæ dupliciter sumi possit, videlicet et lato modo pro omni eo, a quo aliquid habet, ut sit, et minus lato, hoc est pro eo, a quo aliquid habet, ut sit cum dependentia: secundum illam acceptionem, non vero secundum istam Græci Patres acceperunt nomen causæ, quando Patrem esse dixerunt causam Filii: quod sane inde manifeste colligitur, quia ipsi quoque, Filium Patri consubstantialem esse, propugnarunt.

De aliis nominibus minus vulgatis, videlicet Auctoris, Radicis, Fontis, atque capitis, quibus etiam Doctores Ecclesiæ aliquando Patrem appellarunt, nunc omittimus disserere.

CAPUT QUARTUM.

De prima persona SS. Trinitatis, videlicet de Patre, quatenus est per se Deus.

Inter varios errores circa mysterium Trinitatis ille quoque nonnullorum debet recenseri, qui Divinitatem communem quamdam substantiam esse confinxerunt, cujus pars alia esset Pater, alia Filius, alia Spiritus Sanctus. Horum autem mentionem facit S. Augustinus *De Hæres.* cap. 74. Abbas Joachim, cujus doctrina in Concil. Lateran. sub Innocentio III. proscripta fuit, inter alios errores hunc quoque sequutus fuit, et per se nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum esse Deum, dixit, sed ex illis simul unitis Deum coalescere. Quare nullam naturam communem agnoscebat in tribus divinis personis, sed in singulis aliquam peculiarem, in Patre quidem generantem, in Filio genitam, in Spiritu Sancto procedentem ex utroque.

Prop. Pater est per se Deus.

Prob. prop. ex Scriptura. *Psal.* 88. 27. loquens Deus Pater de filio suo venturo in hunc mundum, ait: *Ipse invocabit me: Pater meus es tu, Deus meus et susceptor salutis meæ. Joan.* 20. 17. inquit Christus: *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum.* Apostolus

1. *Corint.* 8. 6. *Nobis* (nil) *unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum, et unus Dominus Jesus Christus.* Hæc per se omnino perspicua sunt, et necesse non est, ut alia superaddamus. Hinc Concil. Lateran. III. sub Innocentio III. can. 2. contra Abatem Joachimum ita statuit (a): „Nos (inquit Summus Pontifex), Sacro approbante Concilio credimus, et confitemur, quod una quædam summa res est, (nempe Divinitas) „quæ veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, tres „simul personæ, ac singillatim quælibet earumdem: et ideo solummodo Trinitas est, non quaternitas, quia quælibet trium „personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina." Unde etiam Toletanum VI. in Professione fidei cap. 1. ita habet (b): „In hac autem Trinitate tanta est „unitas substantiæ, ut pluralitate careat, et æqualitatem teneat: „nec minor in singulis, quam in omnibus, nec major in omnibus, quam in singulis maneat personis." Et S. Augustinus *Enarrat.* in *Psal.* 68. serm. 1. num. 5. „Quæris quid sit Pater; respondetur, Deus: quid sit Filius; respondetur, Deus: „quæris quid sit Pater, et Filius; respondetur Deus. De solo Patre interrogatus, Deum responde: de solo Filio interrogatus, Deum responde."

LIBER SEPTIMUS.

De secunda persona SS. Trinitatis.

Prout jam instituimus de singulis divinis personis singulariter agere, in hoc libro disseremus primo loco de præcipuis nominibus, quibus secunda persona SS. Trinitatis singillatim appellatur. Hæc autem nomina tantum, ne nimis in longum progrediamur, præcipue expendemus, videlicet Verbum, Imago, Sapientia Patris, et Filius, deque his agemus in distinctis capitibus, ac de Verbo quidem in duobus prioribus, de aliis in tribus sequentibus.

CAPUT PRIMUM.

De nomine Verbi.

Alogi, seu *sine Verbo*, non agnoscebant Verbum in divinis, indique scripta S. Joannis non admittebant, quia in iisdem fit mentio verbi. Hoc ex S. Augustino novimus lib. *De Hæres.* num. 30. Non permanere, sed transire divinum Verbum, sicut

(a) Tom. VII. Concil. edit. Hard. col. 13.
(b) Tom. III. Concil. edit. Harduini col. 602.

transit verbum nostrum, Paulus Samosatenus docuit, quemadmodum *Hæresi* 65. num. 3. Epiphanius tradit. Id quoque Arius, et Eunomius asseruisse videntur: sane Arius in sua *Thalia* dubitavit, ex pluribus Dei Verbis quodnam sit Filius Dei: „Multa, inquiunt, verba (ita apud S. Athanasium lib. *De Decret. Synod. Nicæn.* num. 16.) loquitur Deus, quale ego „horum Filium Dei, et Verbum Unigenitum Patris dicemus?"

Filium esse Verbum Dei, sentiunt Patres, attamen non externum, atque in tempore productum, vel ab ipso Deo separatum, sed interius, cum ipso, et in ipso Patre subsistens. Unde licet aliquando nonnulli eorum Verbum divinum cum nostro exteriori, quod profertur, comparent; tamen illud esse interius semper profitentur. Quare quum ad similitudinem Verbi divini propius accedat verbum interius mentis nostræ, hoc sane est, quod plerumque ad exprimendum Verbum divinum adhibetur a Patribus.

Prop. Nomen Verbi est nomen personale, et proprium secundæ personæ SS. Trinitatis.

Prob. prop. ratione Angelici 1. p. quæst. 34. art. 1. Verbum enim, prout in divinis proprie dicitur, significat aliquid ab alio procedens: sed in divinis nomen significans aliquid ab alio procedens, est nomen personæ, eo quod divinæ personæ secundum originem distinguuntur (a): oportet ergo nomen Verbi, prout proprie accipitur in divinis, de persona solummodo dici.

Ex eo autem quod Verbum sit nomen personæ, debet esse proprium illius personæ, quæ procedit per internam emanationem intellectus: at vero sola secunda persona, videlicet Filius, procedit per internam emanationem intellectus (b): igitur nomen Verbi est proprium Filii, quatenus generatur a Patre.

Dices. Nomen Verbi etiam Spiritui Sancto Basilius tribuit lib. 5. *Cont. Eunom.* cap. 1. eodemque charactere designari Filium, et Spiritum Sanctum docet Apostolus. Nam *Hebr.* 1. 3. dicit de Christo, eum portare omnia *verbo virtutis suæ*: Ephes. 6. 17. *gladium spiritus* vocat *Verbum Dei*: ergo.

R. Basilium accipere nomen verbi non in proprio sensu, prout eo singularis persona divina distinguitur ab aliis duabus, sed prout significatur, quod est proprium divinarum personarum, et creatis non potest convenire. Unde superaddit: *Quod quæ soli Patri adsunt, ut Deo, non ut Patri, et Filio, ut Deo, non ut Filio, ea adsunt Spiritui soli, creaturis non item.* Paulus autem quando dicit *portans omnia verbo virtutis suæ*, sumit Verbum pro effectu illius, videlicet pro imperio, quate-

(a) Hujus Disput. lib. 2. cap. 5.
(b) Hujus Disput. lib. 1. et 4.

nus est effectus virtutis Verbi, ut omnia conserventur. Ephesiorum autem citato loco accipit Verbum pro ea doctrina, qua fideles pugnant contra hostes fidei.

Latini autem secundam personam SS. Trinitatis vocant Verbum, non vero sermonem, licet vox *Logos*, quæ in textu græco Evangelii legitur, utrumque significet. Sermo enim constat pluribus vocibus, ideoque est minus aptus ad significandum simplicissimum actum cognitionis, quo Pater producit Filium. „ Quapropter (sicut S. Augustinus advertit lib. 15. *De Trinit.* „ num. 25.) ita dicitur illud Dei Verbum, ut Dei cogitatio „ non dicatur, ne aliquid esse quasi volubile credatur in Deo, „ quod nunc accipiat, nunc recipiat formam, ut verbum sit. „ Et ideo Verbum Dei sine cogitatione Dei debet intelligi, ut „ forma ipsa simplex intelligatur, non habens aliquid formabile, quod esse etiam possit informe." Verbum igitur divinum ex parte convenit cum nostro, et ex parte differt: convenit cum nostro 1., quia verbum nostrum a mente procedit, et manet in illa; ita etiam Verbum divinum a Patre procedit, eique intimum est: 2. quia sicut mens nostra absque ulla læsione sui producit verbum, ita et Pater suum Verbum producit: 3. quia sicut verbum nostrum est quadantenus imago mentis: ita Verbum divinum est perfecta imago Patris: 4. tandem quia sicut mens se videt in suo verbo; ita Pater divinus in suo. Disconvenit autem 1. quia verbum humanum est accidens, divinum substantia: 2. illud non est menti coæternum, et modo oritur, modo occidit, istud est coæternum Patri, et immutabile: 3. illud non est unum tantum, sed diversum pro diversitate rerum, quas intelligimus; istud est unicum, quia Pater sicut uno actu intelligit omnia; ita etiam uno Verbo omnia dicit: 4. illud ob indigentiam producitur, ut in verbo intelligamus, et non habet rationem filii, istud ex abundantia paternæ cognitionis procedit, et rationem Filii habet.

CAPUT SECUNDUM.

De ea cognitione, ex qua Verbum procedit.

Verbum dici a Patre, ideo Ecclesiæ Doctores affirmarunt, quia sicut advertit Angelicus 1. p. quæst. 34. art. 1. ad 3. „ *Dicere importat principaliter habitudinem ad Verbum conceptum: nihil enim est aliud dicere, quam proferre verbum.* Hinc S. Augustinus lib. 15 *De Trinit.* num. 23. „ *Proinde* (inquit) *tamquam se ipsum dicens Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia. Non enim se ipsum integre, perfecteque dixisset, si aliquid minus, aut amplius essent in ejus Verbo, quam in ipso.*" Non ratione essentiæ, quæ nec generat, nec generatur,

Filius producitur a Patre, sed ratione personalitatis, atque inde oritur quæstio, ex quarum cognitione rerum Verbum procedat, seu quæ sint, quæ cognoscit Pater, dum producit Verbum.

Est autem quoad rem istam advertendum, esse duplicis ordinis ea objecta, ex quorum cognitione Verbum procedit, hoc est, alia necessaria, alia contingentia. Similiter habita ratione modi, quo Verbum procedit, dici potest procedere per se, et necessario ex cognitione aliquorum, quatenus cognitio eorumdem in processionem Verbi per se influit: per accidens vero, et concomitanter, quatenus licet revera influant in processionem Verbi, non tamen per se requiruntur. His præmissis.

Prop. I. Verbum divinum per se procedit ex cognitione essentiæ divinæ, attributorum illius, et personarum divinarum.

Prob. prop. „Pater (inquit Angelicus 1. p. quæst. 34. art. 1. ad 3.) intelligendo se, et Filium, et Spiritum Sanctum, et „omnia alia, quæ ejus scientia continentur, concipit Verbum, „ut sic tota Trinitas Verbo dicatur, et omnis creatura." Et quidem Verbum divinum procedere debet ex ea cognitione Patris, quæ sit necessaria, perfectissima, infinita, et comprehensiva totius Divinitatis, quum Verbum sit infinitum, atque repræsentet totam Divinitatem: ergo procedere debet ex ea cognitione, qua Pater cognoscit se, et Filium, et Spiritum Sanctum, et omnia alia, quæ in ejus scientia continentur: ergo Verbum divinum etc.

Eo vel maxime quia in illa prioritate originis, in qua Pater est prior Filio, et illum generat, Pater videt Filium, et Spiritum Sanctum actu existentes: ergo ex illorum, atque etiam ex cognitione Patris ipsum Verbum a Patre procedit. Ant. constat: instans quippe illud est originis, non vero temporis, vel prioritatis, quæ in scholis dici consuevit non *in quo*, sed tantum *a quo*, proindeque in illo signo Verbum, et Spiritus Sanctus existunt, quia sunt entia omnino necessaria. Hinc ita de divino Verbo Augustinus lib. 15. *De Trinit.* num. 19. „Quisquis igi„tur potest intelligere Verbum, non solum antequam sonet, ve„rum etiam antequam sonorum ejus imagines cogitatione vol„vantur.... jam potest per hoc videre speculum, atque hoc in „ænigmate aliquam Verbi illius similitudinem, de quo dictum „est: *in principio erat Verbum.*"

Ex hac autem propositione nostra consequitur, quod advertit Angelicus 1. p. quæst. 34. art. 1. ad 3., videlicet *dici* convenire cuilibet personæ. Unde „uni soli personæ convenit dici „eo modo, quo Verbum dicitur: eo vero modo, quo res di„citur in Verbo intellecta, cuilibet Personæ convenit dici. Pa„ter enim intelligendo se, et Filium, et Spiritum Sanctum, et „omnia alia, quæ ejus scientia continentur, concipit Verbum, „ut sic tota Trinitas Verbo dicatur, et etiam omnis creatura."

Illud quoque ad majorem hujus rei intelligentiam, qualis tamen nunc haberi potest, adverti debet, „quod in nobis (sicuti Angelicus habet cit. quæst. art. 2. ad 1.) non est idem esse, et intelligere: unde illud, quod habet in nobis esse intelligibile, non pertinet ad naturam nostram. Sed esse Dei est ipsum ejus intelligere. Unde Verbum Dei non est aliquod accidens in ipso, vel effectus ejus, sed pertinet ad ipsam naturam ejus: et ideo oportet, quod sit aliquod subsistens, quia quidquid est in natura Dei, subsistit."

Prop. II. Verbum divinum per se procedit etiam ex cognitione omnium rerum creatarum possibilium.

Prob. prop. auctoritate Angelici, qui 1. p. quæst. 34. art. 3. rem totam ita explicat: „Deus enim cognoscendo se cognoscit omnem creaturam: Verbum igitur in mente conceptum est representativum omnis ejus, quod actu intelligitur. Unde in nobis sunt diversa verba secundum diversa, quæ intelligimus. Sed quia Deus uno actu et se, et omnia intelligit, unicum Verbum ejus est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum. Et sicut Dei scientia Dei quidem est cognoscitiva tantum, creaturarum autem cognoscitiva, et factiva; ita Verbum Dei ejus, quod in Patre est, est expressivum tantum, creaturarum vero expressivum, et operativum: et propter hoc dicitur in Psal. 148. v. 5. *ipse dixit, et facta sunt*, quia importatur in Verbo ratio factiva eorum, quæ Deus facit."

Deinde ex cognitione comprehensiva essentiæ divinæ procedit Verbum divinum: sed essentia divina non potest cognosci comprehensive, quin simul omnipotentia, quæ est proprietas illius, comprehendatur: omnipotentia autem divina comprehendi non potest, si in ea simul non videantur, quæ cum ipsa necessario conjunguntur, et modus simul pateat hujusmodi conjunctionis, seu connexionis: quum ergo possibilia non solum universe, et generatim, sed etiam singillatim cum divina omnipotentia sint connexa; inde consequitur Verbum divinum per se procedere etiam ex cognitione illorum omnium, quæ a Deo fieri possunt.

Quamvis autem Verbum procedat ex cognitione omnium creaturarum possibilium, non tamen procedit a creatis: quia, inquit Angelicus in cit. loco ad 3. „*Creaturæ non cognoscuntur a Deo per scientiam a creaturis acceptam, sed per essentiam suam: unde non oportet, quod a creaturis procedat Verbum, licet Verbum sit expressivum creaturarum.*

Prop. III. Verbum ex se non procedit ex cognitione futurorum, quatenus in processionem Verbi illa influant, sed per accidens, et concomitanter.

Prob. prior pars prop. Cognitio, ex qua Verbum per se procedit, est naturalis, et necessaria, alioquin Verbum existeret contingenter: sed cognitio futurorum non est naturalis, atque

necessaria, sed supponit decretum liberum Dei, sine quo sicuti res futuræ non potuerunt esse, ita et illarum cognitio esse non potuit. Verbum ergo per se non procedit ex cognitione futurorum, quatenus ea per se influant in processionem Verbi. „At „si æterne se intelligit, (inquit S. Anselmus in *Monolog.* cap. „2.) æterne se dicit: si æterne se dicit, æterne est Verbum „ejus apud ipsum. Sive igitur ille cogitetur, nulla alia existen„te essentia, sive aliis existentibus; necesse est Verbum illius „coæternum illi esse cum ipso."

Prob. altera pars. Quum enim, sicuti, jam animadvertimus, Verbum procedat ex cognitione comprehensiva divinæ essentiæ, et res futuræ in ea per accidens, et ob suppositionem decreti contineantur, inde consequitur, ut Verbum concomitanter, et per accidens ex illorum cognitione procedat.

Quapropter quum Deus res futuras potuerit quoque non decernere, nulla fuit absoluta necessitas, Verbum ex illarum notitia procedere: attamen semel ac eas decretas, adeoque cognitas a Patre fuisse ponatur, Verbum exprimere easdem debuit: ea enim omnia Verbum exprimit, quæ novit Pater. Sicut ergo Pater potuit non cognoscere res futuras, quatenus illas non decernere potuit, sed si ponatur, quod decreverit, eas nosse necessario debuit, ita et Verbum easdem repræsentare.

Quæ autem de processione Verbi usque modo disseruimus, etiam ad processionem Spiritus Sancti accommodari possunt. Sicut enim Verbum diximus procedere ex cognitione omnium, quæ sunt in Deo formaliter, quia procedit ex cognitione comprehensiva; ita etiam quum Spiritus Sanctus procedat ex amore comprehensivo, procedit ex amore omnium, quæ sunt in Deo formaliter.

CAPUT TERTIUM.

De nomine Imaginis, quo vocatur secunda persona SS. Trinitatis.

Illud cum Angelico 1. p. quæst. 35. art. 2. ad 3. adverti debet, imaginem unius in altero adinveniri duplici modo posse: *Uno modo in re ejusdem naturæ secundum speciem, ut imago Regis invenitur in filio suo: alio modo in re alterius naturæ, sicut imago Regis invenitur in denario.* Secundum priorem rationem Filius est imago Dei, secundum alteram homo. Unde sicuti Angelicus colligit: „Ad designandam in ho„mine perfectionem imaginis, homo dicitur non solum imago, „sed ad imaginem, per quod motus quidam tendentis in per„fectionem designatur. Sed de Filio Dei non potest dici, quod „sit ad imaginem, quia est perfecta Patris imago." Origo autem requiritur ad rationem imaginis, sicut in præced. art.

cit. quæst. idem Angelicus advertit, et Augustini auctoritate comprobat.

Prop. Sola secunda persona SS. Trinitatis vere, et proprie dicitur imago.

Prob. prop. „Doctores Græcorum (inquit Augelicus cit. „ quæst. 35. art. 2.) communiter dicunt, Spiritum Sanctum „ esse imaginem Patris, et Filii, sed Doctores Latini soli Filio „ attribuunt nomen imaginis. Non enim invenitur in cano„ nica Scriptura nisi de Filio. Dicitur enim *Colossen.* 1. „ 15. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus creaturæ.* „ Et *Hebr.* 1. 3. *Qui quum sit splendor gloriæ, et figura* „ *substantiæ ejus.*"

Hinc a Patribus traditum habemus, Verbum Dei vocari imaginem, quia generatur a Patre, sive est Verbum Patris: „*Ima*„*go* (inquit *S. Gregorius Nazianz. Orat.* 36.) *est ejusdem* „ *cum Patre substantiæ, et quia ex illo est, non ex hoc* „ *Pater.* S. Augustinus lib. 83. QQ. quæst. 74. consequens est „ (ait), ut Filius non solum sit imago ejus, quia de illo est, „ et similitudo, quia imago, sed æqualitas tanta, ut nec tem„ poris quidem intervallum impedimentum sit." Est igitur imago nomen non absolutum, sed relativum „ Quid enim absur„ dius (inquit S. Augustinus lib. 7. *De Trinit.* num. 2.) quam „ imaginem ad se dici?" Quare de Filio relative dicatur oportet: licet vero sint communia toti Trinitati, quæ dicuntur absoluta, tamen quæ dicuntur relative, sunt propria personarum, proptereaque nomen imaginis vere, et proprie dicitur de Filio.

Dices. Etiam homo dicitur imago Dei ab Apostolo I. *Corint.* 11. 7. ergo non est proprium secundæ personæ SS. Trinitatis esse imaginem Dei. Deinde etiam Spiritus Sanctus suam a Patre naturam accipit, sicuti accipit Filius: ergo.

Ad 1. constat responsio ex iis, quæ cum Angelico initio hujus capitis animadvertimus. Id unum nunc monemus, a quibusdam Patribus dici, Filium esse imaginem genitam, hominem autem factam, ab aliis hominem vocari imaginem Dei, quia quod est Dei, homo repræsentat: hoc autem haud una eademque ratione explicatur ab eis. (a).

Ad alterum dicimus cum Angelico cit. quæst. art. 2. quod quamvis Spiritus Sanctus „ sua processione accipiat naturam Pa„ tris, sicut et Filius, non tamen dicitur natus; ita licet ac„ cipiat speciem similem Patris, non dicitur imago: quia Fi„ lius procedit ut Verbum, de cujus ratione est similitudo „ speciei ad id, a quo procedit; non autem de ratione amo-

(a) Vid. loca Patrum apud Petavium *De Trinit.* lib. 6. cap. 6. num. 17.

„ris, quamvis hoc conveniat amori, qui est Spiritus Sanctus, „in quantum est amor divinus."

CAPUT QUARTUM.

De nomine sapientiæ, quo vocatur secunda persona SS. Trinitatis.

Prop. Nomen sapientiæ esse proprium secundæ personæ SS. Trinitatis, dici non potest, ei tamen secundum quamdam appropriationem recte tribuitur.

Prob. prior pars prop. Quod significat aliquid absolutum, nullius personæ divinæ proprium est, sed convenit singulis personis, quæ habent unam, eamdemque essentiam: at nomen sapientiæ quid absolutum significat: sicut enim æternus est Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus; ita etiam sapiens est Pater, sapiens Filius, sapiens Spiritus Sanctus: igitur nomen sapientiæ proprium Filii esse non potest.

S. Augustinus lib. 7. *De Trinit.* num. 3. expendens diversitatem, quæ inter hæc duo nomina *Verbum, et Sapientia* intercedit, Verbum non ad se dici animadvertit: „Sed tantum „relative ad eum, cujus Verbum est; sicut Filius ad Patrem: „sapientiam vero eo, quo essentia. Et ideo quia una essentia, „una sapientia.... Unde Pater, et Filius simul una sapientia, „quia una essentia, et singillatim sapientia de sapientia, sicut „essentia de essentia."

Prob. altera pars. Nam sapientiæ nomen in Sacris litteris Filio Dei simpliciter tribuitur: Apostolus enim I. *Corint.* 1. 24. vocat Christum *Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Et re quidem vera illud nomen de Filio Dei per appropriationem jure, meritoque dicitur, quod licet rem communem tribus personis divinis significet, proportionem tamen præcipuam cum ea singulari ratione habet, qua Filius a Patre procedit: hujusmodi vero est nomen sapientiæ: nam Filius a Patre per intellectum singulariter procedit: sapientia autem procedit per intellectum.

Illud nunc est advertendum, dici non posse, Patrem sapientia Filii sapientem esse. Hujus rei rationem S. Augustinus affert lib. 15. *De Trinit.* num. 12., videlicet quia Pater constitueretur Pater per Filium, aut reciperet sapientiam a Filio. Idem confirmat lib. 7. *De Trinit.* num. 1. et seqq. Quare quod asseruerat lib. 83. QQ. quæst. 83. hoc est, Patrem ea sapientia, quam genuit, sapientem esse, retractavit lib. 1. *Retract.* cap. 26. iisque, quæ in libris *De Trinit.* dixerat, sese conformavit.

Neque est, cur opponatur, tradi ab Augustino lib. 7. *De Trinit.* num. 1., quod Pater *verbo, quod genuit, dicens est...*

Verbo æquali sibi, quo semper, atque incommutabiliter dicit se ipsum. Sicut neque est etiam, cur item opponatur, Patrem, et Filium diligere se Spiritu Sancto, ut habemus ex Angelico 3. p. quæst. 37. art. 2.

Sicut enim supra ex Angelico 1. part. quæst. 34. art. 1. ad 3. advertimus, *Pater intelligendo se, et Filium, et Spiritum Sanctum, et omnia alia, quæ ejus scientia continentur, concipit Verbum, ut sic Tota Trinitas Verbo dicatur, et etiam omnis creatura.* Unde Pater Verbo, quod genuit, dicens est. Dici autem non potest, Patrem esse sapientem sapientia Filii, quia si hoc semel ponatur, inde consequeretur, sicut advertit Augustinus *De Trinit.* lib. 7. num. 2. *non esse Patrem virtute sua potentem, neque sapientia sua sapientem.* Verbo autem quum se ipsum dicat, non sequitur, ut ipse sit dicens ab alio principio a se distincto.

Alterum explicat Angelicus in 1. part. quæst. 37. art. 2., atque advertit, diligere dupliciter sumi posse in divinis, hoc est, essentialiter, et notionaliter: secundum priorem rationem Pater, et Filius se non diligunt Spiritu Sancto, sed sua essentia: secundum alteram se Spiritu Sancto diligunt, quia „sic „diligere nihil est aliud, quam spirare amorem, sicut dicere „est producere Verbum, et florere producere flores. Sicut ergo dicitur arbor florens floribus; ita Pater dicitur dicens „Verbo, vel Filio se, et creaturam. Et Pater, et Filius dicuntur diligentes Spiritu Sancto, vel amore procedente et se, „et nos." Et ad 1. hæc in rem istam superaddit: „Quod esse „sapientem, et intelligentem in divinis non sumitur nisi essentialiter. Et ideo non potest dici, quod Pater sit sapiens, vel „intelligens Filio. Sed diligere sumitur non solum essentialiter, „sed etiam notionaliter: et secundum hoc possumus dicere, „quod Pater, et Filius diligunt se Spiritu Sancto."

CAPUT QUINTUM.

De nomine Filii, quo vocatur secunda persona SS. Trinitatis.

Nulla ac in re singularis occurrit difficultas, ideoque paucis eam expediemus.

Prop. Nomen Filii est proprium, et notionale secundæ personæ SS. Trinitatis.

Prob. prop. Hoc enim nomine secunda persona SS. Trinitatis et plerumque appellatur, et solummodo appellatur. *Psal.* 2. 7. „Filius meus es tu: ego hodie genui te." *Psal.* 109. 3. „Ex utero ante Luciferum genui te." *Isa.* 53. 8. „Generationem ejus quis enarrabit?" *Joan.* 1. 18. „Deum nemo vidit

„ unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit." *Cap.* 3. 16. „ Sic Deus dilexit mundum, ut filium „ suum unigenitum daret." v. 18, (ut alia multa omittam). „ Qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit „ in nomine unigeniti Filii Dei."

Deiude nomen filii convenit illi tantum personæ divinæ, quæ generatur: filius enim est terminus generationis: sed sola secunda persona SS. Trinitatis generatur (a): ergo nomen Filii illi tantum convenit.

LIBER OCTAVUS.

De divinitate Filii.

Ineunte sec. 4. Arianæ sectæ Arius nomen dedit, homo et scientia præditus, et ad pietatem exterius compositus. Eam autem progressu temporis in tres factiones divisam fuisse, legitur: prima fuit illorum, qui Arii errorem primigenium propugnarunt, et Filium quoad omnia Patri dissimilem esse, *onomoion* defenderunt: altera Semiarianorum, qui Filium Patri consubstantialem, videlicet *homousion* esse negarunt, sed solummodo similem in substantia, hoc est *omoiuion*, voluere: tertia aliorum, qui neque cum Catholicis admiserunt, Filium Patri esse consubstantialem, nec similem quoad omnia cum Semiarianis, neque etiam dissimilem cum Eunomianis sed, *omoiòn* id est, similem Patri statuere, non quidem in natura, sed adinstar insculptarum imaginum, quæ hominum viventium similitudinem exhibent.

Seculo 16. nonnisi unam esse divinam personam simul cum Sabellio Sociniani docuerunt: Divinitatem Verbi una cum Ario negavere, et cum Photino Christum esse purum hominem, blasphemarunt. Quare triplex hac de re est error Socinianorum: 1. unficiantur Christum extitisse, antequam ex Maria oriretur: 2. eumdem Patri coæternum, et consubstantialem esse, negant, quod quidem ex priori errore consequitur: 3. illum tamen Deum appellari posse, immo deberi dicunt, quia Pater eidem summam super omnia creata potestatem dedit, ideoque etiam supremum illi honorem deferendum. Huic sectæ etiam in Anglia plures viri litterati adhæserunt (b).

Utrum Verbum sit Deus, suoque Patri consubstantiale, itemque Christus sit Deus, et Patri consubstantialis, sunt duæ quæstiones inter se omnino connexæ, quum sit una Verbi, et Christi persona, et hac de causa Theologorum plures in suis disputa-

(a) Disput. 4. lib. 1. cap. 4.
(b) Vid. Gazaniga Dissert. 3. *De Divinit. Fil.* §. 5. nota *a*.

tionibus utramque simul conjunxerunt. Nos quoque eamdem nunc methodum sequemur, atque agemus de divinitate Christi, et consubstantialitate ejus cum Patre: nam semel ac ostendatur, Christum esse verum Deum, et Patri consubstantialem, constat etiam de consubstantialitate Verbi cum Patre. Aliunde autem accedit; Socinianorum præcipuos conatus tendere ad tollendam e medio Christi divinitatem. De his ergo agemus in hoc libro: in 1. cap. de æterna generatione Filii secundum auctoritatem Scripturæ: in 2. de eadem generatione secundum auctoritatem Traditionis: in 3. de Christo, quatenus est Filius Dei, et de cælo descendit: in 4. de Christo, quatenus juxta Sacras litteras certo determinatoque tempore ante Mariam extitit: in 5. de Christo, quatenus ab æterno fuit: in 6. de Christo, quatenus ex novo potissimum Testamento constat, et esse Deum, et consubstantialem Patri: in 7. de Christo, quatenus de divinitate ejus, et consubstantialitate cum Patre constat ex Traditione: in 8. de voce *homousion*: in 9. de fide divinitatis Jesu Christi ad æternam salutem necessario requisita.

CAPUT PRIMUM.

De æterna generatione Filii a Patre secundum auctoritatem Scripturæ.

Illud ergo Ariani contendebant, ut ad negandam consubstantialitatem Filii cum Patre viam sibi pararent, Patrem quodam decreto liberæ voluntatis ita produxisse Filium, ut neque ab æterno, neque naturaliter, neque ex substantia sui ipsum produxerit, sed tantum præstantiori modo præ ceteris creatis. Id traditum accepimus a S. Athanasio in epist. ad Episcopos Ægypt. et Syriæ num. 12., S. Greg. Nazianz. Orat. 35., S. Epiphanio in *Ancorato*, S. Cyrillo in Dial. 2. *De Trinit.*, S. Augustino lib. 15. *De Trinit.* num. 38. Ipsum autem esse Verbum Dei, confitebantur, attamen externum, et tunc tantum prolatum, quando mundus condendus erat. Unde Maximinus Arianus illud vocavit *primogenitum omnis creaturæ*, sicut ex *Collat.* Augustini cum eodem Maximino num. 17. novimus. Etiam inter Arianos non defuere, qui Filium Dei ante Virginem non extitisse delirarunt.

Illud nunc nos advertimus cum Angelico 1. p. quæst. 41. art. 2., antequam dogma Catholicum auctoritate Scripturæ ostendamus, duplici modo intelligi posse, aliquid voluntate factum esse: 1. quatenus voluntas non prævenit, sed concomitatur, quod factum est, ut si dicam: volo, me esse hominem: tunc enim licet mea voluntate non efficiatur, ut sim homo; tamen ipsa voluntas concomitatur hoc ipsum, quod sum homo. Ea autem, quæ ita volumus, secundum naturam volumus, non secundum delibera-

tionem : ad ea tamen determinati sumus non inviti, neque exterius coacti, sed voluntate concomitante ipsam determinationem naturæ : 2. quatenus voluntas habet rationem principii, atque secundum hunc modum, artifex dicitur operari voluntate, quia voluntas est principium operis. Quæ ita agimus, non solum neque inviti, neque coacti, neque etiam natura determinante, sed prævia determinatione voluntatis agimus.

Prop. I. Filius Dei æterna generatione exivit a Patre.

Prob. prop. *Psal.* 2. 7. Regius Propheta ait : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu : ego hodie genui te.* Horum autem verborum interpretem inspiratum divinitus habemus Apostolum, qui *Hebr.* 1. 5. et seqq. in iisdem esse sermonem de Unigenito Dei Filio, non solum affirmat, sed etiam ostendit, inquiens: *Cui enim dixit aliquando Angelorum : Filius meus es tu : ego hodie genui te : ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium?* Ulterius illud quoque advertit, Angelos vocatos ministros, ad Filium autem dictum v. 8. *Thronus tuus Deus in seculum seculi.* In his autem quatuor habemus expressa, quæ de æterna reali generatione Filii dubitare neminem sinunt, videlicet Paternitatem, æternam generationem, Filiationem, et Divinitatem.

Duo priora exprimuntur illis Verbis : *Ego hodie genui te.* Hodie, inquam, videlicet ab æterno, seu *ante Luciferum*, sicuti *Psal.* 109. 3., et *a diebus æternitatis*, quemadmodum *Michææ* 5. 2. legitur. Quum enim æternitas sit nunc, seu instans semper stans, et nunquam fluens, in qua, sicuti S. Augustinus habet in *Psal.* 2. num. 6., *nec præteritum quidquam est, nec futurum, quasi nondum sit*, per illam vocem *hodie* aptissime exprimitur. Hinc Deus suum æternum, atque immutabile esse verbo præsenti exponit in Sacris litteris *Exodi* 3. 14. *Ego sum, qui sum : qui est, misit me ad vos.*

Est autem hæc æterna generatio non metaphorica, sed proprie dicta : nam Filius *ex utero ante Luciferum genitus* dicitur, hoc est, et ab æterno, et ex ipsa substantia Patris : est quoque singularis hujusmodi generatio, quia ita Pater dicit ad Filium : *Filius meus es tu : ego hodie genui te*, videlicet singulariter Filius, non adoptivus, sed naturalis, quia Filius per generationem ex substantia Patris, et utero productus.

In generatione autem tum Paternitas, tum Filiatio necessario includitur, atque sicuti utraque est vera, atque realis, semel ac generatio sit vera, atque realis : ita etiam utraque est æterna, semel ac generatio sit æterna. Hoc ergo utrumque quum divina generatio habeat, quemadmodum ab Apostolo aperte traditum habemus, utrumque quoque tum in Paternitate, tum in Filiatione esse debet.

Tandem non minus, ac prædicta, etiam divinitatem mani-

feste expressit Apostolus. Hæc enim et in divinam personam cadere solummodo possunt, et juxta Psalmistam, a quo illa Apostolus accepit, revera cadunt, ipseque Apostolus ad ostendendam Filii Divinitatem in citato cap. adhibuit: v. 8. et seq. „Thronus tuus Deus in seculum seculi... tu in principio, Domine, „terram creasti, et opera manuum tuarum sunt cæli... ipsi peri„bunt... et veluti amictum mutabis eos, et mutabuntur: tu „autem idem ipse es, et anni tui non deficient... (Cap. 2. „5. et 8.) non enim Angelis subjecit Deus orbem terræ futu„rum... Omnia subjecisti sub pedibus ejus. In eo enim, quod „omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei." Filii ergo thronus est Deus, et Deus thronus Filii in seculum seculi, adeoque Filius est Deus, et quidem semper, atque ab æterno: in principio Filius terram creavit, atque cælos, quos mutabit veluti amictum, et ipse semper idem manet: orbem terrarum Deus non subjecit Angelis, sub Filii tamen pedibus omnia subjecit, nihilque ei non subjectum dimisit. Hæc autem omnia simul unita Divinitatem Filii, quem, sicut jam vidimus, ab æterno genitum tradit Apostolus, adeo evidenter ostendunt, ut assensum a nemine, qui sit rectæ rationis, non extorquere non debeant.

In citatis Apostoli verbis quanta sit vis ad evincendam æternam generationem Filii, etiam Sociniani viderunt, ideoque ad eam eludendam omne ingenii acumen adhibuere. Hæc ergo sunt, quæ Crellius collegit a suis, atque ipse superaddidit (a).

1. Nomine Filii intelligit eum, *Qui imperium, ac potentiam in terris summam accepit.* 2. Hæc verba *hodie genui te* (ait), *nihil habere commune cum generatione ex essentia Dei ante omnia secula, sed ad Christi resuscitationem ex mortuis, et exaltationem* referri debere, sicut Apostolus refert *Act.* 13. 33. et seqq.

3. Hoc idem inde confirmat, quia Christus præstantior Angelis factus dicitur ab eo tempore, quo ad dextram Dei fuit collocatus.

4. Vocem *hodie* affirmat repugnare æternitati, et in Scriptura adjici solere iis loquutionibus, quibus aliquid alicui præcipitur, promittitur, vel datur. Unde *Jerem.* 1. 10. dicitur: *Ego hodie constitui te super gentes.*

5. Illis aliis verbis: *Ego ero illi Patrem etc.* designari dicit amorem Dei in Christum, et quidem amorem futurum, quia quod in Sacris litteris dicitur futurum, non esse, sed aliquando eventurum significatur. Unde Christum certo quodam tempore

(a) Tom. IV. Bibliot. Frat. Polon. in explicat. cap. 1. epist. ad Hebr. 5., et in explicat. cap. 5. v. 5. Videatur etiam Socinus tom. 1. in Defens. Animadv. in Assert. Theol. Collegii Posnanien.

evasisse Filium Dei, dicendum esse, colligit. Quare tam illa verba: *Filius meus es tu etc.* quam hæc alia: *Ego ero illi in Patrem etc.* mystice ad Christum referri debere, contendit: priora autem litteraliter ad Davidem, alia ad Salomonem.

Ad hæc omnia singillatim paucioribus, prout fieri poterit. Ad 1. ergo respondeo, nihil minus eo confingi posse, quod Crellius contendit: profecto Apostolus in cit. cap. extollit excellentiam Christi super Angelos, eamque commendat habita ratione et originis, quatenus est Filius, et dominationis, quatenus hæres, et operationis, quia ipse fecit secula, et honoris, quia sedet ad dexteram Dei. In excellentia originis, ad quam nunc præcipue attendi debet, solummodo sistamus. Suum ergo propositum v. 5. illis verbis probat Apostolus: „Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus est tu? Et rursum; „ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium." Quare licet etiam Angeli dicantur Filii Dei *Job* 1. 6., tamen Apostolus ad designandam diversitatem quoad rem istam inter Angelos, et verum Filium Dei, antequam v. 5. ostendat, Christum esse Filium Dei, præced. v. 4. affirmat, melius nomen, atque longe diversum ab Angelis illum hæreditasse. Id autem ea de causa dicit, quia Angeli non sunt filii Dei per naturam, quemadmodum Christus, sed per participationem, indeque nemini Angelorum dictum unquam legitur: *Filius meus es tu: ego hodie genui te: hic est Filius meus dilectus.* Quæ omnes loquendi rationes designant sane Filium, qui sit talis natura, qualis est solus Christus. Ex his autem constat, Crellium contra obvium sensum Scripturæ unam tantum excellentiam dominationis agnoscere in Christo, atque ad eam unam non solum alias, sed etiam excellentiam originis revocare.

Ad 2. dico, jam constare ex dictis, illa verba: *Ego hodie genui te*, præcipue esse intelligenda de naturali generatione, adeoque æterna Filii Dei. Ulterius tamen cum Angelico lect. 3. in cap. 1. epist. *ad Hebr.* nunc advertimus, tempus in successione consistere, non vero æternitatem, quum sit tota simul. Unde, ut ad rem nostram veniamus, primo loco dicitur: *Ego hodie*, deinde superaddítur: *Genui te*, non autem genero; atque ita præsens conjungitur cum præterito, ut illis verbis: *Ego hodie* tempus præsens designantibus significetur æternitas quoad generationem, quæ est tota simul: illis autem aliis: *Genui te*, non autem genero, explicetur perfectio generationis; nam quod fit, suam perfectionem nondum habet: quod autem factum est, eamdem habet.

Quamvis autem hæc verba: *Ego hodie genui te*, æternam generationem respiciant primo, atque simpliciter, quemadmodum etiam ex iis, quæ antecedunt, atque subsequuntur apertissime colligitur; tamen Apostolus et ad resurrectionem Christi

Act. 13. 33. et ad sacerdotium illius *Hebr.* 5. 5.; inde refert, quia Christus resurrexit a mortuis, et Pontifex universalis evasit, ex eo quod sit Filius Dei, et ex utero illius, atque substantia ab æterno genitus. Hinc quamvis resurrectio, et sacerdotium Christi dici non possint simpliciter generatio; nihilominus Apostolus illis verbis: *Ego hodie genui te* tam resurrectionem, quam sacerdotium Christi indigitari affirmavit.

R. ad 3., quod Christus cap. 1. epist. *ad Hebr.* v. 4. tanto melior Angelis effectus dicitur, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Quodnam autem sit istud nomen in seq. vers. statim superadditur: *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Quo semel constituto, excellentiam Christi super Angelos Apostolus inde pergit ostendere, quia et eum adorare omnes Angeli debent, et Angeli sunt spiritus administratorii, et nemini Angelorum dictum aliquando fuisse, legimus v. 13.: *Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quapropter sicuti in responsione ad 1. jam monuimus, Apostolus commemorat Christi super Angelos præcellentiam originis, dominationis, operationis, atque honoris, et originis quidem primo loco uti fundamentum ceterarum. Hæc vero præcellentia est, quam Crellius e medio tollere contendit, ut simul æternam generationem e medio tollat: ceteras autem super Angelos agnoscit in Christo, attamen suo fundamento destitutas, quia præcellentiæ originis innituntur reliquæ omnes.

R. ad 4., quod voce *hodie* licet determinatum tempus aliquando significetur, hoc tamen in loco designatur æternitas, sicuti etiam, ne dicta repetamus, ex eo constat, quod Christus *ex utero ante luciferum genitus dicitur* Psal. 109. 3., et *a diebus æternitatis Mich.* 5. 2. Et etiam ipse Deus suum æternum *esse* exprimit in Sacris litteris verbo præsenti, dum *Exodi* 3. 14. dicit: *Ego sum, qui sum: qui est, misit me ad vos.*

R. ad 5. verba illa: *Ego ero illi in Patrem* referri ad incarnationem Filii: unde dicitur: *ero*, quod est futuri temporis ad designandam incarnationem futuram: sicut enim Apostolus *ad Galat.* 4. 4. ait: *Ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum factum ex muliere.* „Supra vero (inquit „Angelicus lect. 3. in cap. 1. epist ad Hebr.) quum loque„batur de æterna generatione dixit: *Es tu*, quasi sine motu: „hic autem quum loquitur de temporali, dicit *in Filium*, quod „denotat terminum alicujus motionis.... Et quia omnis motio „fit per operationem alicujus terminatam ad aliquem effectum; „ideo primo ponit operationem facientis, quia non virtute humanitatis facta est assumptio, sed Divinitatis, quum dicit: „*Ego ero illi in Patrem*, id est assumam eum ad unionem „personæ Filii. Et subjungit effectum consequutum, quia scilicet est susceptus in unitate personæ Filii: *Erit mihi in Fi-*

„ *lium*:" Dispar est ergo ratio illorum verborum, videlicet et: *Filius meus es tu*: et: *Ego ero illi in Patrem*, quam Crellius ad tollendam æternitatem generationis etiam contra evidentem sensum verborum unam, eamdemque esse vellet.

Etiam II. *Regum* 7. 14., et 1. *Paralip.* 22. 10. hæc verba: *Ego ero ei in Patrem*, Salomoni dicta a Domino, fuisse leguntur: verumtamen quum per Salomonem præfiguraretur Christus, et quæ dicuntur de figura ad figuratum quadam ratione præcipua referantur; præcitata verba spectare ad Christum præcipue, et singulariter, unicuique esse perspectum debet. Ad Davidem autem illa verba: *Filius meus es tu: ego hodie genui te*, nullo modo referuntur non solum ab Apostolo in cap. 1. epist. *ad Hebr.*, sed neque etiam *Psal.* 2. 7., et *Act.* 13. 33.

Prop. II. Pater genuit Filium natura, et voluntate concomitante, nulloque modo invitus, seu coactus.

Prob. prop. S. Athanasius Orat. 4. num. 69. Arianos effutientes, Filium voluntate genitum esse, quatenus determinatio voluntatis antecesserit generationem illius, ea ratione refellit, quia voluntas Dei, seu *velle Dei* est in Verbo, per quod omnia fecit, indeque Verbum ipsum voluntate produci non potuit, alioquin necessarium fuisset aliud Verbum ad producendum illud. Orat. 3. num. 63. dissolvit cavillationem eorum, qui dicebant, si semel ponatur, Filium non extitisse voluntate Patris, inde consequi, ut necessitate, atque nolens Pater habuerit Filium: „Scilicet viderunt quidem (inquit) quod voluntati opponitur: at „quod majus, et superius est, minime intellexerunt. Ut enim voluntati opponitur id, quod est præter mentem: sic deliberationi antecellit, et præit id, quod ex natura est." Affirmat quidem S. Athanasius, Filium non produci voluntate, sed tamen neque etiam præter voluntatem, seu coacte vult productum, sed medio quodam modo inter utrumque, videlicet naturaliter: „Num „ergo (ita prosequitur) quia ex natura, non ex voluntate sit „Filius, præter voluntatem Patris, et nolente Patre, est Filius? „Minime vero.... Ut enim non ex voluntate bonus esse cœpit, nec „tamen contra mentem, et sententiam est bonus: namque hoc „ipse vult, quod est; ita licet Filius ex voluntate esse non incœperit, non tamen præter voluntatem, et mentem Patris est. „Nam quemadmodum vult suam ipse substantiam, sic quum „Filius proprius sit ejus naturæ, non præter voluntatem ejus „est."

S. Epiphanius *Hæresi* 69. num. 26. Arianis quærentibus, utrum scilicet volens, an nolens Pater Filium genuerit, ita respondet: „At in Deo neque tempus ad capiendum, neque voluntas ad „cogitationem requiritur. Quoniam neque volens, neque vero „nolens genuit: sed in natura, quæ consilio omni superior est. „Hæc est enim natura Divinitatis, ut neque consilio egeat, ne-

„ que absque consilio quidquam moliatur, sed ex se ipsa simul „ habeat omnia, nec ulla re deficiatur."

Tale ergo erat dilemma Arianorum etiam a S. Gregorio Nazianzeno *Orat.* 35. jam solutum, et a S. Augustino lib. 15. *De Trinit.* num. 38. jam refutatum: „ Acute sane (inquit S. Doc- „ tor) quidam respondit hæretico versutissime interroganti: utrum „ Deus Filium nolens, an volens genuerit: ut si diceret nolens; „ absurdissima Dei miseria sequeretur: si autem volens; conti- „ nuo quod intendebat, velut invicta ratione, concluderet, non „ naturæ esse Filium, sed voluntatis. At ille vigilantissime quæ- „ sivit ab eo: utrum Deus Pater volens, an nolens sit Deus; ut „ si responderet, nolens, sequeretur illa miseria, quam de Deo „ credere magna insania est: si autem diceret, volens; respon- „ deretur ei: ergo et ipse Deus est sua voluntate, non natura. „ Quid ergo restabat, nisi obmutesceret, et sua interrogatione „ obligatum insolubili vinculo se videret?" Quare Deus, sicut habet S. Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 8. „ Nos volun- „ tarie genuit, quia voluntas generationem præcessit: in Unige- „ niti autem generatione nulla generantis præcessit voluntas, ubi „ sine initio naturali permanet æterna nativitas."

Dices. Plures antiquos Patres tradidisse, Filium Dei productum voluntate Patris, a nemine negari potest. Item compertum est, nonnullos eorum generationem Filii tribuisse caritati, et omnipotentiæ Patris. Tandem non desunt Patres, qui æternitatem Filii, et perfectam æqualitatem naturæ illius inde probant, quia Pater est omnipotens, infinite bonus, et cujusvis invidiæ expers (a).

R. Aliquos Patres asseruisse Filium voluntate genitum a Patre, quatenus licet non genuerit illum ex deliberatione voluntatis, genuit tamen nulla vi, aut coactione ductus. Quare quando Patres dixerunt, Filium voluntate productum esse, respexere potissimum ad secundam partem dilemmatis Arianorum, quod tale erat, sicut ex S. Augustino vidimus: Deus aut volens, aut nolens Filium genuit. Quamvis enim nunquam concesserint iisdem, Patrem volentem, hoc est, ex prævia determinatione, Filium genuisse, tamen neque dederunt, nolentem genuisse illum, hoc est, per vim, atque coactum, sed genuisse voluntate secundum eam rationem, qua vult etiam se ipsum esse.

Quod attinet ad alios Doctores Ecclesiæ, qui caritati, bonitati, omnipotentiæ Patris expertis cujusvis invidiæ generationem Filii tribuunt, respondeo, eosdem ad adversarios refutandos uti eo, quod illi volebant, videlicet Filium a Patre non naturaliter, sed voluntate genitum esse: inde enim colligebant, Filium æqualem, et consubstantialem Patri genitum, ne Patris voluntas effec-

(a) Vid. Petavius *De Trinit.* lib. 6. cap. 8. num. 2. et seqq.

trix aut maligna, aut imbecillis, aut invida videatur. Ita Basilius lib. 4. *Adv. Eunomium* num. 1. et 2. S. Augustinus autem Maximinum Arianum dicentem: „ Homo si posset perfectum „ mox generare Filium, non parvulum generaret" ita eum, spectata generatione Filii Dei, refellit, hoc illius principio semel posito: „ Sed ut contra te non sit quod loqueris, agnos„ ce æqualitatem Patris, et Filii, quia et homo, si posset, „ Filium mox generaret æqualem, nec expectaret annos, per „ quos in forma Filii posset voluntas ejus impleri. Deus ergo „ cur non æqualem genuit Filium, cui nec anni necessarii fue„ runt, per quos adimpleretur, neque omnipotentia defuit? An „ forte nolait? ergo, quod absit, invidit. Sed non invidit: æqua„ lem ergo genuit, ac per hoc unius ejusdemque substantiæ: „ quandoquidem homo, qui propterea quod non potest, non „ gignit æqualem, ejusdem tamen substantiæ gignit filium, cu„ jus est ipse." Hæc S. Doctor lib. 2. Cont. Maximinum Arianum cap. 15. num. 5.

CAPUT SECUNDUM.

De æterna generatione Filii a Patre secundum auctoritatem Traditionis.

Divinæ generationis proprium est, ut neque initium unquam habuerit, neque finem aliquando habitura sit, propterea que Filius non sit minus æternus, quam Pater. Hanc Catholicam veritatem Ariani negant, falsoque putant, cum æternitate neque generationem, neque filiationem simul posse consistere, uti constat ex epistola Arii data ad Eusebium Nicomediensem apud Epiphanium *Hæresi* 69. num. 7. Verum cavillationem Arianorum, adhibita distinctione, Patres detexerunt: „ Sed aliud est (inquit „ S. Hilarius lib. 12. *De Trinit.* num 23.) ex eo nasci, qui „ non fuit, aliud ex eo natum, quod semper est... Quod si „ semper Patri proprium est, quod semper est Pater, necesse „ est semper Filio proprium esse, quod semper est Filius. Et „ quomodo in sermonem nostrum, aut intelligentiam cadet, ut „ non fuerit, antequam nasceretur, cui proprium est semper „ esse, quod natum est." Nunc ergo de iis principiis, ex quibus æternitatem divinæ generationis Patres ostenderunt.

Prop. Plura sunt certissima principia, ex quibus æternitatem divinæ generationis Patres ostenderunt.

Prob. prop. I. Divinam generationem æternam esse, ex ipsa conditione illius recte collegerunt. „ Et aliud est (ait S. Hila„ rius cit. lib. *De Trinit.* num. 2.) sine auctore esse semper „ æternum, aliud, quod Patri, id est, auctori, est coæternum. „ Ubi enim Pater auctor est; ibi et nativitas est: at vero ubi

„ auctor æternus est; ibi et nativitatis æternitas est: quia si-
„ cut nativitas ab auctore est, ita et ab æterno auctore æter-
„ na nativitas est. Omne autem, quod semper est, etiam æter-
„ num est. Sed tamen non omne, quod æternum est, etiam
„ innatum est. Quia quod ab æterno nascitur, habet æternum
„ esse, quod natum est. Quod autem non natum est, id cum
„ æternitate non natum est." S. Cyrillus Alex. lib. 5. *Thesau.* Assert. 5. Eunomium effutientem, quod si Pater „ Efficax fuit,
„ et actu genuit, necesse omnino esse, ut quod genitum est,
„ existendi principium habeat." ita refellit: „ Divina generatio
„ quemadmodum activa est, ita etiam naturalis, et essentialis,
„ et ab hypostasi ejus inseparabilis. Necessarium igitur omnino
„ est, tametsi Pater Filium active generat, esse plane coæter-
„ num. Dictum enim est, ipsum gignere a propria ipsius hy-
„ postasi separari non posse. Quum vero ejus hypostasis sem-
„ per sit, erit etiam semper ex natura ipsius procedens fruc-
„ tus. Quomodo igitur non erit coæternus Filius?"

II. Æternitatem divinæ generationis inde quoque Patres adstruxerunt, quia simul ac Pater extitit, simul fuit et Filius, contra ac contingit in creatis, quæ antequam alia producant ex se, sunt imbecilla, atque imperfecta. Hoc autem postquam pluribus exemplis S. Cyrillus Alex. *Dialogo* 2. planum fecit, ita colligit: „ In Deo vero, qui perfecte semper se habet, et est
„ id, quod est, non progressu ad aliquid, quod nondum in-
„ sit, ac necessario prodatur in tempore, sed ex sua nobis subs-
„ tantia Filium profert instar luminis, ac veluti characterem
„ sibi substantialiter innatum suum genimen habet, quomodo
„ intelligetur, non semper, et simul esse, et gignere secundum
„ actum?" Hinc etiam S. Athanasius *De Decret. Nicæn. Syn.* num. 2. „ Nos enim (inquit) proprierum filiorum certo tantum tem-
„ pore patres efficimur, quippe qui quum ante non essemus,
„ facti postea fuerimus. At Deus, quum semper sit, semper
„ quoque est Filii Pater... Quis a sole splendorem separabit,
„ aut fontem vita aliquando destitutum cogitabit, ut insaniens
„ dicat: ex nihilo esse Filium?" Hæc sufficere putamus, licet alia principia ejusdem conditionis, ac duo priora, et illa quidem usurpata a Patribus, indicare possemus. Illud tamen prætercundum non esse arbitramur, quosdam Patres, qui floruerunt ante Nicænum Concilium Christo, etiam quatenus est Filius Dei, aliquam nativitatem tribuisse, ob quam ipse aliquando incœperit, et mundi creationem præcesserit. Ita inter alios sensisse videntur S. Justinus Martyr, Athenagoras, Tatianus, S. Theophilus, et Irenæus, eosque *saltem secundum loquendi usum a Catholica regula discrepantes fuisse*, Petavius *De Trinit.* lib. 1. cap. 3. putavit. Nimis longum esset, nunc horum Patrum singula expendere, et ab errore vindicare. Id jam plures Theo-

logi Catholici præstiterunt, egregie præstitit etiam Georgius Bullus in *Defens. Fid. Nicænæ* sect. 3. cap. 1. et seqq. Nos ergo modo ad illorum sensum assequendum regulam generalem indicamus conformem iis, quæ iidem Patres in pluribus locis tradiderunt. Est ergo sentiendum, illos, sicut etiam ex eorum dicendi ratione constat, non de nativitate vere et proprie dicta, qua Filius incœperit, fuisse loquutos, sed de figurata, atque metaphorica, videlicet illud tantum voluisse, Verbum, quod ab æterno in Patre extitit, uti ipsius æterna mentis coæterna progenies, quando mundus conditus fuit, ex ipso æterno Patre prodiisse non secundum existentiam, sed secundum operationem in constitutione rerum universarum.

Nunc expendamus quæ Wolzogenius (a) contra æternitatem divinæ generationis confinxit.

1. Opponit, Filium habere debere aliam essentiam a Patre, sicut contingit in humanis.

2. Filium esse sui ipsius Filium, semel ac eum Patre eamdem essentiam habet, quia dum generatur ex essentia Patris, etiam ex sui essentia generatur.

3. Generationem divinam esse æternam non potuisse, quia etiam in ea unus genitus ab alio fuit: et si hoc etiam in generatione supernaturali non admittatur, haud æquo jure ea dicitur generatio.

4. Præmissa ea tota ratione, qua Patres explicarunt generationem divinam, ex ea sequi, opponit, Filium, dum se ipsum intelligit, generare alium Filium, sicut ipse generatur a Patre: immo gigni personas infinitas non solum ex mutua intellectione personarum, sed etiam ex imaginibus, quas Deus habet rerum creaturarum.

5. Quia Pater semper generat, et generare nunquam desistit, quum in æternum se intelligat, infert, Filium nondum existere: nam qui nascitur, per generationem habet, ut sit: qui ergo aut nondum natus, aut nunquam nascetur, nunquam habebit, ut sit.

6. Dicit, Catholicos facere contra se, dum æternæ generationi generationem rerum, quæ prodeunt per emanationem, sicut etiam humanam generationem assimilant: hæc enim utraque generatio æternæ generationi opponitur.

R. ad 1. simul et 6. Etiam ex Sacris litteris nos comprobatum habere, ad explicanda divina, et supra nostram conditionem posita, recte adhiberi exempla sensibilia, ut ex istis eo modo, quo fieri potest, illa nobis innotescant. Hinc mirandum non est, Theologos, immo vero etiam Sanctos Patres adhibuisse exempla sensibilia ad explicandam secundum eam rationem, qua potest,

(a) Tom. VIII. Bibl. Frat. Pol. in *Declarat. duarum contr.* cap. 9.

æternam generationem intellectui nostro prorsus imperviam. Quare quoad comparationem rerum sensibilium cum spiritualibus error in eo positus est, ut quis tum sensibilium, tum spiritualium, et supra cognitionem nostram positorum unam, eamdemque rationem velit, istaque illis non aliquo modo explicari, sed omnino exprimi contendat. Hoc neque Theologi, neque Patres unquam voluere, sed solus Wolzogenius voluit, qui ab exemplo ex humana generatione petito perperam colligit, Filium etiam in divinis aliam essentiam a Patre habere debere, atque ab æterno genitum ab illo esse non posse.

R. ad 2., Filium habere quidem eamdem essentiam, ac Pater habet, non tamen eamdem relationem, videlicet Paternitatem. Pater autem immediate secundum suam essentiam non genuit Filium, seu quatenus est Deus, sed immediate per intellectum, et quidem non essentialem, sed notionalem, videlicet quatenus est Patris, indeque licet Filius habeat eamdem essentiam divinam, ac Pater, non tamen generat se ipsum (a).

R. ad 3. nos quidem intelligere non posse, qua ratione generatio in divinis sit æterna, quamvis gignens, et genitus in ea sit: eam tamen revera æternam esse, traditur in Sacris litteris: item nonnisi æternam esse illam debere, constat ex iis, quæ ex Sanctis Patribus modo delibavimus.

R. ad 4., ne jam dicta repetamus, ea nunc esse recolenda, quæ hujus disput. lib. 1. cap. 2. et 3. in pluribus propositionibus jam explicavimus. Nam cap. 2. ostendimus, secundum quam rationem Pater generet Filium, atque ex ea constat, convenire non posse Filio alium Filium generare, sicut etiam divinis Personis simul unitis. Cap. 3. deinde palam fecimus, duas tantum esse processiones passivas in divinis, et duas item activas inter se virtualiter distinctas. Hæc autem si attendantur, semper magis magisque solutum remanet, quod Wolzogenius opponit quoad multiplicitatem processionum. Tandem ex aliis, quæ hujus Disput. lib. 7. cap. 2. disseruimus de ea cognitione, ex qua Verbum divinum procedit, Wolzogenii cavillationes desumptæ ex multiplicitate imaginum ad processiones multiplicandas, patefactæ manent.

R. ad 5. Wolzogenium se nondum assequutum ostendere, in quo consistat notio temporis continentis successionem, et notio æternitatis, in qua secundum communem acceptionem omnium nullus datur successioni locus. Inde vero consequitur, ut quod ab æterno est, semper sit, quod ab æterno fit, semper fiat. Unde Patres, divinam generationem esse æternam, et ex conditione illius adstruxerunt, et quia semel ac Pater extitit, etiam

(a) Quæ disseruimus hujus Disp. lib. 1. cap. 20. et seqq. recolantur.

Filius simul fuit, sicuti jam ostendimus. „Quid ergo dicemus „(ait S. Augustinus epist. 238. num. 25., alias epist. 174.) si „natus est Filius Dei de Patre, jam Pater destitit gignere, et „si destitit, cœpit. Si autem cœpit gignere; fuit aliquando si„ne Filio. Sed nunquam fuit sine Filio, quia Filius ejus Sa„pientia ejus est, qui candor est lucis æternæ. Ergo semper „gignit Pater, et semper nascitur Filius.

CAPUT TERTIUM.

De Christo, quatenus est Filius Dei, et de cælo descendit.

Antequam de pluribus doctrinæ capitibus spectantibus ad divinitatem Christi agamus contra Arianos, atque Socinianos, demonstrata æternitate generationis Filii Dei, nunc aggredimur ostendere, Christum esse Filium Dei.

Prop. Christus revera est Filius Dei, atque revera de cælo descendit.

Prob. prop. Ipse Christus *Joan.* 8. 42. ait: *Ego enim ex Deo processi, et veni.* Quum vero Judæi audientes hæc dæmonium in eo esse blasphemarent, Christus v. 49. respondit, se non habere dæmonium, sed honorificare suum Patrem. *Joan.* cap. 6. 38. et seqq. „Descendi de cœlo (inquit Christus) non ut fa„ciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me... „Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me; ut omnis, „qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam." Quia vero Christus, antequam suam a Patre missionem manifestaret, dixerat, se esse *panem vivum*, qui descenderat de cælo, *murmurabant Judæi de illo*, ajentes, se novisse patrem, et matrem illius; Jesus respondit eis dicens v. 43. et seq. „Nolite mur„murare in invicem: nemo potest venire ad me, nisi Pater, „qui misit me, traxerit eum, et ego resuscitabo eum in novis„simo die." Patrem vero se solum, qui erat ab eo, vidisse, superaddit, atque omnem credentem in se habere vitam æternam, quia ipse est panis vitæ. *Joan.* 8. 42. (inquit Christus): „Ego „enim ex Deo processi, et veni: neque enim a me ipso veni, „sed ille me misit." Judæos autem nolentes sibi credere deinde graviter increpavit, confirmavitque magis magisque quæ dixerat de sua missione a Patre. Hinc suis quoque discipulis inculcare non destitit, sermonem, quem a se audierant, non esse suum, sed Patris, a quo ipse missus fuerat (a). Tandem Apostolus, ut multa alia omittamus, *Ephes.* 4. 9. et seqq. „Quod autem „ascendit (inquit) quid est, nisi quia et descendit primum in

(a) *Joan.* 14. 24.

„ inferiores partes terræ. Qui descendit, ipse est, qui ascendit „ super omnes cælos." Modo ita paucis: Christus se, suam personam, se, inquam, loquentem, docentem, refutantem incredulitatem Judæorum, Deum habere Patrem, ab eo processisse, et missum fuisse, venisseque in hunc mundum, non ut suam, sed Patris sui voluntatem faceret, eumdemque glorificaret, sæpissime, apertissimeque tam coram Judæis, quam coram suis discipulis confirmavit: dubitari ergo non potest, quin Christus sit Filius Dei, et e cælo descenderit.

Quæ evincunt divinitatem Christi, et illum esse Filium Dei, nunc in medium non afferimus, afferemus autem postea, quando agemus de ejus divinitate, atque consubstantialitate cum Patre.

Mirum est, quam multa Sociniani excogitaverint, ut nostram Catholicam veritatem aliquo modo dubiam redderent. Tria ergo potissimum opponunt: 1. Christum mente, atque cogitatione fuisse in cælo, antequam illuc ascenderet redivivus: ita Socinus in Resp. ad Paræn. Andreæ Volani (a): 2 dici Christum e cælo descendisse, atque venisse, quia fuit homo plane divinus tum ob originem, tum ob sanctitatem muneris, et dona Spiritus Sancti: ita Auctores Catecheseos Polonicæ sect. 4. cap. 1., et Socinus ante illos loco cit. 3. Christum, antequam inciperet prædicare Evangelium, in cælum evectum fuisse, ut cognitione rerum cælestium imbueretur, quum etiam Moyses in montem ascenderit, antequam a Deo legem acciperet: ita Socinus in *Explicat. locorum Sac. Script.* ad cap. 3. *Joan.* 13. (b), et Slichtingius in cap. 3. *Jacobi* (c). Unde ad majorem distinctionem.

Dices I. in favorem primæ difficultatis Socinianorum. *Matt.* 6. 20. et 21. hæc leguntur: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo... ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Ad *Phil.* 3. 20. *nostra autem conversatio in cælis est.* Hæc vero omnia, aliaque multa similia, quæ in medium afferri possent, habita ratione et cordis nostri habitantis in cælo, et conversationis nostræ in cælo, accipi debent metaphorice: igitur et ea quoque, quæ de Christo inhabitante in cælo dicuntur, metaphorice accipi debent.

Deinde adventum Christi e cælo in hunc mundum, illiusque exitum a Patre fuisse metaphoricum, hæc quoque suadent. Jacobus suæ epist. 1. 17. inquit: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum.* Et Joannes *Apocalyp.* cap. 21. 10. *Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam, descendentem de cælo a Deo.* Profecto hæc omnia a Deo metaphorice descendere dicuntur, quamvis ab eo

(a) Tom. II. Bibl. Frat. Polon.
(b) Tom. I. Bibl. Frat. Polon.
(c) Tom. VI. dict. Bibl.

singulariter descendant : idem ergo etiam de Christo existimari debet.

Postremo sicuti a Patre in hunc mundum se missum esse, Christus dicit, ita etiam nos discipulos in hunc mundum se misisse affirmat *Joan.* 17. 18. *Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum.* Ex his autem colligitur, (inquit Socinus) (a), Christum dici, *Tunc primum in mundum venisse, quum munus sibi a Patre mandatum obire incœpit, et prius eum natum fuisse, deinde venisse in mundum.*

R. hisce omnibus nihil minus eviuci, quam quod Sociniani vellent. Profecto cor nostrum eo in loco esse, in quo thesaurus illius existit, recte dicitur, si metaphorice dicatur : nam illud e pectore non erumpit, quamvis non solum feratur ad ea, quæ concupiscit, sed etiam expectat, sese unire cum iis, unumque quodammodo esse tendat.

Apostolus autem, facta mentione illorum, qui erant inimici crucis Christi, et sicuti ipse ait, *terrena sapiebant*, de se, atque aliis superaddit : *Nostra autem conversatio in cœlis est : unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum.* Igitur si expectabant Salvatorem, conversatio nonnisi metaphorica esse poterat, hoc est, conversatio affectionis, quatenus ad differentiam inimicorum crucis Christi cœlestia sapiebant, item contemplationis, sicut ipse Apostolus dicit II. *Corint.* 4. 18. *Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur ; quæ enim videntur, temporalia sunt ; quæ autem non videntur, æterna sunt.*

Etiam metaphorice intelligi debere, quæ leguntur tum in epist. Jacobi cap. 1. 17., tum *Apocalyp.* 21. 10. suadent ipsa quoque principia rationis, ad quæ Sociniani in explicatione Scripturæ solummodo attendendum esse, licet etiam contra ipsam rationem, dicunt. Neque enim dona sunt quidpiam, quod de loco ad locum sese moveat : sicut etiam res materiales, et expertes vitæ de loco ad locum per se non pergunt. Unde sicuti descensus donorum, ita etiam descensus Jerusalem visus a Joanne in ea contemplatione, ad quam fuit elevatus, metaphorice intelligi debet.

Ex his autem omnibus nemo non videt, per se constare, omnibusque perspectum esse debere, ea omnia metaphorice intelligenda, quæ Sociniani commemorant, ut ab exemplo eorum colligant, Christum a Patre metaphorice exivisse, atque in hunc mundum descendisse. Profecto qua claritate, et perspicuitate de supra dictorum metaphorica loquutione constat, etiam constat de litterali loquutione descensus Christi in hunc mundum. Id jam ostendimus : ad ea nunc hæc alia superaddimus. Profecto hic agitur de persona, agitur de Filio, et de eo quidem Filio, quem Pater ab æterno genuit, sicuti jam ostendimus : hæc persona,

(a) Cit. loco in *Paranesi.*

hic filius e cælo descendisse, atque in hunc mundum venisse dicitur, ideoque tum locus, a quo venit, tum locus, ad quem venit, designatur: item finis, propter quem eadem persona, idemque Filius descendit de cælo, et in hunc mundum venit, manifestatur omnibus: Christus existens in hoc mundo de se hæc omnia testatur, loquens cum hominibus, degens cum eis, adinstar aliorum hominum carne, ossibus, ceterisque aliis compositus. Hæc sane si metaphorice intelligantur, quidvis aliud, licet realiter physiceque factum, metaphorice dici factum, æquo jure affirmari poterit.

Christus autem suos discipulos jam existentes in mundo, misit in hunc mundum, videlicet in omnes partes terræ ad suam legem ubique promulgandam; ita etiam Pater Filium suum ab æterno genitum in cælo existentem misit in hunc mundum ad genus humanum redimendum. Difficultates ergo Socinus in eo fingit, in quo nullum vestigium earum apparet.

Dices II. in favorem alterius difficultatis Socinianorum. Et 1. quidem Christum e cælo descendisse, originis illius habita ratione, recte dici potest: eum enim B. Virgo concepit virtute divina. Deinde quod dicitur de descensu Christi e cælo, referendum esse tum ad illius cæleste munus, tum ad dona Spiritus Sancti, inde constat, quia sicuti Apostolus habet ad *Ephes.* 4. 10. *Qui descendit, ipse est, et qui ascendit super omnes cælos.* Christus autem homo in cælo non fuit, antequam in terris viveret, aliunde autem redivivus a mortuis cum humana natura in cælum ascendit.

Item Christus *Joan.* 6. 58. et seq. (inquit): *Qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cælo descendit.* Sed iste panis est caro Christi, de qua superius v. 52. dixerat: *Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: caro autem Christi non fuit in cælo antequam ipse Christus nascereretur in hoc mundo. Illud ergo dicendum superest, Christum de cælo descendisse affirmari posse tum ob munus ipsi impositum, tum ob Spiritus Sancti dona, quibus insignitus fuit.

R. ad 1., ex eo quod Christus in utero Virginis virtute solius Dei conceptus fuerit, id unum consequi, omnino supernaturalem, et divinam fuisse conceptionem ejus, quemadmodum Filium Dei descendentem e cælo, atque assumentem humanam carnem ad redimendum genus humanum quam maxime decebat.

Ad alterum dico, Christum semper in cælo fuisse ante suum adventum in hunc mundum; verum non quatenus humanam, sed quatenus naturam divinam habuit. Unde de cælo descendit, quatenus habuit divinam naturam, ascendit autem quatenus cum divina natura etiam humana erat conjuncta. Hinc dixit Apostolus, eum, qui descendit de cælo, esse illum ipsum, qui ascendit in cælum, quia Christus et prout Filius Dei secundum naturam divinam, et prout homo secundum humanam, est una tantum

persona, quæ habet duplicem naturam, propterea quod cadit in utramque, vel in alterutram ex eis, dicitur de Christo, quia, sicuti vulgo ajunt, denominationes sunt suppositorum.

R. ad 3., Joannem in cap. 6. duo complecti: de pane vitæ, qui descendit de cælo primo loco loquitur, deinde vero de pane, quem se daturum ad manducandum promisit: a v. 33. usque ad 52. de priori sermonem habet, de altero a v. 52. usque ad 60. Quum dixisset ergo Christus: *Ego sum panis vivus, qui de cælo, descendi*, Judæi insurgentes contra illum *murmurabant*, et dicebant ei: (v. 42. et seq.) *Nonne hic est Jesus Filius Joseph, cujus nos novimus patrem, et matrem? Quomodo ergo dicit hic: quia de cælo descendi?* Ex his autem constat, Judæos ita intellexisse Christum dicentem se esse panem vivum, qui e cælo descendit, ut non dubitaverint, eum de vero descensu e cælo fuisse loquutum. Christus autem non solum non accusavit Judæos de falsitate sensus, quo sua verba acceperant, sed primo, monitis iis, ut *non murmurarent in invicem* (v. 43.) se a Patre missum iterum dicit (v. 44.) deinde de suo Patre cælesti multa superaddit, postremo hæc habet, quæ suam primam assertionem magis magisque confirmant: *Qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ... Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi* (v. 47. et seqq.). Post hæc vero suum sermonem convertit ad alium panem, quem manducandum a nobis se daturum promittit, de quo non est, cur nunc disseramus. Quapropter quæ Sociniani pro se in medium adducunt, talia esse, ut ex iis de suo errore manifeste convincantur, hoc vero est, quod jure, meritoque volumus, quum id palam jam fecerimus tum ex verbis Christi ad Judæos, tum ex responsione Judæorum, tum ex iis, quæ ad eam reposuit Christus.

Dices III. in favorem tertiæ difficultatis Socinianorum. Christus *Joann.* cap. 3. postquam reprehendit Nicodemum quærentem, quomodo fieri possent ea, quæ ab eo audiverat, vers. 12. et seq. hæc superaddit: „Si terrena dixi vobis, et non „creditis, quomodo si dixero vobis cælestia, credetis? Et nemo „ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis, „qui est in cælo." Hic de Filio hominis dicitur, eum prius ascendisse in cælum, deinde descendisse e cælo. Christus ergo antequam inciperet Evangelium prædicare, in cælum evectus fuit, ut cognitione rerum cælestium imbueretur. Sicut ergo Moyses, qui fuit figura Christi, in montem ascendit, antequam legem veterem promulgaret, et Paulus elevatus fuit usque ad tertium cælum, ut videret, quæ non licet homini loqui; ita et Christus in cælum evectus fuit, ut impleretur cognitione rerum divinarum, antequam obiret munus evangelizandi.

R. verba Evangelistæ eodem modo intelligi debere, quo supra in responsione ad 2. objectionem verba Apostoli *Ephesior.*

4. 10. esse intelligenda docuimus. „Non est ergo intelligendum „ (sicut advertit Angelicus lect. 2. in cap. 3. *Joan.*) quod Fi„ lius hominis secundum humanam naturam de cælo descende„ rit, sed secundum divinam. Quum enim in Christo sit unum „ suppositum, vel hypostasis, vel persona duarum naturarum, „ divinæ scilicet, et humanæ; ex quacumque earum hoc sup„ positum nominetur, possunt ei attribui et divina, et humana.... Ita in his, quæ de Christo dicuntur, non est attenden„ da distinctio quantum ad id, de quo dicuntur, quia indifferen„ ter divina, et humana dicuntur de Deo, et homine; sed est „ attendenda distinctio quantum ad id, secundum quod dicun„ tur, quia divina dicuntur de Christo secundum divinam na„ turam, humana vero secundum humanam. Descendere ergo „ de cælis dicitur de filio hominis non secundum humanam na„ turam, sed secundum divinam, secundum quam convenit ei „ ante incarnationem de cælo fuisse." Hinc in citato capite Joannis post supradicta verba v. 16. et seq. hæc leguntur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret... Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum.* Filius ergo Dei, hoc est, Christus secundum divinam naturam est, qui mittitur in mundum, ac propterea qui descendit de cælo.

Non minus autem fictitia est interpretatio Socinianorum respectu illorum verborum, de quibus usque modo disseruimus, quam sit fictitium de assumptione Christi in cælum, antequam suo muneri operam daret. Nam Christum ante id temporis in cælum evectum fuisse, unde nam vel remotissime colligunt ex sacris litteris? Moyses ascendit in montem, Paulus elevatus fuit usque ad tertium cælum: bene; at secundum quas tandem logicæ regulas inde colligi potest, etiam Christum evectum usque ad tertium cælum fuisse? Deinde anne tum Moysis, et Pauli, tum Christi eadem conditio fuit?

CAPUT QUARTUM.

De Christo, quatenus certo determinatoque tempore ipsum extitisse ante Mariam, constat ex sacris litteris.

Christum ante Mariam non extitisse, res est, quam Sociniani tota contentione defendunt, quum ea sit fundamentum multorum errorum, quos tuentur. Iis positis, de quibus in tribus præcedentibus capitibus modo egimus, ita paucis illorum error refutatur: Filius Dei æterna generatione exivit a Patre: sed Christus est Filius Dei, qui descendit de cælo: ergo Christus non solum ante Mariam, sed ab æterno extitit. Verum enim vero ut de veritate Catholici dogmatis magis, ac magis semper constet auctoritate potissimum Scripturæ, ad quam ipsi Sociniani

provocant; eamdem secundum diversa capita expendere instituimus, atque hoc in capite agemus de Christo, quatenus in Sacris litteris traditum habemus, eum longo tempore ante Mariam extitisse.

Prop. Christus longo tempore ante Mariam extitit, quemadmodum in sacris litteris aperte traditum habemus.

Prob. prop. Sicuti *Joan.* cap. 8. legitur, Judæi audientes a Christo eos in æternum non esse morituros, qui servaverint sermonem illius, calumnisti fuerunt, eumdem duci spiritu dæmonis, dicentes v. 53. „Nunquid tu major es Patre nostro Abraham, qui mortuus est?" Quibus Christus respondens v. 56. et seqq. accusationem illorum refellit: „Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, et gavisus est. Dixerunt ergo Judæi ad eum: quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? dixit eis Jesus: antequam Abraham fieret, ego sum." His autem verbis aperte significavit Christus, se non solum fuisse ante Abraham, sed in tota æternitate. Non enim dixit: ante Abraham ego fui, sed ego sum, quia tempus præteritum, et futurum non novit æternitas, sed est tota simul.

Mirum est, quantum se Socinianí torqueant, ut vim prædictorum verborum eludant: nos in omnibus eorum interpretationibus refellendis nolumus nunc male terere tempus; solummodo ergo sistemus in diluendis iis, quæ Socinus opponit. Ipse ergo tum sub initium *Resp. ad Paræneſim Andr. Volani*, tum in *Disput. inter Erasmum etc.* in resp. ad 3. arg. (a) hoc utrumque sane concedit, videlicet: et antequam Abraham fiat; et antequam Abraham fieret, ex Græca loquutione reddi posse; (nam reddi tantum debere: antequàm Abraham fiat, plerique Sociniani contendant; verum hoc loci occurrere solœcismum dicit, si reddatur: antequam Abraham fieret, ego sum. Nullus autem, inquit, locus solœcismo esse debet, ut intelligatur, Christum esse illum, qui est, nempe Deum.

Eo vel maxime qui illud *Exodi* 3. 14. *Ego sum, qui sum* in Hebraico exprimitur secundum tempus futurum, videlicet: *ero, qui ero.*

Superaddit, illa verba: *antequam etc.* non cum verbo *sum*, sed cum verbo *dico*, conjungi oportere, ita ut sensus sit: *Dico vobis, antequam Abraham fiat, quod ego sum: non vero: dico vobis, quod antequam Abraham fiat, ego sum.* Hoc autem loci: *Ego sum*, significare idem, ac: *Ego sum lux mundi: ego sum via, veritas, et vita*, ex ipsa Scriptura colligere contendit.

Tandem illud sibi opponit, legi non posse: *antequam Abraham fiat*, quia ipse Abraham jam a multo tempore extiterat: verum, inquit: „Nondum gentes multæ fidem fuerant adeptæ;

(a) Tom. II. Bibl. Frat. Polon.

„ et propterea homo ille Abraham, qui pater fidentium est, „ nondum pater multarum gentium factus fuerat." Unde colligit, hominem Abrahamum factum quidem fuisse, non vero factum, quod ab illius nomine significabatur.

R. Ad hæc omnia non multis. Solœcismo itaque tunc est locus, quando partes orationis inter se male componuntur. Hic autem nihil tale occurrit: nam, quærentibus a Christo Judæis, quomodo vidisset Abraham, si quinquaginta annos nondum habebat, se esse ante Abraham, Christus respondit. Esse, inquam, non vero fuisse, ut indicaret se extitisse ab æternitate, quæ præteriti, et futuri temporis successionem non patitur, indeque quum sit tota simul, præsenti tempore apte significatur, sicuti jam alibi sæpius monuimus.

Consentiunt vero Interpretes, apud Hebræos per tempus futurum etiam præsens quandoque significari; et tunc potissimum, quando tempus rei, aut actionis permanentiam respicit. Quia ergo apud Latinos, et Græcos eadem continuata duratio per tempus præsens melius explicatur, tum noster Interpres, tum Septuaginta præsenti tempore usi fuerunt. Auctoritati vero istorum etiam Socinus debet acquiescere.

Quæ ipse superaddit, sunt ad libitum conficta: sermo enim erat de Abrahamo, qui jam a multo tempore extiterat, indeque Judæi mirabantur, Christum ætate longe majorem illo sese fecisse. Eisdem ergo Christus non debebat reponere: antequam Abraham fiat, sed antequam fieret, et illud *antequam* ad suam existentiam referre oportebat. Simili ratione illis verbis: *Ego sum*, ut quæ debet, sicut unicuique perspectum est, ratio sermonis habeatur, exprimi existentiam Christi, non vero manus illius, de quo nullo modo tunc quærebatur a Judæis, dicatur oportet.

Nihil autem ad rem facit, nondum multas gentes fidem adeptas, indeque Abrahamum patrem multarum gentium nondum evasisse: nam illud iterum iterumque urgemus, contentionem movisse Judæos de existentia Abrahami, non vero de promissionibus illi factis.

Verum nunc ultra progrediamur in confirmationem ejus, quod volumus. Apostolus 1. *Corint.* 8. 5. et 6. „ Etsi sunt (inquit), „ qui dicantur Dii, sive in cœlo, sive in terra.... nobis tamen „ unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum, et unus „ Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum." *Hebr.* 1. 2. „ Novissime diebus istis loquutus est nobis in Filio, „ per quem fecit et secula." Tandem *Joan.* 17. 5. legimus, Christum morti proximum rogasse Patrem, ut se ea claritate clarificaret, quam jam habuerat apud ipsum, priusquam mundus fieret: „ Nunc (inquit) clarifica me tu, „ Pater, apud „ temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset

„ apud te." Hæc autem et per se singula; et multo magis simul unita tantam in se secundum sensum litteralem spectata ad persuadendum, quod volumus, efficaciam habent, ut mirum sit, Socinianos iisdem non acquiescere. At, ut verius dicam, non mirum, quia nolunt acquiescere veritati.

CAPUT QUINTUM

De Christo, quatenus ab æterno fuit.

Christum esse Filium Dei, qui e cælo descendit, æterna generatione a Patre prodiisse, a nobis superius ostensum fuisse, etiam in hoc capite, sicuti fecimus in præcedenti, monemus. Ex his autem ultro consequi per se, Christum ab æterno extitisse, nemo non videre debet. Veruntamen de æternitate Christi singillatim nunc agere constituimus, ut expendamus, et quæ de ea Sacræ Scripturæ singularia testimonia habemus, et etiam quoad istud Catholicæ doctrinæ caput Socinianorum effugia præcludamus.

Prop. Christus ab omni æternitate fuit.

Prob. prop. Joannes in sua epist. I. cap. 1. 1. et seq. „Quod „ fuit ab initio (inquit), quod audivimus, quod vidimus „ oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectavernnt de Verbo vitæ: et vita manifestata est, et vidimus, „ et testamur, et annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat „ apud Patrem, et apparuit nobis." Hoc loci Joannes confirmat, quod sui Evangelii initio tradiderat: quod enim in Evangelio simpliciter dicit *Verbum*, hic vocat *Verbum vitæ*. Verbum fuisse *in principio*, *et apud Deum* in Evangelio, *ab initio apud Patrem* fuisse, in cit. epist. statuit. In Evangelio dicit, *Verbum fuisse apud Deum*, *Deumque fuisse Verbum*: in eadem epistola asseverat, Christum esse *vitam æternam*, *quæ erat apud Patrem*. In Evangelio asserit, in Verbo fuisse *vitam*, idemque Verbum dicit esse *vitam*, *et lucem hominum*: in epistola Christum esse *vitam* tradit. Tandem in Evangelio affirmat, Verbum *factum esse carnem*, *habitasse in nobis*, *visam fuisse gloriam ejus*; in eadem epistola ait: *et vita manifestata est*, *et vidimus*, *et testamur*. Ex quibus ita paucis: Joannes loquitur de Christo in sua epistola sicuti per se manifestum est, de Verbo autem sui Evangelii cap. 1.: quæ tribuit Verbo in Evangelio, tribuit et Christo in epistola: Verbum in Evangelio æternum facit, etiam Christum in epistola facit æternum: in Evangelio affirmat de Verbo, quæ in Deum cadere solummodo possunt, ipsumque *Deum* fuisse Verbum tradit: in epistola etiam Christo tribuit, quæ sunt propria Dei, et illum vocat vitam æternam, quæ erat apud Patrem. Est

ergo æternitas Christi ita comperta ex sacris litteris, ut nihil magis esse posit.

Non minus diserte, quam frequenter, etiam in Apocalypsi æternitas Christi commendatur: nam cap. 1. 8. Christus de se loquens ore Joannis: *Ego sum* (ait) *Alpha, et Omega, principium, et finis, dicit Dominus, qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens.* Cap. 22. 13.; ut alia plura loca omittam. *Ego sum Alpha, et Omega, primus, et novissimus, principium, et finis.* Quapropter qui est Alpha, et Omega, principium, et finis, primus, et novissimus, est sane æternus: talis vero est Christus: ergo est æternus.

Ad hæc Socinus plura reponit in *Respon.* ad lib. Jacobi Wieki cap. 3. ad 10. arg. (a): 1. In cap. 1. *Apocalyp.* v. 8. non Christum, sed unum tantum Deum dici Alpha, et Omega: 2. His vocibus absolute non significari primum, et ultimum, sed primam, et ultimam alphabeti litteram: 3. Eum, qui ex metaphora ista velit colligere, Christum esse principium, et finem rerum omnium, ostendere debere, *litteris, seu alphabeto ex altera parte respondere res omnes*: Id autem nunquam ostenderetur: 4. Deum esse quidem principium, et finem rerum omnium, tamen, inquit Socinus, *non simpliciter, sed secundum quid*, loquutum fuisse, quando *Isaiæ* cap. 44. 6. se vocavit primum, et ultimum: talem enim se dixit, habita ratione populi Israelitici, quem multis beneficiis affecerat, et erat affecturus; ita quoque Christus se primum, et ultimum, principium, et finem vocavit, non quia sit rerum omnium principium, et finis, sed quia „Æternæ salutis nostræ inchoator, et perfector „sit, atque Ecclesiam hanc militantem et auspicatus fuerit, et „finem sit illi impositurus:" 5. Hanc mentem Christi fuisse, dum se vocavit primum, et ultimum, colligit ex his, quæ statim sequuntur *Apocalyp.* 1. v. 17. et seq. *Et vivus, et fui mortuus, et ecce sum vivens in secula seculorum. Et habeo claves mortis, et inferni.*

R. ad 1. constare ex ipsa lectione in cap. 1. versiculis præcedentibus, et subsequentibus versiculum 8. de Christo sermonem esse: igitur etiam de Christo dicitur Alpha, et Omega in v. 8. Non est, cur hac in re immoremur, quia Alpha, et Omega dici de Christo Apocalypsis 22. 13. etiam Socinus concedit.

R. ad 2. ea potissimum de causa quia Alpha, et Omega significat primam, et ultimam litterarum alphabeti, illa recte adhiberi ad significandum quoque primum, et ultimum etiam in alio genere entis, immo in toto genere entis.

R. ad 3. Quod vellet Socinus, tunc esset ostendendum, quando totum alphabetum, quantum est, ad Christum designandum

(a) Tom. II. Bibl. Frat. Polon.

adhiberetur: verum prima, et ultima tantum littera adhibetur, quatenus una est prima, nullamque ante se habet, altera ultima, nullaque alia subsequitur, adeoque prima est apta ad exprimendam in Christo rationem primi principii, quod ante se nullum aliud habet, ultima vero ad designandam rationem ultimi finis, ad quem nullus alius consequitur finis.

R. ad 4. „ falsum esse, Deum *non simpliciter, sed secundum quid* loquutum fuisse, quando *Isaiæ* 44. 6. se primum, et novissimum vocavit: superaddidit enim statim in eodem versiculo; *Et absque me non est Deus.* Et v. 8. *Numquid est Deus absque me? et formator, quem ego non noverim?* Tandem v. 24. *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, et nullus mecum.* Si hæc non significant, Deum absolute, atque simpliciter se dixisse primum, et novissimum, non video sane, quænam tandem loquendi ratio ad hunc finem adhiberi debeat.

De Christo Apocalyp. 1. 8. hæc leguntur: „ Ego sum Al„ pha, et Omega, principium, et finis, dicit Dominus Deus, „ qui est, qui erat, et qui venturus est, omnipotens." Cap. 21. 5. et seq. „ Et dixit, qui sedebat in throno: ecce nova facio „ omnia. Et dixit mihi, scribe, quia hæc verba fidelissima sunt... „ ego sum Alpha, et Omega, initium, et finis... qui vicerit, „ possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius." Ex his autem, ut alia omittamus, Christum absolute, atque simpliciter se vocare Alpha, et Omega, itemque absolute se dicere principium, et finem, nemo non videt. Deo enim, atque Omnipotenti ratio primi principii, et ultimi finis simpliciter convenit. Ex eo autem quod Christus, sicuti Socinus dicit, sit æternæ salutis nostræ *inchoator, et perfector*, ad totum humanum genus ejus beneficentia extenditur, atque ita etiam secundum hanc rationem simpliciter, atque absolute Redemptor dici debet.

R. ad 5. ex illis verbis id unum colligi, immaculatum agnum hic in terris vixisse nobiscum, mortuum esse, atque resurrexisse nunquam amplius moriturum, ipsique datum judicium super omnes. Verum an ne, quod Socinus, atque Sociniani vellent, non dicam, suadent, sed saltem aliquo modo vel remotissime indicant?

CAPUT SEXTUM.

De Christo, quatenus de illo ex novo potissimum Testamento constat, et esse Deum, et consubstantialem Patri.

Christum esse verum Deum æterno Patri consubstantialem, seu divina natura, et essentia præditum, hoc vero est, quod nunc

aggredimur ostendendum contra Arianos, Semi-Arianos, et Socinianos. Licet enim quondam Semi-Ariani, Christum vocari Deum, non omnino refugerent: tamen veram divinitatem nunquam illi tribuerunt. Sociniani autem, Christum se habere pro Deo, atque uti Deum se colere profitentur, sed divinam in illo naturam non agnoscunt, propterea que nomen Dei non ad naturam Christi, sed ad eam auctoritatem, et dignitatem referunt, qua a Patre super omnia creata fuit elevatus, atque, licet homo, super illa summam auctoritatem accepit.

Prop. Christum esse Verum Deum, et Patri æterno consubstantialem, ex novo Testamento omnino perspectum est.

Prob. prop., et ex multis argumentis, quæ occurrunt, ut brevitati simul, et perspicuitati consulatur, quinque seligemus: 1. accipiemus ex nomine Dei: 2. Ex propria natura illius: 3. Ex divinis proprietatibus: 4. Ex operationibus divinis: 5. Ex cultu debito soli Deo.

Argumentum 1. ordinis. Joannes in sui Evangelii initio cap. 1. 1. et seqq. ita habet: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum... Et Verbum caro factum est.* Verbum ergo, quod carnem factum fuisse, Joannes dicit, erat Deus: sed Christus est illud Verbum, quod caro factum fuit: Christus enim est Filius, et Verbum Dei (a): ergo Christus, habita ratione nominis, est Deus.

Sociniani, ut tam aperti testimonii vim eludant, reponunt 1., prædicta verba ita dispertita legi debere: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat. Verbum hoc erat in principio apud Deum.* Unde colligunt, hoc loci Verbum non vocari Deum. 2. Quamvis detur vocari Deum, non tamen sequitur, vocari Deum summum: eo vel maxime quia non legitur præfixus articulus, qui in Græco præfigi solet, quando Deus summus indicatur.

Verum hæc omnia prorsus inania sunt: nam Sociniana hujusmodi interpunctio et commentitia est, quia neque in probatis codicibus, neque in Patribus ullum fundamentum habet, et etiam absurda, si contextus verborum attendatur. Quum enim Evangelista dixisset: *Verbum erat apud Deum*, statim prodit, quid esset hoc Verbum, Deumque fuisse illud statuit. Profecto si verborum contextus attendatur, nihil sane in hac dicendi ratione non ordinatum non occurrit. Quod dicunt de articulo non præfixo, inane est: nam tum in hoc capite Joannis v. 6. tum *Roman.* 1. 7. Deus Pater *Theos* sine articulo vocatur.

Quæ autem Joannis cap. 1. de Christi divinitate dicuntur, etiam in aliis locis Scripturæ confirmata legimus. Joannes in sua I. epist. 5. 20. *Scimus, quoniam Filius Dei venit... hic est ve-*

(a) Hujus lib. cap. 3.

rus Deus, et vita æterna. Paulus *Roman.* 9. 5. ait de Christo: *Qui est super omnia Deus benedictus in secula.*

Argumentum 2. ordinis. Joannis 10. 30. inquit Christus: *Ego, et Pater unum sumus.* Hæc Pharisæi audientes sustulerunt lapides, ut jacerent in illum: Christus vero tunc ita ad eos v. 37. et seq. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio... operibus credite, ut credatis, et cognoscatis, quia Pater in me est, et ego in Patre.* Se in Patre, et Patrem in se esse, etiam discipulos iterum iterumque *Joan.* cap. 14. certiores fecit, eosque monuit, ut saltem *propter ipsa opera* id crederent. Hinc Apostolus *Coloss.* 2. 9. dixit de Christo, inhabitare in eo *omnem plenitudinem Divinitatis corporaliter.* Esse ergo in Christo naturam divinam, neque ipse Christus, neque Apostolus magis distincte exprimere potuisse videntur.

Argumentum 3. ordinis. *Joan.* 5. 17. inquit Christus: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* His autem a Christo significari æqualitatem suæ cum potestate Patris, Judæi quoque intellexerunt, indeque quærebant interficere illum, quia (v. 18.) *Et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Christus autem quod dixerat, non solum non emollivit, sed illud magis magisque inculcavit dicens v. 21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat: sic et Filius, quos vult, vivificat.* Et divinam igitur, et eamdem cum Patre potestatem Christus habuit. De immensitate, æternitate, supremaque majestate, atque aliis idem posset ostendi: verum necesse non est, ut in hoc laboremus. Proprietates namque omnes sunt in divina natura inter se inseparabiliter connexæ.

Argumentum 4. ordinis. Opera Dei quædam sunt ordinis naturalis, alia supernaturalis: in priori ordine inter cetera locum habent creatio, conservatio, et concursus; in altero donum gratiæ, remissio peccatorum, et præmium gloriæ cælestis. Hæc vero opera omnia Christo conveniunt. *Joan.* 1. 3. hæc leguntur: *Omnia per ipsum facta sunt... mundus per ipsum factus est.* I. *Corint.* 8. 6. *Christus per quem omnia.* Creatio igitur convenit Christo: sed et conservatio eidem convenit. *Colossen.* 1. 16. *Omnia per ipsum... creata sunt... et omnia in ipso constat. Hebr.* 1. 3. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Convenit demum etiam concursus ad agendum simul cum causis secundis: nam *Joan.* 5. 17. inquit Christus: *Pater meus usque modo operatur: et ego operor.* Et v. 19. *Quæcumque ille fecerit; hæc et Filius similiter facit.*

Nunc de operationibus alterius ordinis. Christus suprema auctoritate peccata dimisit: sicut enim legitur *Lucæ* 5. 20., dixit Paralytico: *Homo, remittitur tibi peccata tua.* Scribæ, et Pharisæi cœperunt cogitare dicentes (v. 21.): *Quis est hic, qui loquitur blasphemias? quis potest dimittere peccata, nisi solus*

Deus? Verum Christus ut cognovit cogitationes eorum, suam potestatem dimittendi peccata confirmavit, et *Ut sciatis* (inquit v. 24.) *quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: ait Paralytico: tibi dico: surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.* Obtemperavit Paralyticus, et ab infirmitate liber in domum suam abiit. Gratia quoque sicuti est a Deo, ita etiam a Christo. *Actor.* 15. 11. ait Petrus: *Per gratiam Domini Jesu... credimus salvari.* Sed et gloriam cælestem conferre, est tum Dei, tum Christi: *Et ego* (ait Christus *Joan.* 10. 28.) *vitam æternam do eis.*

Argumentum 5. ordinis. Cultus latriæ, qui debetur soli Deo, debetur et Christo: *Joan.* 5. 22. et seq. „Pater omne judicium „dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant „Patrem." *Philipp.* 2. 9. et 10. *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, et infernorum.* Quæ fides Deo, item Christo debetur: *Joan.* 14. 1. *Creditis in Deum, et in me credite.*

Dant quidem etiam ipsi Sociniani, Christum pro vero Deo et haberi, et adorari posse; verum non sine aperta contradictione hoc dant, quum illud quoque simul velint, eum esse purum hominem, et ob egregias virtutes, et præclara merita a supremo Deo ad hujusmodi dignitatem simul, et auctoritatem elevatum fuisse: in quo sane adhuc sibi turpius contradicunt, quum Deus sit *Summum Magnum*, uti inquiebat Tertullianus contra Ethnicos: et *Summum Magnum* esse debeat solummodo unum, alioquin non esset *Summum Magnum*.

Res prope infinita foret, nunc explicare velle omnia Scripturæ loca, quæ Sociniani congesserunt ad ostendendum Christum natura non esse Deum, et Patri consubstantialem. Wolzogenius (a) in Evangelio Joannis potissimum sistit, et cap. 3. in *Joan.* dicit, ab ipso Joanne Evangelium conscriptum fuisse, ut refutaret illos, qui negabant Christi Divinitatem, non quidem eam, *quam habuerit ab æterno, sed quam in tempore propter perfectissimam suam obedientiam adeptus est*, extulisseque Christum supra Joannem Baptistam, qui pro Messia habitus fuerat a multis. Cap. autem 10. ex eodem Evangelio loca decem et octo in medium adducit, quibus ostendere nititur, Christum non esse verum Deum, Patrique consubstantialem. Inter alios Socinianos etiam Crellius *De Uno Deo Patre* lib. 1. sect. 2. cap. 1. (b) præ ceteris fusius ea omnia prosequutus fuit; quæ deprompta ex Scriptura contra veram divinitatem Christi, et consubstantialem ejus cum Patre facere posse, sibi visus fuit.

Antequam singillatim nunc capita indicemus, ad quæ reduci

(a) Tom. VII. Bibl. Frat. Polon.
(b) Tom. V. cit. Bibl.

possunt, quæ Sociniani ex Scriptura pro se in medium adducunt, hoc, quod opponunt ipsi cum antiquis Arianis sicut legitur apud S. Augustinum lib. unico *Cont. Serm. Arian.* num. 32., videlicet: *impossibile esse, ut unus, idemque sit Pater, et Filius, generans, et nascens*, cum Augustino in eodem loco solvamus: „Ex parte aliqua (inquiebat S. Doctor) verissime dicunt, sed ea contra Sabellianos, non contra Catholicos „dicant. Illi enim unum, et eumdem dicunt, Filium esse, „qui Pater est: nos autem Patrem gignentem, et Filium genitum duas dicimus esse personas, sed non duas, diversasque „naturas. Non ergo unus Pater, et Filius, sed unum sunt „Pater, et Filius." Nunc de prædictis capitibus.

1. Unum solum esse Deum, et hunc solum Deum, esse solum Deum Patrem.

2. Christum dici Filium Dei non ob veram divinitatem, ejusque consubstantialitatem cum Patre, sed 1. Quia virtute Dei ex Virgine natus ipse fuit: 2. Quia sanctificatus, et missus a Patre: 3. Quia Pater illum suscitavit a mortuis: 4. Propter potestatem, quam instar cujusdam hæreditatis accepit (a).

3. Christum et scientiam, et potestatem illam non habuisse, quam Deus Pater habet.

4. Venisse in hunc mundum, non ut sua, sed quæ sunt Patris, loqueretur, non ut suam, sed Patris faceret voluntatem, non ut suam, sed Patris gloriam quæreret.

5. Sæpius testatum fuisse, se Patre minorem esse, ad Patrem fudisse preces, atque, jubente Patre, in hunc mundum venisse.

R. ad 1., ignorare neminem apud *Joan.* 17. 3. hæc legi: „Hæc est vita æterna, ut cognoscant te (Patrem) solum Deum „verum, et quem misisti Jesum Christum." Apud Apostolum I. *Corint.* 8. 6. „Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum: et unus Dominus Jesus Christus, per „quem omnia, et nos per ipsum." *Ephes.* 4. 6. „Unus „Deus, et Pater omnium, qui est super omnes." Tandem I. *ad Timot.* 2. 5. „Unus autem Deus, unus et mediator Dei, „et hominum homo Christus Jesus." Unus autem Deus est Deus Pater, inter quem, et homines Christus ponitur mediator, qui sane semel ac sit Deus, sui ipsius esset mediator.

Verum hæc omnia quam maxime faciunt contra Socinianos, qui licet Christum secundum naturam a Patre undequaque distinctum velint, tamen ob alia, quæ jam indicavimus, ut verum Deum et habent, et colendum dicunt (b). Nam si propter su-

(a) Hos quatuor modos prosequutus fuit Wolzogenius cap. 2. *in Joan.* (tom. 7. cit. Bibl.)

(b) Vid. Socinus in Resp. ad 4. priora cap. Wicki (tom. 2. cit. Bibliot.)

pradicta loca Scripturæ secundum Socinianos a divinitate excludendus est ille Filius, qui est talis secundum substantiam, et naturam, quique unum cum Patre se esse dicit, quanto magis erit excludendus Socinianorum fictitius Filius Dei, qui ob exteriora dona a Patre sibi collata haberi debet, atque etiam coli ut Deus.

Verum singula loca expendamus: in primo illud dicitur de Patre, quod sit solus Deus verus, scilicet ille Deus, qui est solus verus, non vero quod ipse solus, qualibet alia persona seclusa, sit verus Deus. Quapropter vox illa: *solus* non cadit in pronomen *te*, sed in nomen adjectivum *verum*. Hoc suadetur ex contextu Græco, qui ita habet: *se ton monon alithinon Theon*. Quemadmodum autem est compertum apud omnes articulus *ton* separat, quod antecedit, ab omnibus consequentibus, quæ sub uno prædicato complectitur. In hanc rem etiam Socinus consentit in epist. 2. ad Matt. Radecium.

Quia vero Sociniani loca Scripturarum aliis earumdem locis, contempta etiam traditione, explicanda dicunt, nos hoc idem nunc contra eos omnes faciemus. Porro Joannes, qui in Evangelio dixit, Patrem esse vitam æternam, et solum Deum verum, in epist. I. 5. 20. dixit quoque de Christo: *Hic est verus Deus, et vita æterna*. Si autem in Evangelio vox illa: *solus*, referatur ad Patrem, profecto Christus neque verus Deus, neque vita æterna esse potest: sed Joannes dixit, Christum esse verum Deum, et vitam æternam: ergo vox illa: *solus*, non refertur ad Patrem.

Origenes autem lib. 7: in epist. ad *Rom.* num. 3. explicans illud *Roman.* 9. 5. de Christo dictum: *Qui est super omnia Deus benedictus in secula*: jam a suo tempore mirabatur, ex illo I. *Corint.* 8. 6. quosdam colligere id, quod nunc Sociniani colligunt: „Miror (inquiebat) quomodo quidam legentes quod Apos„tolus dicit: *Unus Dominus Pater, ex quo omnia, et unus Do„minus Jesus Christus, per quem omnia*, negent Filium Dei Deum „ debere profiteri, ne duos Deos dicere videantur. Et quid de „hoc Apostoli loco facient, in quo aperte Christus *super om„nia Deus* esse præscribitur? Sed non advertunt, qui hoc ita „ sentiunt, quod sicut Dominum nostrum Jesum Christum non „ ita unum esse Dominum dixit, ut ex hoc Deus Pater Domi„nus non dicatur; ita et Deum Patrem non dixisse unum Deum, „ ut Deus-Filius non credatur" (Deus).

Idem Apostolus *Ephes.* 4. 5. et seq. ut unitatem fidei inculcaret Ephesiis, iterum repetit, unum esse Dominum, videlicet Christum, ducem fidei nostræ, et unum Deum Patrem. Quare observatio Origenis hic quoque suum locum habet, immo vero debet habere.

Sicuti vero I. *ad Timot.* 2. 5. dicit Apostolus, quemadmo-

dum Deus est unus: ita unus est mediator, Dei et hominum homo Christus Jesus, quia solus Christus Jesus, uti superadidit Apostolus: *Dedit redemptionem se ipsum pro omnibus.* Id autem fecit quatenus homo, ideoque prout homo Dei, et hominum mediator dicitur. Homines ergo sibi quoque, prout est Deus, reconciliavit.

R. ad 2. Divinitati Christi, illiusque consubstantialitati cum Patre recensita non obesse. Hæc quidem leguntur: *Lucæ* 1. 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* At vero Dei Filius vocari utique debebat, quod erat nasciturum sanctum ex Virgine: nam ut nunc non faciam mentionem erroris illorum, qui putarunt, Christum secundum humanam naturam esse Filium Dei, non naturalem, sed adoptivum (a), certum est, Christum, etiam quatenus est homo, esse Filium Dei naturalem. Quandoquidem, sicut advertit Angelicus 3. p. quæst. 23. art. 4. „Filiatio proprie convenit hypostasi, vel „personæ, non autem naturæ... In Christo autem non est alia „persona, vel hypostasis, quam increata, cui convenit „esse Filium per naturam." Hinc Joannes epist. I. cap. ult. 20. de Christo ait: *Et simus in vero Filio ejus.* Quare quia Christus est Filius Dei, etiam quatenus ex Maria nasciturus, Filius Dei vocandus erat.

Alterum quoque inane est. Hæc quidem legimus *Joan.* 10. 36. *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum.* At vero de sanctificatione essentiali, quam Christus una cum divina essentia a Patre recepit, hoc loci profecto sermo est: nam quum Christus dixisset: *Ego, et Pater unum sumus*, Judæi illum lapidare volebant, quia, sicut ipsi falso putabant, quum homo esset, se Deum faciebat. Christus ad hæc post illa, quæ citato v. 36. leguntur, ita v. 37. et seq. „Si non facio opera Patris mei, „nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis „credere; operibus credite, ut cognoscatis, et credatis, quia „Pater in me est, et ego in Patre." Se ergo unum cum Patre esse, Christus semper perstitit prædicare ad suam divinitatem comprobandam. Ex his vero constat, quæ de sanctificatione Christi leguntur, ad sanctificationem essentialem referri oportere.

Tertium simile est duobus prioribus: quandoquidem *Act.* 13. 33. dicitur quidem Jesus resuscitatus a Deo: verum simul dicitur resuscitatus, quia erat Dei Filius: *Quoniam hanc* (promissionem) *Deus adimplevit Filius nostris resuscitans Jesum, sicut in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu: ego*

(a) Vid Petavius lib. 1. *De Incarn.* cap. 22., et Natalis ab Alex. Diss. 5. sec. 8.

hodie genui te. Deinde secundum humanam naturam Christus mortuus fuit, et divina virtute resurrexit, quæ non fuit minus illius, quam Patris: quia ipse, et Pater sunt unum.

Neque etiam ex hoc altero loco *Rom.* 1. 4., quem nobis opponunt, quod velient, evincitur: „Qui prædestinatus est Fi„lius Dei in virtu„ secundum spiritum sanctificationis ex resur„rectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri." Hæc enim verba referri debent ad humanitatem, quæ per unionem hypostaticam Verbi ab æterno prædestinata fuit ad naturalem filiationem Dei. Hoc enim non obscure significare videntur ista alia verba immediate præcedentia: v. 3. „Qui (Christus) factus „est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus „est etc." Hanc interpretationem ab Erasmi, et Richardi Simonis dictetiis P. Bernardus de Rubeis in *Admonit. prævia ad Comment. S. Thomæ in epist. Pauli* num. 3. et seq. vindicavit.

Ultimum tandem nullam in se difficultatem habet. nam *Hebr.* 1. 2. dicitur quidem de Deo, quod „Loquutus est nobis in Fi„lio, quem constituit hæredem universorum." At statim super„additur. Per quem fecit et secula." Et ipse quidem, sicuti v. 4. et seq. legitur: Tanto melior Angelis effectus, quanto differen„tius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando An„gelorum: filius meus es tu: ego hodie genui te?" Quid ergo? Anne Dei Filius non fuit constitutus hæres universorum? Fuit sane constitutus: at quatenus erat homo, non vero Deus. Semel ergo indicata excellentia originis Christi illis verbis: *Loquutus est nobis in Filio*, de majestate dominii illius Apostolus sermonem habet. Quia vero in Christo sunt duæ naturæ, et secundum divinam non est constitutus Filius, quia ab æterno erat talis: ita neque etiam hæres, quia hæres naturalis ab æterno erat. At secundum humanam naturam sicuti Filius Dei factus est, *Rom.* 1. 3. „Qui factus est ei ex semine David secundum carnem;" ita et universorum hæres factus est.

R. ad 3. hæc nos quidem habere in sacris litteris, quæ videntur favere Socinianis. *Matt.* 24. 36. divit Christus: „De die „illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, „nisi Pater." Item *Joan.* 5. 19. „Non potest Filius a se facere „quidpiam, nisi quod viderit Patrem facientem." Vers. 30. „Non „possum a me ipso facere quidquam." Præterea Christus, se non posse illud, quod potest Pater *Matt.* 20. 23. declaravit dicens: „Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum „dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo." At revera nihil horum eisdem favet.

Augustini ergo, et Angelici (a), ne nimis in longum hac

(a) Ille lib. 1. *De Trinit.* num. 23. iste 3. part. quæst. 10. art. 2. ad 1.

in re progrediamur, nos sequuti rationem, affirmamus, quod Filius id nescire dicitur, „Quod nescientes facit, hoc est, „quod non ita sciebat, ut tunc discipulis indicaret, sicut „dictum est ad Abraham: *nunc cognovi, quod timeas Dominum*, „id est, nunc feci, ut cognosceres, quia et ipse sibi in illa „tentatione probatus innotuit." Novit ergo Filius judicii diem non solum secundum divinam, sed etiam secundum humanam naturam, quia sicuti Chrysostomus argumentatur Homilia 87. in *Matth.* 1. si Christo homini datum fuit, ut judicaret quod est sane majus, potiori jure datum quoque fuit, ut nosset tempus judicii, quod est minus. Quare licet tam Christus, quam Angeli ignorare dicantur diem judicii, tamen tum de illo, tum de istis non una, eademque ratione dicitur.

Joan. cap. 5. legimus, Judæos persequutos fuisse Christum, quia in sabbato hominem ab infirmitate ipse curasset: verum Christus ut ostenderet eis, se non solvere sabbatum institutum a Deo: *Pater meus* (inquit v. 17.) *usque modo operatur, et ego operor.* Magis magisque tunc Judæi exardescentes ira quærebant illum interficere, quia se Deo fecisset æqualem. Respondit tunc Christus ad eos v. 19. *Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, videlicet, ita sum æqualis Patri, ut sim ab illo, non vero ille sit a me, quidquid habeo, ut faciam, est mihi a Patre, indeque dicebat v. 19. *Non potest Filius a se facere quidquam*, quia in eo potentia erat idem, quod natura: unde a quo naturam habuit, potentiam quoque habuit. Superaddidit Christus in eodem versiculo hæc verba: *Nisi quod viderit Patrem facientem.* Nam quum Filius sit sapientia Patris juxta illud *Ecclesiast.* 24. 5. *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*, Filium procedere a Patre, idem est, ac divinam sapientiam a Patre procedere. „Quia ergo (sicut Angelicus ait lect. 3. in cap. 5. *Joan.*) visio designat derivationem cognitionis, recte per visionem generatio Patris a Filio „designatur, ut sic nihil aliud sit, Filium videre Patrem facientem, quam procedere intelligibili processione a Patre operante." Hinc Christus in argumentum suæ divinitatis, et æqualis potentiæ cum Patre, statim superaddidit in eodem v. 19. *Quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit.* Et v. 21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat: sic et Filius, quos vult, vivificat.*

Est autem ad formam servi referendum, quod Christus dixit: *Non est meum dare vobis.* Unde hoc eodem modo accipi debet, sicut (inquit), S. Augustinus lib. 1. *De Trinit.* num. 25. „Ac si diceretur, non est humanæ potestatis hoc dare: ut „per illud intelligatur hoc dare, per quod Deus æqualis est „Patri. *Non est meum*, inquit, *dare*, id est, non humana po-

„ testate ista do, *sed quibus paratum est a Patre meo*: sed „ jam tu intellige, quia si omnia, quæ habet Pater, mea sunt, „ et hoc utique meum est, et cum Patre ista paravi."

R. ad 4. legi quidem *Joan.* 7. 16. „Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me." Cap. 6. 38. „Descendi de cælo, „ non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui „ misit me." Cap. 8. 49. et seq. „ Honorifico Patrem meum... „ ego autem non quæro gloriam meam."

Verum etiam ista facile explicantur. Doctrinam profecto, quam Christus dixit suam, eamdem dixit non suam: „ Quo- „ modo (inquit S. Augustinus lib. 1. *De Trinit.* num. 17.) „ istud verum est, nisi secundum aliud suam dixerit, secundum „ aliud non suam; secundum formam Dei suam, secundum „ formam servi non ut suam? quum enim dicit: *Non est mea,* „ *sed ejus, qui misit me*, ad ipsum Verbum nos facit recurrere: „ doctrina enim Patris, est Verbum Patris, qui est unicus Fi- „ lius." Ad refellendos ergo Judæos dicebat Christus, doctri- nam suam non esse suam, videlicet, non esse contrariam, si- cut ipsi calumniabantur, doctrinæ Dei Patris, sed ei consen- tientem, immo unam cum illa.

Tum vero quatenus est Deus, tum quatenus est homo, af- firmari potest, Christum venisse in hunc mundum, ut faceret voluntatem Patris, sicut advertit S. Augustinus lib. *Con.* Ma- ximinum Arianum num. 3. dicens: „ Potest quidem accipi etiam „ secundum id, quod est unigenitum Verbum, ut ideo voluntatem non suam dixerit esse, sed Patris, quoniam de Patre est, „ quidquid est Filius; non est autem de Filio, quidquid est „ Pater: secundum quod dictum est: et *mea doctrina non est* „ *mea, sed ejus, qui misit me*... Non absurdum est tamen, „ ut etiam hoc secundum id, quod homo factus est, dixisse ac- „ cipiatur: *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam,* „ *sed voluntatem ejus, qui me misit.* Secundus enim Adam, „ qui tollit peccatum mundi, isto modo se discrevit a primo „ Adam, quia iste non fecit voluntatem suam, sed ejus, a „ quo missus est, quum ille fecerit suam, non ejus, a quo „ creatus est. Nec moveat, quo modo Christus secundum id, „ quod est homo, descenderit de cælo, quum de matre, quæ „ in terra erat, factus sit homo. Hoc enim propter unitatem „ personæ dictum est, quoniam una persona est Christus Deus, „ et homo."

Quia vero Diabolus impedire conatur, ne debitum Deo ho- norem deferamus; ideo Christus, ut refelleret Judæos impie calumniantes se habere dæmonium, iisdem reposuit, non suam gloriam se quærere, sed Patris, non suam, inquam, in hoc mundo, et quatenus erat homo, suam tamen quatenus erat Deus, et idem cum Patre.

R. ad 5. dixisse quidem Christum *Joan.* 14. 28. *Vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Longas eum ad Patrem fudisse preces, sicuti *Joan.* cap. 17. legitur: Et *Joan.* 8. 42. hæc habere Christum: *Neque enim a me ipso veni, sed ille me misit.*

At una responsione hæc omnia solvuntur: „Quod vero major est Pater, (inquit S. Augustinus lib. unico *Cont. Serm. Arianorum* num. 32.) non pertinet ad naturam gignentis, et geniti, sed hominis, et Dei: secundum quam formam susceperti hominis et ad dexteram Patris sedet, vel stat, et orat, et gratias agit, et sacerdos est, et minister est, et supplex est, et subditus est: secundum autem formam Dei, in qua æqualis est Patri, unigenitus est, et gignenti coæternus." In *Collat. cum Maximino Ariano* postquam auctoritate Scripturæ tam divinam, quam humanam naturam in Christo esse ostendit, et de forma servi mentionem fecit: „Ecce (inquit num. 14.) qua forma major est Pater: discerne dispensationem susceptæ hominis a manente immortaliter divinitate, et non erras in verbis, quæ multum amas dicere, et ea non dignaris sapere."

Pharisæos autem ajentes Patrem se habere Deum, ita Christus efficaciter refutavit *Joan.* 8. 42. „Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me: ego enim ex Deo processi, et veni: neque enim a me ipso veni, sed ille me misit." Sicuti vero habet Angelicus lect. 5. in cap. 8. *Joan.*: *Processi*, inquam, *a Deo*, ut unigenitus ab æterno de substantia Patris. *Psal.* 109. 4. *Ante luciferum genui te, et Joan.*: 1. *in principio erat Verbum. Veni* autem, ut Verbum caro factum, et missus a Deo per incarnationem... *Neque enim a me ipso veni*, id est, secundum Hilarium, ego veni non a me ipso existens, sed quasi ab alio missus, scilicet a Patre. Unde subdit: *Sed ille me misit*: *Galat.* 4. 4. *misit Deus Filium suum, natum ex muliere, factum sub lege.*"

CAPUT SEPTIMUM.

De Christo, quatenus de divinitate illius, et consubstantialitate cum Patre constat ex Traditione.

Patres, qui floruerunt ante Concilium Nicænum, Ante-Nicænos propterea dictos, tenuisse, Christum esse Deum, et Patri consubstantialem nunc aggredimur ostendere. Sociniani enim, licet Traditionis nullam rationem habendam esse velint; tamen in hoc capite doctrinæ Patres Ante-Nicænos sibi non adversari, ipse Socinus confidenter affirmat, atque etiam, ut securius hac in re sibi consulat; et paucitatem Patrum Ante-Nicænorum

exagerat, et opera illorum esse apocrypha opponit (a).

Simon Episcopius in *Instit. Theol.* lib. 4. cap. 34. de fide sancita in Concilio Nicæno, et in Symbolis post seculum tertium editis, talia scripsit, quæ nullo modo ferri possunt. Zwikerus, Patres Nicænos *novæ fidei fuisse conditores*, affirmare ausus fuit in suo *Irenico Irenicorum*. Hoc in opere *irrefragabilia testimonia, et argumenta* inesse, Stephanus Curcellæus affirmat in *Quat. Dissert. Theol.* Dissert. 1. §. 118. Horum vestigia pressit Sandius in *Nucleo Hist. Eccl.*, qui cum Ario consensisse dicit Ante-Nicænos Patres. Juriæus (b) id quoque affirmavit, damnatam doctrinam Arii *omnium Theologorum, nemine excepto, ante Nicænam Synodum fuisse*, ob errorem Trinitatis, in quo erant: quem Bossuetius singulari opere refutavit (c).

Prout non debebant, neque ullo modo recte poterant, Patrum Ante-Nicænorum plures de divinitate Filii haud recte sensisse, etiam Petavius *De Trinit.* lib. 1. cap. 3. et seqq., et Huetius *Origenianorum* lib. 2. cap. 2. putarunt. Ille tamen in Præfat. lib. 1. *De Trinit.*, hoc est, cap. 1. num. 12. ejusdem lib., emollire studuit, quod cap. 3. et seqq. affirmat: ait enim nonnullos Patres tenentes substantiam dogmatis *in quibusdam consectariis a regula deflexisse*, alios autem quod rationem loquendi *dissensisse ab usitata prascriptione*. Hoc alterum, sano modo intellectum, fortasse admitti potest.

Ut ergo de antiquorum Patrum sententia rectum judicium feratur, duo advertí debent: 1. Seriem totius doctrinæ, quam tradiderunt, attendi oppotere, non vero unam, aut alteram vocem, vel singularem loquendi modum: 2. Quando aliqua pertinentia ad fidem oppugnantur ab hæreticis, de iis Catholicos magis distincte, atque accurate disputationem contra eos instituere, sicut advertit S. Augustinus lib. 6. *De Civit. Dei* cap. 2., contra vero etiam Patres securius fuisse loquutos, quando nemo contra *litigabat*, sicut ait idem Augustinus lib. 1. *Cont. Julian.* num. 22. Et *Enarrat.* in Psal. 54. num. 22. affirmat, de ipsa Trinitate *non perfecte tractatum, antequam oblatrarent Ariani.*

Prop. Ante-Nicænorum Patrum auctoritate constat de divinitate Christi, ejusque consubstantialitate cum Patre.

Prob. prop. Quoniam vero, sicuti modo advertimus, Socinus opponit paucitatem Scriptorum Ante-Nicænorum, indeque colligit, aperte non constare de divinitatis Christi fide, quæ ante

(a) *In Resp. ad* 12. cap. Wieki cap. 9. (tom. 2. Bibl. Frat. Polon.)
(b) In suo *Tableau* de Socinianis epist. 6. 7. et 8
(c) *L'Antiquité eclarcie sur l'Immutabilité de l'Etre Divin etc.*

Concilium Nicænum in Ecclesia viguit; ideo nunc contra ipsum advertimus, statim ac Arii blasphemia Ecclesiæ innotuit, illum una cum quibusdam suis asseclis ab Ecclesia ejectum fuisse, sicuti ex S. Alexandro novimus apud Theodoretum lib. 1. *Hist. Eccles.* cap. 4. Quia vero impius homo non resipuit, suique erroris defensores nactus fuit, Nicææ coacto Concilio, ex 318. Patribus, qui ad illud ex toto orbe convenerunt, inventi sunt pauci, et ii quidem *subdoli*, sicuti Theodoretus lib 1. *Eccl. Hist.* cap. 7. tradit, qui erroribus illius patrocinarentur. Tres tantum, quos commemorat, cum Ario quodammodo sensisse, lib. 1. *Hist. Eccl.* cap. 8. Socrates affirmat. In fine tamen concilii omnes consensisse in damnationem Arii dicendum est: Nam in *Synodica* apud Socratem lib. 1. *Hist. Eccl.* cap. 9. hæc leguntur: *Cunctisque suffragantibus placuit, ut impia ejus opinio damnaretur.* Illinc etiam Eusebius lib. 3. *De Vita Constantini* cap. 14. tradit *unius fidei consonantiam apud omnes obtinuisse*, quamvis in præcedenti cap. dixisset, multas inter Patres fuisse concertationes.

Profecto ex his, licet alia non haberemus, nemini non compertum esse debet, quænam fuerit Ecclesiæ fides de divinitate Christi ante Nicænum Concilium. Ad alia autem, quæ Socinus quoad idem caput post Nicænum Concilium de Ecclesiæ fide, habita potissimum ratione Concilii Ariminensis, reponit, nihil respondemus, quia sistendum in iis arbitramur, de quibus disputare instituimus. Hac de re Thomassini Dissert. 5. in Synod. Arimin. præter alia legatur.

Nunc contra Socinianos illorum auctoritate Patrum, quorum opera genuina habentur etiam ab Acatholicis, et revera sunt, ne Socinus contra possit reponere, sicut revera facit, opera Patrum Ante Nicænorum apocrypha esse, indeque recenset inter apocrypha etiam illa, quæ revera non sunt.

Ab Ignatio Martyre nunc exordiamur: hic igitur in genuinis epistolis secundum græcam editionem Isaaci Vosii, et latinam Usserii in iis, quæ præmittit in epist ad Ephesios, vocat Jesum Christum *Deum nostrum*, Num. autem 7. ejusdem epistolæ hæc habet de Christo: „ Medicus autem unus est, et carnalis et spiritualis, genitus, et ingenitus, factus, et non factus, in homine existens Deus, in morte vita æterna, et ex „ Maria, et ex Deo, primum passibilis, et nunc impassibilis, „ Jesus Christus Dominus noster." In epist. ad Magnesianos num. 7. „ Unus Deus est, qui se ipsum manifestavit per Jesum Christum Filium suum qui est Verbum ipsius æternum, „ non a silentio progrediens."

Modo gratia brevitatis, iis omissis, quæ hac de re habet S. Polycarpus in sua 1. epist. ad Philippenses, quam genuinam esse multorum eruditorum auctoritate omnino comprobatur, quæ pre-

catus ipse fuerit igne jam jam consumendus, videamus (a): „Bene-
„dico te, (inquit, glorifico te cum sempiterno, et cœlesti Jesu
„Christo dilecto Filio tuo, cum quo tibi, et Spiritui Sancto
„gloria, et nunc, et in futura sœcula. Amen."

Scriptoribus Apostolicis primo loco adjiciamus S. Justinum, qui una cum illicem vixit. Hic ergo *Apolog.* 1. num. 63. de Christo ait: *Qui quum Verbum sit primogenitum Dei, Deus etiam est. Apolog.* 2. num. 6. Christum appellat *solum proprie Filium Dei.* In *Dialogo cum Tryphone* num. 61. explicat generationem Verbi a Patre, exemplo accepto ab igne, a quo oritur alius ignis, non imminuto priori. Ne vero quispiam inde inferat, Verbum separari a Patre, quia ignis ab igne separatur, superaddit num. 128. *Verbum non separari a Patre, quemadmodum lux solis in terra abscindi, et separari nequit a sole.* Demum in eodem Dialogo num. 126. Christum vocat *Deum solius ingeniti, et non enarrabilis Dei Filium* Athenagoras in sua *Legatione* num. 10. „Quis igitur (inquit) non miretur, quum Atheos vocari
„eos audiat, qui Deum Patrem, et Filium Dei, et Spiritum
„Sanctum asserunt, ac eorum et in unione potentiam, et in ordine distinctionem demonstrant?" S. Theophilus Antiochenus lib. 2. num 15. hæc habet: *Tres illi dies, qui ante luminaria fuerunt, imago sunt Trinitatis, Dei, ejus Verbi, ejusque Sapientiæ.* Sapientiæ vero nomine, uti per se patet, Spiritum Sanctum intelligit. S. Irenæus lib. 2. *Cont. Hæres.* cap. 25. num. 3. Verbum Patri coæternum esse affirmat. Lib. 4 cap. 28. num. 2. *unum, et eumdem* esse Deum Patrem, et Verbum ejus tradit. Lib. 3. cap. 17. num. 3. Christum fuisse Verbum Dei, inde probat, quia peccata dimittebat, quod est proprium solius Dei: *Ut (inquit) quemodo homo compassus est nobis; tamquam Deus misereatur nostri, et remittat nobis debita nostra.* Clemens Alex. in *Cohort. ad Gent.* num. 11. ita: *Pulcherrimum sane Patri spectaculum, æternus ipsius Filius gloriam reportans.* S. Gregorius Neocæsar. in sua *Professione Fidei* „Unus Deus
„Pater (inquit) Verbi viventis... Unus Dominus solus ex solo,
„Deus de Deo, Filius veras veri Patris. . Unus Spiritus Sanc-
„tus ex Deo ortum, et existentiam habens... Trinitas perfecta,
„quæ gloria, atque æternitate, et regno non dividitur, neque
„abalienatur." Hanc confessionem genuinam non esse, quia nullam de ea mentionem aliqui fecerunt, jure merito non potest inferri. Hac de re nunc non est locus disputandi: hoc unum tantum superaddimus, quod ab unoquoque magni fieri debet, videlicet S. Gregorium Nyssenum in vita illius prædictam confessionem non solum uti genuinam admittere, sed etiam testari,

(a) In epist. Eccl. Smyr. De Mart. Polycarp. num. 14. apud Ruinartium *Acta Mart. sincera.*

autographum ejusdem *sua ætate* in Ecclesia Neocæsariensi adhuc extitisse.

Veniamus ad Latinos. S. Clemens in sua 1. Epist. *ad Chorint.* num. 38. ita de Christo: „Qui quum sit splendor majestatis ejus, tanto major est Angelis, quanto excellentius nomen sortitus est. Ita quippe scriptum est: *Qui facit Angelos „suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.* De Filio autem suo sic dixit Dominus: *Filius meus es tu: ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, „et possessionem tuam terminos terræ.*" In Tertulliano nimis multa loca occurrunt, quæ ostendunt, eum recte sensisse de divinitate Filii, quæque maxima ex parte in sua 9. Dissert. sec. 2. Natalis ab Alexandro collegit. S. Cyprianus in lib. *De Idolorum Vanitate* loquens de Christo inquit: *Hic Deus noster, hic Christus est, qui mediator inter nos hominem induit, quem perduxit ad Patrem.* Alibi quoque Christum appellat *Deum*: et *De Unit. Eccl.* cap. 4. eumdem cum Patre consubstantialitatem prædicat. Arnobius lib. 1. *Cont. Gentiles* ait: *Nihil fraudis habuit in Christo... Deus ille sublimis fuit, Deus vertice ab intima. Deus ab incognitis regnis missus est.* Et paulo ante: *Christus æqualiter bonis, malisque subvenit... hoc enim est proprium Dei veri.* Lactantius lib. 4. *Divin. Instit.* cap. 13. Filium et a Patre genitum, et in virginali utero procreatum dicit, ita ut sit *Deus, et homo*, idque probat ex vaticiniis Prophetarum. Hæc usque de Traditione, quamvis multa alia superaddi ex ea possent.

Quod ergo jam a primis seculis accepimus traditum a Patribus de divinitate Christi, ejusque consubstantialitate cum Patre, contra Arium suo decreto firmavit, atque sanxit Synodus Œcumenica ann. 325. Nicæa habita: nam Patres in symbolo a se condito statuerunt, atque definierunt (a): „Christum esse Filium Dei, genitum ex Patre, unicum, (hoc est de substantia „Patris) Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de „Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per „quem omnia facta sunt." Profecto unusquisque Præsul suæ Ecclesiæ doctrinam ad Concilium attulit; aliunde autem omnes simul congregati in eamdem fidem conspirarunt: ex quibus sane duobus certissimum argumentum eruitur, omnes eo tempore Ecclesias in profitenda Christi divinitate omnino consensisse. Hinc etiam post Synodum Nicænam nunquam destitere Patres opponere Arianis auctoritatem primorum Ecclesiæ Patrum, atque Doctorum. „En igitur (aiebat Athanasius in libro *De Decretis Nicæn. Synod.* num. 27) nos quidem „hanc sententiam (de Verbi divini consubstantialitate) a Pa-

(a) Vid. Euseb. in epist. *ad Cæsarien.* et Socrates *Hist. Eccl.* lib. 1. cap. 8.

„tribus ad Patres transisse demostramus: Vos autem, o novi „Judæi... quos Patres, qui vestris vocabulis faverint, exhibere „potestis? nullum certe prudentem, et sapientem unquam pro„feretis: omnes etiam a vobis abhorrent præter unum diabolum." Verum ipsi Ariani, vel nolentes, confessi sunt, Patrum auctoritatem sibi adversari: quum enim ad dissidia componenda publicam disputationem inter Arianos, atque Catholicos indixisset Theodosius Imperator, atque Arianis proposuisset, utrum in hac lite dirimenda veterum Patrum judicio stare vellent, in id illi consentire noluerunt (a).

Illud nunc superesset, ut solveremus, quæ contra catholicam veritatem opponi solent, desumpta ab ipsis Patribus, quorum modo loca in medium protulimus. Verum sibi adversari Patres etiam Ariani confessi fuerunt: Sociniani autem auctoritate Scripturæ potissimum nituntur, et hac de causa, quæ ex ea proferunt, diligentius expendere voluimus. Aliunde autem et sunt facilis explicationis, quæ contra dogma catholicum accipiuntur ex Patribus, nullaque ambiguitas occurrit in illis eorumdem locis, quæ in confirmationem catholicæ veritatis in medium protulimus, ac, prout fert ratio nostri instituti, hac de re tota satis jam disputasse videmur.

CAPUT OCTAVUM.

De Voce homoùsion.

A... probatis Scriptoribus Græcis *homoùsion* dicitur id, quod est cum altero ejusdem substantiæ, essentiæ, sive naturæ, sicuti Georgius Bullus in *Defens. Fidei Nic.* sect. 2. cap. 1. §. 2. pluribus ostendit. Hoc autem sensu, quem etiam ipsum etymon voce præsefert. Nicæni quoque Patres vocem *homousion* acceperunt. Quum enim dixissent: *Natum de Patre unigenitum*, mox addiderunt hæc verba: *hoc est de substantia Patris*: quod sane his deinde verbis explicarunt: *Deum ex Deo, lumen ex lumine. Deum verum ex Deo vero: natum, non factum*: tandem *homousion, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ*: in quo continentur omnia jam dicta de Filio. Tandem in fine Symboli iterum declarant, quid per vocem *homousion* intelligi velint, dum anathematizant Arianos dicentes: Filium esse ex *alia substantia*, vel *essentia trepton*, hoc est, *convertibilem, aut mutabilem Filium Dei.*

Filium factum *ex non extantibus*, neque genitum ex substantia Patris, vel creatum, Arianorum commentum fuit, sicut

(a) Vid. Sozomenus *Eccl. Hist.* lib. 7. cap. 12., et Socrates lib. 5. cap. 10.

jam vidimus. Damnato igitur hujusmodi errore a Synodo Nicæna, Semiariani, qui verbum quoad omnia simile Patri fatebantur, non vero ejusdem substantiæ, vocem *homoùsion* rejecerunt. Etiam quidam hæretici recentiores criminantur hanc vocem, vel uti provenientem a Valentinianis, vel uti incommodam ad sententiam Catholicorum exprimendam: ita senserunt Christoph. Sandius in *Nucleo Hist. Eccl.* lib. 1. sec. 4. *De Ario*, Stephanus Curcellæus in *Quaternione Dissert.* 1. Dissert., et Joannes Clericus epist. 3. Critica, et in pluribus suæ Bibliothecæ locis. Contra quos omnes sit.

Prop. Nicæni Patres vocem *homoùsion* opportune, atque jure, meritoque Symbolo fidei inseruerunt.

Prob. prop. Hac sane voce subterfugiis Arianorum omnis via præclusa fuit. Rogati enim Ariani, utrum Filium ex Patre genitum faterentur: se fateri dicebant, intelligentes tamen Filium ita esse a Deo, quomodo cetera creata: quæsiti, utrum Filium Dei faterentur esse Deum; uti verum Deum a se haberi eumdem Filium dicebant, verum hoc sensu: *verus est Deus, qui vere factus est Deus*: denique quum arguerentur a Catholicis, quod Filium Dei creaturam dicerent: hanc a se accusationem non sine indignatione repellebant ajentes, Filium Dei non esse creaturam sicut ea, quæ mediate a Deo per Verbum producta fuere, esse tamen creaturam immediate productam. Solam hanc vocem *homoùsion* cum suo errore conciliare nullo modo potuerunt. Hæc ex S. Athanasio in epistola ad Episcopos Africanos apud Theodoretum *Hist. Eccl.* lib. 1. cap. 8. Hinc S. Hilarius lib. *De Synodis* num. 83. „Displicet cuiquam in Synodo Nicæna homousion esse susceptum? Hoc si cui displicet, placeat necesse est, „quod ab Arianis fuit negatum. Negatum enim ideireo est homousion, ne ex substantia Dei Patris Deus Filius natus, sed „secundum creaturas ex nihilo conditos prædicaretur. Nihil novum loquimur, pluribus edita litteris ipsa Arianorum perfidia „sibi testis est. Si propter negantium impietatem pia tum fuit „intelligentia confitentium; quæro, cur hodie convellatur, quod „tam pie susceptum est, quia impie negabatur." Quare in lib. *Cont. Constantium* num. 25. affirmat homousion esse *antiquitatis fidem, et pietatem securitatis*: Lib. 4. num. 7. *De Trinit. ad maximam fidei securitatem usurpatum* dicit. Ante ipsum vero Athanasius in lib. *De Decret. Syn. Nicænæ* num. 20. adverterat, Patres Nicænos, ut fraude Eusebianorum nemo caperetur, et simulationem eorumdem detegere unusquisque facile posset, coactos fuisse, „quæ antea dixerant, clarioribus verbis sig„nificare, ac denique scribere, Filium Patri esse consubstantia„lem, ut significarent, Filium non tantum similem, sed eam„dem rem similitudine esse cum Patre." Unde et Basilius epist. 52. num. 2., alias epist. 300., „et quia (inquit) Filium ex ni-

„ hilo productum, adhuc tunc erant, qui dicerent, ut hanc quo-„ que præciderent impietatem, consubstantiale usurparunt." Et quemadmodum Ambrosius lib. 3. *De Fide* cap. 15. num. 125. *ut tamquam evaginato ab ipsis gladio, ipsorum nefandæ hæresis caput amputarent.* Ex his autem omnibus, quod nunc volumus, unicuique perspectum esse debere, arbitramur.

Dices. Plura sane occurrunt, propter quæ Nicæni Patres a voce *homoùsion* abstinere debuisse videntur: 1. In sacris litteris nulla ejusdem mentio fit: 2. Non solum apud veteres eamdem non legimus, sed etiam inter Patres Nicænos non defuit, sicuti Hosius, qui, peracta synodo, rationem ejus nullam esse habendam censuit: 3. Quum antea in Concilio Antiocheno hujusmodi vocem contra Samosatenum reprobatam fuisse legamus, æquum non videtur, ut a Nicænis Patribus Symbolo fidei superadderetur.

R. ad 1. Cum Athanasio in epist. *ad Afros Episcopos* num. 6. „ porro quod effutiunt illi, eas voces in Scriptura non esse, „ vanum ab ipsis commonstratur: quum ex non scriptis impie-„ tatem proferant: nusquam enim hæc scripta sunt: *ex non exs-„ tantibus*, et illud: *aliquando non erat*, se tamen ex non „ scriptis, licet pie excogitatis verbis, damnatos queruntur." Ita deinde prosequitur: „ Episcopi vero nequaquam voces illas „ excogitarunt, sed Patrum testimonio freti ita scripserunt. Si-„ quidem prisci Episcopi ante annos prope centum triginta tum „ magnæ Romæ, tum etiam nostræ urbis, scriptis suis eos cul-„ paverunt, qui Filium rem factam, et Patri non consubstan-„ tialem dicerent." Tandem in lib. *De Decretis Syn. Nicæn.* num. 21. advertit, in Scriptura non legi quidem illam vocem, legi tamen quod per eamdem significatur.

R. ad 2. Quod dicitur de veteribus, modo solutum esse a nobis S. Athanasii testimonio. Ad id vero, quod de Hosio superadditur, cum S. Hilario lib. *De Synodis* num. 91. dicimus, quod *interpretati Patres nostri sunt post synodum Nicænam Homousii proprietatem religiose: extant libri: manet conscientia.* Respondens autem hac ratione iis, qui opponebant, nonnullos ex illis, qui synodo interfuerant, de homousion tacendum statuisse, ante prædicta verba num. 87. hæc habet: „ oro vos, „ ne quisquam alius ex his præter senem Hosium, et ipsum il-„ lum nimium sepulchri sui amantem, reperiatur, qui tacen-„ dum esse existimet de utroque." Hoc est, de *Homousio* et de *Homæusio*.

R. ad 3. Cum S. Athanasio lib. *De Synodis* num. 25. quod „ etsi amborum Synodorum Patres diverse de consubstantiali „ mentionem fecerint, nullatenus tamen ab illis dissidere debe-„ mus... Qui enim Samosatensem deposuere, vocem consubstan-„ tialis corporali accepere modo, quum Paulus argumentari vel-„ let, et diceret, si Christus non ex homine Deus factus est:

„ ergo est consubstantialis Patri, atque hinc necesse est, tres „ esse substantias: unam priorem, duas vero ex illa procedentes. Ideoque illud Pauli sophisma jure caventes, dixere Christum non esse consubstantialem... qui autem Arianam hæresim „ anathemate damnarunt.... agnoscentes Verbum non creaturam, „ sed prolem ex substantia esse... Filium consubstantialem dixerunt. Et sicut, ut supra dixi, nemo Apostolum culpaverit, „ quod de lege Romanis hoc modo, Hæbreis alio scripserit; sic „ nec præsentis temporis homines priscos illos criminati fuerint, „ si eorum considerent interpretationem (a)."

CAPUT NONUM.

De fide divinitatis Jesu Christi necessarrio requisita ad æternam salutem.

Utrum divinitas Jesu Christi *ad Salutem scitu, ac creditu necessaria sit, iisque, qui illam negant, anathema dicendum sit, in suis Theologicis Instit.* lib. 4. sect. 2. cap. 34. Simon Episcopius, Arminianorum fortasse primus, inquirit, atque non esse necessarium, pluribus conatur ostendere. Episcopium sequuti sunt Curcellæus, Grotius, Clericus, aliique, quos Gazaniga, prout solet, erudite commemorat (b). Episcopium Bullus refutavit in *Judicio Eccl. Cathol. trium prim. secul. de necessit. credendi, quod Dominus noster J. C. sit verus Deus.* Catholicam nos sententiam tuebimur contra Arminianos 1. auctoritate Scripturæ: 2. Sanctorum Patrum primorum seculorum: 3. ejus judicii, quod Ecclesia tulit de illis, qui divinitatem Christi negarunt.

Prop. Divinitas Jesu Christi est dogma fidei, quod unusquisque credere, ac firmissime tenere debet, si æternam salutem consequi velit.

Prob. prop. Christus *Joan.* 9. 35. a cæco nato exegit in se fidem, sicuti in Filium Dei. Cap. 10. 33. et 37. ad sua opera provocavit Judæos credere renuentes, se esse unum cum Patre. Cap. 11. 26. affirmavit, eum, qui credit in se, nunquam esse moriturum. Cap. 14. 1. monuit audientes se, ut sicut in Deum, in se quoque crederent. Cap. 16. 8. mundum de peccato arguendum esse, prædicit, quia in se non crediderunt. Tandem, ut alia omittamus, Joannes cap. 21. 31. *hæc autem* (inquit) *scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Christus ergo fidem

(a) De hoc Hist. capite legatur Maranus *De Divinit. Dom. N. Jesu Christi* lib. 4. cap. 19.

(b) Disert. *De Trinit.* cap. 3. nota *a*. Vid. etiam Bullus in *Præmonit.* ad opus, quod modo citabimus.

in se, uti in Filium Dei, et unum cum Patre exegit ab omnibus, ut in æternum vitam haberent: se audientes monuit, ut in se non aliter, ac in Patrem, crederent: comminatus fuit, eos omnes judicandos de peccato, qui in se non crediderint, superadditque, quæ scripta sunt, ideo scripta fuisse, ut omnes crederent, Jesum Christum esse Filium Dei, et hoc credendo vitam æternam haberent in nomine ipsius. Est ergo exploratum ex sacris litteris, divinitatem Christi esse dogma fidei, quod unusquisque credere firmissime debet, ut salutem æternam consequatur.

Illud quidem reponit Episcopius *Instit. Theol.* lib. 4. sect. 2. cap. 34. his Scripturæ locis non evinci, quod volumus, quia Christus non tantum secundum eum sensum, quem tuemur, dici potest Filius Dei, sed etiam secundum alios. At vero dici Christum Filium Dei eo sensu, quo nos propugnamus, et jam multis supra ostendimus, et hæc quoque loca probant, quæ nunc in medium protulimus. Refutata quoque sunt a nobis, quando Filii divinitatem ex sacris litteris supra comprobavimus, quæ in hanc rem affert Episcopius pro 2. argumento suæ assertionis.

Probatur eadem propositio etiam auctoritate Patrum. S. Ignatius Martyr in epist. ad *Ephesios* num. 9. et seqq. hanc catholicam veritatem auctoritate divinarum scripturarum inculcat. S. Irenæus lib. 3. *Cont. Hæreses* cap. 19. num. 1. affirmat, eos, qui tenent, Christum esse purum hominem, *privari munere, quod est vita æterna.* Tertullianus *De Præscript.* cap. 13. *inter regulas fidei* dogma quoque divinitatis Christi recenset. Dionysius Romanus Pontifex in epist. adversus Sabellianos apud 13. Athanasium *De Decretis Synod. Nicæn.* num. 18. affirmat, *non levem, sed summam impietatem esse, Dominum manufactum dicere*, et vocat *præcipites, et temerarios* homines, qui Filium Dei primogenitum *factum* dicunt. Verum hæc sufficiunt quoad Patres; de eorum enim sententia magis magisque constabit ex judicio Ecclesiæ, de quo nunc sumus acturi.

Prob. ergo nostra propositio ex hoc judicio, ex quo illud evinci contendimus, etiam primis seculis neminem negasse divinitatem Christi, quin ab Ecclesia habitus fuerit ut hæreticus, contra ac affirmat Episcopius *Instit Theol.* lib. 4. sect. 2. cap. 34. in quo tradit, in primitivis Ecclesiis saltem per tria secula divinam *Filiationem ad salutem scitu, et creditu necessariam judicatam non fuisse.*

Seculo I. Cerinthus, et Ebion nobis occurrunt: ille Jesum Christum esse purum hominem dicebat, iste a Christo separabat Jesum, quem purum hominem fuisse, comminiscebatur. Statim vero Ecclesia Apostolica loco manifestæ blasphemiæ habuit,

Jesum dici purum hominem, non vero Filium Dei genitum a Patre ante omnia secula: nam ex Hieronymo *Cathal. Script. Eccles.* in *Joanne* novimus, Joannem rogatum ab Episcopis Asiæ scripsisse Evangelium *adversus Cerinthum, aliosque hæreticos, et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens.* S. Joannem scripsisse contra Cerinthum tradit etiam S. Irenæus *Cont. Hæreses.* lib. 3. cap. 11. num. 1.

Seculo II. quidam Theodotus, patria Byzantinus, ab arte, quam exercebat, Coriarius vocatus, impium dogma Ebionitarum defendere ausus fuit, de quo mentionem faciunt et Tertullianus *De Præscript.* cap. 53., et S. Augustinus *De Hæresibus* num. 33. Anathemate autem perculsus ille fuit a Victore Romano Pontifice, sicuti apud Eusebium legitur *Hist. Eccl.* lib. 5. cap. 28.

Non longe ab initio seculi III. quidam Artemon, seu Artemas hæresis Theodotianæ instaurator extitit. At Patres Concilii Antiocheni a sua eum communione separarunt, sicuti legitur in illorum epistola Synodica apud Eusebium lib. 7. *Hist. Eccles.* cap. 30. Etiam Paulus Samosatenus ob eumdem errorem *Ab universa, quæ sub cælo est, Ecclesia catholica eliminatus fuit*, sicuti apud eumdem Eusebium legimus lib. 7. *Hist. Eccles.* cap. 29.

Ad hæc non est, cur alia superaddamus, quum non multo post in Concilio Nicæno hæresis Ariana communi consensu Patrum proscripta fuerit, semperque, uti inquit S. Augustinus in *Joan.* cap. 8. *Tract.* 37. num. 6., *De portu Ecclesiæ projecti* fuerint, utpote *naufragantes a fide*, qui inter alios errores hunc quoque tenuerunt, videlicet, Christum aut *Diversæ substantiæ esse, quam Pater.... aut non Deum factum hominem.* Nunc aliqua eorum, et quidem præcipua, solvenda nobis proponamus, quæ Episcopius in suis *Instit. Theol.* lib. 4. sect. 2. cap. 34. pro se in medium adducit.

Dices. Si quæ hujus rei evidentia testimonia esse possunt, symbola sane esse debent: sed ex symbolis priorum seculorum non constat de necessitate fidei respectu divinitatis Jesu Christi: ergo, fides Jesu Christi non requiritur ad salutem. Prob. min. Symbolum, quod ab ipsis temporibus Apostolorum in usu erat apud Ecclesias, dum baptisma administraretur, est hujusmodi: *Credo in Deum, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum.* Duo alia symbola, unum apud Irenæum lib. 6. *Cont. Hæres.* cap. 10., alterum apud Tertullianum *De Præscript.* cap. 13. et *De Velandis Virgin.* cap. 1., non continent professionem divinitatis Filii: nam Tertullianus cit. loco *De Præscript.* dicit, regulam Fidei esse: *Qua creditur, unum omnium Deum esse, et Verbum Filium ejus appellatum.* Irenæus autem pariter in cit. loco ait. „Eam fidem acceptam ab Apostolis: quæ est in „unum Deum Patrem Omnipotentem.... et in unum Jesum

„ Christum Filium Dei.... et in Spiritum Sanctum." Tandem ipsum Symbolum Apostolorum nullam singularem mentionem facit divinæ Filiationis: hæc enim tantum habet: „Credo et in „ Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum."

R. 1. esse jam perspectum ex iis omnibus, quæ supra disseruimus, semper Ecclesiam intellexisse, atque docuisse in filiatione divina esse et divinitatem, et consubstantialitatem cum Patre. Deinde advertimus, vetustissimum symbolum paucissimis illis verbis fuisse comprehensum, neque ipsum Episcopium aliquo genere monumentorum ostendere. Ulterius id prætermitti non debet, vocem *Deus* tam ad Patrem referri, quam ad Filium, et Spiritum S. Hinc Tertullianus *Advers. Praxeam* cap. 13. exponens fidem communem Christianorum de tribus personis divinis, inquit; *Et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus Sanctus Deus, et Deus unusquisque.*

S. Irenæus lib. 1. *Cont. Hæres.* cap. 10. num. 1. illud ante omnia tradit, unam, et eamdem esse fidem totius Ecclesiæ in Deum Patrem, Jesum Christum Filium Dei, et Spiritum Sanctum. Ut hic non moneamus, Jesum Christum ab eo vocari Filium Dei, hæc alia attendenda dicimus, quæ Irenæus ad explicandam Filii divinitatem superaddit, videlicet credi ab Ecclesia catholica: *E cælo in gloria Patris adventum ipsius* (Jesu Christi) *ad instauranda omnia.* In fine autem num. 2. hæc quidem habet Irenæus: „Nam quum una, et eadem fides sit, nec qui de ea „uberrimam orationem habere potest, exuberat, nec qui pau„ca habet, quæ dicat, imminuit." Verum ex his colligitur, non quod Episcopius vellet, hoc est, nihil quoad divinitatem Christi superaddendum fidei Ecclesiæ (id enim et nos fatemur, volumus tamen in fide Ecclesiæ etiam Christi divinitatem semper fuisse contentam, contra ac ille falso supponit) sed unam semper eamdem Ecclesiæ fidem esse, licet aut pluribus, aut paucioribus ea verbis exponatur, hoc sane esse, quod Irenæus voluit.

Tertullianus in lib. *De Præscript.* cap. 13. inter alia dicit, esse regulam fidei credere Verbum Dei appellatum Filium *illius*, atque divina virtute factum carnem in utero Virginis. Similiter *De Velandis Virg.* cap. 1. Christum esse Filium Dei, habet pro fidei regula, quam unam, immobilem, et irreformabilem dicit. Quid vero ex eo consequatur, quod Verbum sit Filius Dei, quod Christus sit Dei Filius, non explicat Tertullianus: tamen consequi ex divina filiatione, ut Filius Dei sit Deus, atque consubstantialis Patri, constat ex iis, quæ nos supra disseruimus.

Ad ultimum, quod opponit Episcopius ex symbolo Apostolorum, dicimus, non esse attendendas sententias hæreticorum in explicatione ejus, sed sensum, quo ante hæreticos illud accepit Romana Ecclesia hæres institutionis Apostolorum, et nixa auctoritate divini verbi tum scripti, tum traditi contra insurgen-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tes hæreses declaravit. Apposite ad rem nostram faciunt, quæ habet Cyprianus in epist. ad *Jubajanum* explicans illa verba: *Baptizantes eos etc.*, quoniam Episcopus formam quoque in baptismate conferendo præscriptam a Christo nobis opponit: „Insinuat (inquit) Trinitatem, cujus Sacramento gentes baptizarentur. Nunquid hanc Trinitatem Marcion tenet?.. nunquid eumdem novit Filium Christum de Maria Virgine natum, qui setmo caro factus sit?.. Longe alia est apud Marcionem, sed et apud ceteros hæreticos fides. Immo nihil est apud illos, nisi perfidia, et contentio sanctitatis, et veritatis inimica."

Adverti tamen illud debet in symbolo Apostolorum, fidem in Deum Patrem, et in Filium ejus unicum, qui dominus noster dicitur, ante omnia nobis proponi. Quæ vero sequuntur, non sunt adjecta, ut qualis sit ille Filius explicaretur, sed ut palam fieret, quid ille Filius Dei pro nobis fecerit.

Dices II. Sicuti legitur in Dialogo Justini cum Tryphone num. 48. ipse Trypho Justino reposuit, duo sane sibi credibilia non esse, videlicet: „Præextitisse Deum ante secula hunc Christum, „ac deinde nasci hominem factum sustinuisse, nec hominem ex „hominibus esse." Ad hæc Justinus respondet, constare semper *hunc esse Christum Dei*, etsi ipse demonstrare non possit, eumdem *etiam præextitisse Filium creatoris universorum, Deum existentem, et hominem ex Virgine genitum* (a). Ex his vero Episcopius tria colligit: 1. Sensisse Justinum, pro Messia Christum haberi posse, licet negetur, eum esse Dei Filium: 2. Errare quidem illum, qui Jesum diceret hominem purum, non tamen recedere ab ea fide in Christum, sive in Messiam, in qua Justinus *Cardinem Christianismi* reposuit: 3. Judæo sufficere, ut quis illi ostendat, Jesum esse Christum, sive Messiam, *Etiamsi nesciat, aut neget, aut probare non possit, Jesum Filium Dei præextitisse.*

R. ad hæc, Tryphonem dicentem illa duo sibi esse incredibilia a Justino inde primo loco refelli, quia ipse cum suis aliis non quæ Dei sunt, intelligere, et facere voluit, sed quæ magistrorum suorum. Superaddit vero, semper firmum stare debere, sicuti ipse jam ostenderat, Jesum esse *Christum Dei*, etsi non posset evincere, illum *etiam præextitisse Filium creatoris universorum, Deum præexistentem.* Agebat ergo S. Justinus cum obstinatis Judæis, qui sæpe negabant, quod antea concesserant,

(a) S. Justini auctoritatem Remonstrantes opponunt in sua *Apolog. adv. quatuor Professores Leydenses*, a quibus confutata fuit in lib., cui titulus: *Specimen Calumniarum etc.* Huic vero operi respondit Episcopius, et omnia, quæ hac de re alibi habet, ad hanc responsionem revocat.

aut saltem negare non potuerant, sicuti num. 68. iisdem exprobrat. Quare quum rogatu Tryphonis divinitatem Christi demonstrare aggrederetur, ipsum prudenter monuit, ne negaret, Jesum esse Christum Dei, quod contra Judæos putantes Messiam futurum puram hominem, Justinus jam demonstraverat, ne negaret, inquam, quamvis ipse rem non perficeret, quod aggrediebatur. Hujusmodi ergo rationem Justinus cum Tryphone servavit, ut sine interpellatione induceret ad fidem in Christum Deum, non vero ab hac fide illum eximeret. Hujus autem rei evidens argumentum inde ducitur, quia Justinus in eo Dialogo plenissime exequitur, quod promiserat, et multiplici testimonio Scripturarum veteris Testamenti ostendit, Christum esse Deum, non omissa confutatione illorum, quæ Trypho contra reponebat. Quo peracto, num. 137. Judæos hortatur ad resipiscendum, atque num. 140. eosdem monet, suam salutem frustra reponere in eo, quod Filii sint Abrahæ. Ex his autem de falsitate conjecturarum ipsius Episcopii constat.

Verum Episcopius contra insurgit, atque opponit, in eodem Dialogo num. 48. Justinum ad Tryphonem hæc habere: videlicet *quosdam amicos ex genere nostro*, hoc est, ex eo cœtu, ad quem etiam Justinus ipse pertinebat, Jesum Christum esse, confiteri quidem, licet cum, *Hominem ex hominibus genitum pronuntient*. His autem verbis Justinus una cum prædictis communionem se habere testatur, quia amicos *ex genere nostro* eosdem vocat: fidem ergo in divinitatem Christi Justinus non putavit esse necessariam.

R. mendum irrepsisse in loco S. Justini, legendumque propterea esse, non: *Ex genere nostro*, sed *Ex vestra gente*, Bullus in *Judicio Eccl. Cathol. de necessit. etc.* cap. 7. §. 6. pluribus conjecturis, et iis quidem valde probabilibus, conatus fuit ostendere: verum non est, cur huc confugiamus. S. Justinus igitur hoc in eodem Dialogo cum Tryphone num. 35. *ad communionem* eos negat admitti, qui licet Jesum esse *Christum, et Dominum* agnoscerent, tamen non illius, *Sed spirituum erroris doctrinas tenerent*. Tales autem esse dicit, *partim Marcionitas, partim Valentinianos, Basilidianos, Saturnilianos*. Profecto istos affirmat solo nomine esse Christianos, a communione tamen repellendos, quia non Christi, *Sed Spirituum erroris doctrinas tenebant*. Idem quoque de illis affirmat, quos *ex nostro genere* fuisse hoc in loco dicit: nam iisdem se nunquam assensurum affirmat, licet maxima pars, quæ secum sentiebat, iisdem assentiretur, quia inquit (num. 48.) *Non humanis doctrinis jussi sumus a Christo credere, sed iis, quæ a Beatis Prophetis prædicata, et ab ipso tradita*. Isti ergo hæretici non Christi, et Prophetarum, sed spirituum erroris non doctrinas secuti, ac illi priores, sequebantur, indeque heri non potuit,

ut Justinus istos ad communionem recipiendos, illos autem excludendos putaverit. His ergo verbis *ex genere nostro* Justinus significare voluit eos, de quibus loquebatur, aliqua secum communione unitos, videlicet in nomine christiano, qua etiam communione Judæi, cum quibus loquebatur Justinus, ab eo sejuncti erant.

Nec movere quempiam debet, Justinum dicere, se non assentiri iis, quos *ex suo genere* esse affirmabat, immo nunquam assensurum, licet maxima pars, quæ secum sentiebat, iisdem assentiretur. Quandoquidem id nunc a nobis advertatur oportet, quod se non assentiri eis, Justinus eo sensu non affirmavit, quasi de re quadam ageretur, cui consensus æque præstari, vel non præstari posset, quia statim superaddidit, *Quod non humanis litteris jussi sumus a Christo etc.*

Dixit vero idem Justinus, maximam partem sibi consentire, quia non solum Ecclesia Catholica, sed etiam plures sectæ hæreticorum in confitenda divinitate Christi consentiebant, sicuti inter alias Ebionitæ, licet in aliis, et præcipue in confitenda vera carne Christi vehementer errarent (a).

LIBER NONUS.

De tertia persona SS. Trinitatis, videlicet Spiritu Sancto.

Spiritus Sancti divinitas, et processio illius etiam a Filio, sunt duo gravissima capita doctrinæ catholicæ, de quibus in hoc libro disputabimus: de priori quidem contra Macedonianos, et Socinianos, de altero contra Græcos schismaticos, et hæreticos. Prius tamen nonnulla præmittemus, quæ respiciunt nomen Spiritus Sancti, postea vero, explicatis, et demonstratis iis, quæ respiciunt veritatem personæ Spiritus Sancti, divinitatem illius, et processionem non minus a Patre, quam a Filio, agemus de particula *Filioque* superaddita, et de necessitate credendi Spiritum Sanctum non minus a Filio, quam a Patre procedere. Unde 8. cap. totam disputationem absolvemus: in 1. disseremus de iis nominibus, quæ Spiritui Sancto singulariter tribuuntur: in 2. De Spiritu Sancto, quatenus est vera, et proprie dicta persona: in 3. quatenus est Deus Patri, Filioque consubstantialis, habita ratione divini verbi scripti: in 4. de eadem consubstantialitate, habita ratione divini verbi traditi: in 5. de processione illius a Filio, sicut a Patre: in 6. de necessitate

(a) Hoc de doctrinæ cap. inter cæteros videatur Bullus *in Judicio Cath. Eccl. etc.* cap. 7., et Maranus *De Divinit. J. C. lib. 4.* cap. 5.

processionis illius a Filio, ut ipse ab eodem Filio distinguatur: in 7. de eadem processione a Patre, et Filio sub ratione unici principii: in 8. de particula *Filioque* addita symbolo Constantinopolitano: in 9. de necessitate credendi Spiritum Sanctum non minus a Filio procedere, quam a Patre.

CAPUT PRIMUM.

De nominibus, quæ tertiæ personæ SS. Trinitatis singulariter tribuuntur.

Tertia persona SS. Trinitatis Spiritus Sanctus singulariter vocatur, sicuti novimus etiam ex sacris litteris. Vocatur, inquam, singulariter, non quidem naturæ habita ratione, sed ineffabilis spirationis, qua procedit a Patre, et Filio. Quemadmodum enim S. Augustinus lib. 5. *De Trinit.* num. 12. advertit, et Pater est Spiritus, et Filius est Spiritus, et Pater Sanctus, et Filius Sanctus: tamen quia tertia persona „Ineffabilis est quædam Pa„tris, Filiique communio; ideo fortasse sic appellatur, quia „Patri, et Filio potest eadem appellatio convenire:" atque ita quod istis *communiter*, illi *proprie* tribuitur.

Vocatur etiam *Donum*, in quo nomine, sicuti S. Augustinus in citato loco monet, sese prodit ipsa relatio, quia dicitur Spiritus Sanctus donum Patris, et Filii, a quibus procedit, ac propterea secundum quamdam rationem singularem.

Appellatur quoque caritas, quia Spiritus Sanctus, tamquam amor, procedit ex voluntate Patris, et Filii.

Dicitur et Paracletus, propterea quod, quum Christus in cælum ascendisset, Spiritus divinus, uti consolator, descendit super Apostolos mœstitia repletos.

Demum, ut alia diversa nomina omittamus, quia ab illo donum sapientiæ diffunditur super homines, sapientia sæpius appellatur.

Prop. 1. Nomina Spiritus Sancti, Doni, Caritatis, atque Paracleti *proprie* tribuuntur tertiæ personæ SS. Trinitatis.

Prob. 1. pars. Illud nomen tertiæ personæ SS. Trinitatis proprie convenit, quod illi tribuitur in sacris litteris ad eamdem singulariter designandam, et distinguendam ab aliis duabus Personis: sed hujusmodi est nomen Spiritus Sancti: ergo. Prob. min. *Matt.* 28. 19. hæc leguntur: *Euntes docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Et 1. *Joan.* 5. 7. *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt:* ergo. Sicut autem monet S. Augustinus in cit. lib. 5. *De Trinit.* num. 12. relative quidem hoc nomen de Spiritu Sancto dicitur, quia Spiritus Sanctus et Patris, et Filii est Spiritus, tamen ipsa relatio *non apparet in nomine.*

Prob. altera pars. Eamdem pluribus Scripturæ locis S. Augustinus ostendit lib. 15. *De Trinit.* num. 33. et 34., atque in hoc altero ita habet: „Paulus quoque Apostolus *Ephes.* 4. 7. „*unicuique*, inquit, *nostrum datur gratia secundum mensuram* „*donationis Christi.* Atque ut donatio Christi Spiritum Sanc„tum ostenderet, sequutus adjunxit (vers. 8.): *Propter* quod „dicit: *captivavit captivitatem, dedit dona hominibus.* Notissi„mum est autem, Dominum Jesum, quum post resurrectionem „a mortuis ascendisset in cælum, dedisse Spiritum Sanctum, „quo impleti, qui crediderant, linguis omnium gentium loque„bantur." Hæc ille, qui etiam advertit, dixisse *dona*, non donum, quia *testimonium de Psalmo posuit.*

Rationem autem relativi, quæ in nomine Spiritus Sancti non exprimitur, exprimi in nomine doni, affirmat idem S. Doctor lib. 5. *De Trinit.* num. 12., quia tertia persona SS. Trinitatis est donum Patris, et Filii, quatenus ab utroque procedit.

Prob. 3. pars. S. Augustinus lib. 15. *De Trinit.* num. 27. expendens, quomodo Spiritus Sanctus dicatur caritas, animadvertit, Joannem nomine caritatis non donum Dei, sed substantiam intelligere voluisse, quando in epist. I. 4. 16. dixit: *Deus caritas est.* Num. 28. inquirit, quænam ex tribus personis divinis, an vero tota Trinitas dicenda sit caritas: simul omnes tres personas divinas esse unam caritatem statuit. Subinde autem num. 30. pluribus exemplis ostendit, *vocabula et universaliter poni, et proprie quibusdam rebus adhiberi.* Unde num. 31. ita colligit: „Sicut ergo unicum Dei Verbum proprie voca„mus nomine sapientiæ, quum sit universaliter et Pater, et „Spiritus Sanctus ipsa sapientia: ita Spiritus Sanctus pro„prie nuncupatur vocabulo caritatis, quum sit universaliter cari„tas et Pater, et Filius."

Prob. 4. pars. *Joan.* 14. 26. hæc legimus: „Paraclitus au„tem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille „vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque di„xero vobis." Cap. 15. 26. „Quum autem venerit Paraclitus, „quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a „Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me." Non est sane, cur alia in hanc rem ex sacris litteris depromamus: ista enim tam evidenter ostendunt, Paracliti nomen tertiæ personæ SS. Trinitatis proprium esse, ut nullum reliquant dubitandi locum. Paraclitus enim ea persona dicitur, quæ distinguitur a Patre, et ab eodem mitti, et procedere dicitur, quæque etiam a Filio distinguitur, cui futurum esse affirmatur, ut perhibeat testimonium.

Prop. 11. Tertia persona SS. Trinitatis dicitur *Sapientia* non proprie, sed habita ratione doni sapientiæ, quod ab ea diffunditur super homines.

Prob. prop. auctoritate Patrum. Licet enim hoc nomen Filio vulgo tribuatur; tamen Patres etiam Spiritui S. quandoque tribuerunt, uti legere est apud S. Theophilum Antiochenum lib. 1. ad Autolycum num. 7. S. Irenæum lib. 7. *Cont. Hæreses* cap. 17. num. 7. Originem lib. 6. *Cont. Celsum* num. 10. Quatenus ergo sapientia est donum, quod a Spiritu Sancto nobis communicatur, idem ipse Spiritus sapientiæ nomine metonimyce vocatur.

CAPUT SECUNDUM.

De Spiritu Sancto, quatenus est vera, et proprie dicta persona.

Contra hæresim Pneumatomachorum, qui oppugnarunt Spiritus Sancti divinitatem, nunc agere instituimus. Macedonius circa annum 359. ejusdem auctor fuit: a sede ergo Constantinopolitana, quam malo dolo occupaverat, ipse ejectus bellum indixit divinitati Spiritus Sancti, quem esse creaturam, seu ministrum Dei, ipso Deo longe inferiorem, propugnavit. Ab eodem hæc secta suum nomen accepit, licet ante illum non defuerint, qui hunc errorem defenderint. Non omnium Macedonianorum fuit unus, atque idem error: „ Nostræ ætatis sapientes (inquit S. Gregorius Nazianz. loquens de eis Orat. 37) partim vim quamdam, et facultatem ipsum (Spiritum Sanctum) „ existimarunt, partim creaturam, partim Deum, partim, utro „ potius nomine vocandus esset, minime certum, et exploratum „ habuerunt."

Errorem Macedonianorum adoptarunt Sociniani, qui, sicut legenti Sandii Bibliothecam Anti Trinitariorum constabit, non secus, ac illi, non unius, ejusdemque sententiæ fuerunt; aliquibus enim placuit, Spiritum Sanctum esse efficaciam, et energiam Dei ab ipso indistinctam; aliis personam creatam; quibusdam donum; nonnullis aliam rem, sed creatam. Plerique tamen illorum sentiunt, Spiritum Sanctum non esse veram personam subsistentem, sed solummodo efficaciam, atque virtutem Dei.

Prop. Spiritus Sanctus est vera persona, atque per se subsistens.

Prob. 1. prop. ex vera, et distincta ratione personæ, quæ in Scriptura tam Patri, et Filio, quam Spiritui Sancto æque tribuitur. *Matt.* 3. 16. et seq., sicut etiam in aliis duobus Evangelistis Marco, et Luca, legitur, in Christi baptismate Spiritum Sanctum corporali specie, sicut columbam, super eum descendisse, et mansisse, paternamque vocem auditam, qua dicebatur: *Hic est Filius meus dilectus.* Sicut ergo vox ipsa Patris distinctam personam, Christus baptizatus, et voce Patris mani-

festatus Filius illius, distinctam personam; ita etiam descensio Spiritus Sancti corporali specie, sicut columba, quia non dona, sed personæ formas corporales assumunt, et apparent in eis, distinctam profecto personam designat. Eo vel maxime quia sicut in nomine Patris, et Filii, ita etiam in nomine Spiritus Sancti, ut baptisma conferretur, præcepit Christus *Matt.* 28. 19. Item I. *Joan.* 5. 7., qui testimonium dant in cælo, tres esse dicuntur, videlicet Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: sed nomine Patris, et Filii distincta singillatim persona intelligitur: ergo etiam nomine Spiritus Sancti.

Prop. 2. Ex propriis personarum actionibus, quæ in Scriptura etiam Spiritui Sancto tribuuntur. 1. Solius personæ est loqui etiam per alios, sicuti per instrumentum: *Matt.* 10. 19. et 20. *Quum tradent vos* (inquit Christus) *nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini... non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*: 2. Est docere: *Joan.* 16. 13. *docebit vos omnem veritatem*: 3. Est dicere testimonium: *Joann.* 15. 26. *ille testimonium perhibebit de me*: 4. Est revelare futura: *Joan.* 16. 13. *quæ ventura sunt, annuntiabit vobis*: 5. Est intelligere, et scrutari profunda Dei: I. *Corint.* 2. 10. *Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei*: 6. Est assumere aliquos ad regendam Ecclesiam Dei: *Actor.* 20. 28. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos*: 7. Est largiri dona spiritualia pro arbitrio suæ voluntatis: I. *Corint.* 12. 11. *hæc autem omnia* (inquit Apostolus, recensitis variis generibus gratiarum) *operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.*

Prob. 3. Ex distinctione Spiritus Sancti a donis spiritualibus, quorum tamen fons, auctor, causa, atque principium ponitur esse Spiritus Sanctus. Quum ergo dona nomine Spiritus Sancti aliquando designentur, ne ullus errori locus esse posset, Spiritus ab iisdem donis frequenter secernitur. *Lucæ* 4. 14. *Et regressus est Jesus in virtute Spiritus Sancti. Act.* 1. 8. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos.* I. *Corint.* 12. 4. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* Profecto hæc omnia simul unita, nemo non videt, ad persuadendum maximam efficaciam habere, esse sane personam, in quam illa cadunt: sed in Spiritum Sanctum omnia prædicta cadunt: Ego ipse est vere, et proprie dicta persona.

Quæ Sociniani ab antiquis Macedonianis accepta recoxerint, nunc expendamus. Unde cum Socino (a) ad tollendam vim primæ nostræ argumentationis.

Dices I. *Matt.* 3. 11. hæc leguntur: „Ego quidem baptizo vos aqua: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, et igne." Sed

(a) In *Assert. Theol.* (tom. 2. Bibliot. Frat. Polon.)

id, in quo baptizatur aliquis, non potest esse persona: si ergo Spiritu Sancto baptizamur, ipse non est persona. Neque obstat *Matt.* 28 19. conjungi cum Patre et Filio, qui sunt duæ personæ: nam cum personis etiam res non subsistentes conjunguntur. Hæc enim legimus *Ephes.* 6. 10. *confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus.*

R. nos ad differentiam baptismi Joannis baptizari Spiritu Sancto, quatenus interius sanctificamur per caritatem. Caritas ergo quum diffundatur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, sicuti *Roman.* 5. 5. dicitur, aliundeque res effecta pro persona efficiente quandoque sumatur, inde consequitur etiam ex citato loco recte, colligi Spiritum Sanctum esse personam. *Matt.* autem 28. 19. Spiritus Sanctus non solum conjungitur cum persona Patris, et Filii, sed etiam in nomine, hoc est, in virtute tam Patris, et Filii, quam Spiritus Sancti præcipitur, ut baptisma conferatur, et Joannes in sua epistola sub ternario numero eorum, qui testimonium dant in cælo, tam Patrem, et Filium, quam Spiritum Sanctum complectitur.

Dices II. Cum Socino ad infirmandum illud argumentum, quod desumpsimus ab operibus.

1. Sicut *Marci* 13. 11. Spiritus loqui, ita etiam *Roman.* 3. 19. lex loqui dicitur: *Quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur.* Lex autem non est persona: igitur nec etiam Spiritus Sanctus.

2. Sicut *Joann.* 16. 13. dicitur de Spiritu Sancto: *docebit vos*; ita etiam legitur I. *Corint.* 11. 14. *ipsa natura docet vos.* Et *Joan.* in I. epist. cap. 2. 27. *Unctio ejus docet vos de omnibus.* Sicut ergo non sunt personæ natura, vel unctio, ita neque etiam Spiritus Sanctus.

3. *Lucæ* 2. 25. scriptum quidem est: *Spiritus Sanctus erat super eum*: at esse super aliquem non dicitur de personis, sed de rebus, sicut *Joan.* 3. 36. *ira Dei manet super eum.* Igitur ex citato loco non evincitur, Spiritum Sanctum esse personam.

4. Hoc idem inde non evincitur, quia Spiritus Sanctus, venire dicatur, mitti, procedere, testimonium dare, arguere mundum: nam venire affirmatur regnum Dei *Lucæ* 17. 20., mandatum *Roman.* 7. 9. Item mitti perhibetur auxilium Psal. 19. 3.: misericordiam, et veritatem Psal. 56. 4. Res autem, quæ non subsistunt, dicuntur procedere *Marci* 7. 15.: opera quoque testimonium perhibere *Joan.* 10. 25.: aquam, et sanguinem, I. *Joan.* 5. 8.: a malitia hominem arguit. *Jerem.* 2. 19., et a conscientia *Joan.* 8. 9. Ex his vero constat, opera, quæ Spiritui Sancto tribuuntur, non ostendere, ipsum esse personam.

5. Hoc idem neque etiam inde suadetur, quod Spiritus

Sanctus dicatur Paracletus, et Consolator, quum Psal. 22. 4. hæc habeantur: *Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt.*

6. Ex eo quod virtus, et Spiritus quandoque simul jungantur, non probatur, Spiritum Sanctum esse personam: nam *Roman.* 15. 19. scriptum leginus: *In virtute signorum, et prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti*: Si ergo signa, et prodigia non sunt persona, neque etiam Spiritus Sanctus erit.

R. ad 1., semel ac ponatur, nulla dicta metaphorice occurrere in sacris litteris, nihilque esse in iis, quod sit metaphorice accipiendum, e medio tolli non solum sublimiora Christianæ religionis mysteria, quæ sunt supra rationem, sed ea quoque, quæ de natura Dei evidentissima metaphysicæ principia omnino ostendunt. De re perspicua, atque omnibus manifesta loquimur, quam infinitis propemodum exemplis confirmare possemus, sicuti nemo non novit. Hoc totum præmonendum putavimus, non solum ad solutionem hujusce primæ objectionis, sed etiam aliarum, quæ a Socino fiunt, et asseclis illius, licet ipsi quoque in sacris litteris metaphoram admittant, et etiam plerumque, quando ea admitti non debet.

Quapropter quando lex dicitur loqui, loquutio est metaphorica, sicut etiam imperitus quisque novit: est autem litteralis, atque simplex, quando de Spiritu Sancto idem affirmatur. Sistamus in hac loquutione, de qua nunc agitur. Apostoli *Marc.* 13. 11. moniti fuerunt, ut ducti ante Reges, et Presides non præcogitarent, quid loquerentur, quia futurum erat, ut Spiritus Sanctus loqueretur in eis: Juxta hanc promissionem, sicuti legitur *Act.* 2. 4. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Profecto si Socinus contendat, Spiritum Sanctum Apostolis non fuisse loquutum ea sensibili ratione, qua unus homo loquitur alteri; id illi damus: si autem velit, sicuti revera vult, Spiritum Sanctum loquutum eo modo, quo etiam lex dicitur loqui; id sane vult, quod est manifeste contrarium et promissioni factæ Apostolis, et ipsi facto, habita ratione promissionis: nam et Spiritus loquuturus promittitur, et Apostoli loquuti dicuntur, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.

R. ad 2. Neminem non nosse, solummodo metaphorice legi tribui posse loquutionem: tribui autem debere Spiritui Sancto secundum sensum litteralem, quatenus ei loquutio conveniat, sicuti convenit personæ, præter alia multa ostendunt etiam illæ *Joan.* 16. 13. *Quum autem venerit ille Spiritus, docebit vos omnem veritatem*: et v. 7. *Si enim non abiero, Paraclitus, non veniet ad vos.*

R. ad 3. *Lucæ* 2. 25. dici, Spiritum Sanctum fuisse in eo,

videlicet in Simeone, quia erat *homo justus, et timoratus.* Unde propter dona, quæ receperat a Spiritu Sancto, Spiritus in eo fuisse dicitur, ac propterea etiam ex hoc capite saltem indirecte conficitur, Spiritum esse quid distinctum a donis. Non est autem, cur hic iterum recolamus, Spiritum Sanctum a donis illius sæpe distingui, ne quis errandi occasionem inde possit accipere, quia sub nomine Spiritus etiam dona illius aliquando veniunt.

R. ad 4. Socinum in eodem semper errore versari, indeque ex iis, quæ secundum minus propriam loquendi rationem rebus etiam inanimatis tribuuntur, Spiritum Sanctum non esse personam colligit, quia eadem, quæ illis, isti quoque tributa legimus. Quare juxta ipsum colligi deberet, hominem quoque non existere, quum multa eorum, quæ ipsi proprie tribuuntur, rebus quoque inanimatis tribuantur improprie. Nam ut in re tam manifesta unum tantum exemplum afferamus: prata quoque dicuntur ridere. Improprie autem dici de rebus sensibilibus ea omnia, quæ Socinus tanta diligentia congessit, non est, cur nos modo ostendamus, et in explicatione singulorum ulla sine utilitate immoremur.

R. ad 5., de nostro Paraclito hæc legi *Joan.* 15. 26. *Quum autem venerit Paraclitus, quem ego vobis mittam a Patre... ille testimonium perhibebit de me.* Hic Spiritus, sicuti promiserat Christus, super Apostolos revera descendit: *Seditque supra singulos eorum: et repleti sunt omnes Spiritu Sancto*, sicuti *Actor.* cap. 2. 3. et 4. legitur. In hoc autem capite simul recensentur effectus, qui ad hujusmodi descensum consequuti fuerunt. Hæc autem omnia si personam, et eam quidem talem, quæ sit infinitæ virtutis, non indicant, non video sane, et neminem videre posse arbitror, quænam indicare possint.

R. ad ult., Apostolum in citato loco *ad Roman.* distinguere virtutem signorum, et miraculorum a virtute Spiritus Sancti, quæ ita abundanter operata fuit in cordibus eorum, qui eumdem Paulum audierant, ut ipse dicat (a), se *ab Jerusalem per circuitum neque ad Illyricum replevisse Evangelium Christi.* Virtus enim signorum, atque prodigiorum ad hunc effectum per se non sufficiebat, sed ulterius requirebatur, ut virtus Spiritus Sancti intus corda audientium ad fidem moveret. Unde *Hebr.* 2. 4. dicitur: „contestante Deo signis, et prodigiis, et variis Spiritus „ Sancti distributionibus." Contra Socinum ergo faciunt, quæ ipse pro se in medium adducit.

Dices III. cum Socino (b) illud semper urgente, habita ratione

(a) Eodem loco.

(b) In lib. Cont. Wiekum cap. 10. (tom. 2. Bibl. Frat. Polon.)

actionum, et munerum, quæ illi tribuuntur, non evinci, Spiritum Sanctum esse personam.

Caritati tribuuntur actiones, quæ sunt propriæ personarum, ut constat ex epist. I. *ad Corint.* cap. 13. 4. et seqq. Si autem dicatur, Paulum figurate loqui de caritate, et nomine caritatis indicare illum, qui est præditus caritate, idem et de Spiritu poterit affirmari.

Deinde Spiritus Sanctus dicitur esse Spiritus Dei in sacris litteris: Spiritus autem alicujus personæ non est persona distincta ab ea, cujus est Spiritus, uti constat ex Apostolo I. *Corint.* 2. 12. affirmante Spiritum Dei se accepisse: qui sane Spiritus non fuit distincta persona.

Tandem Spiritus Dei vocatur virtus, efficacia, donum, digitusque Dei, et alia quoque hujusmodi nomina, quæ non cadunt in personam, in sacris litteris illi tribuuntur.

R. ad hæc tria singillatim: sicut ergo nomine caritatis dona illius aliquando intelliguntur, uti in cit. loco I. epist. *ad Corint.*, aliquando autem intelligitur persona, quemadmodum in I. epist. *Joan.* cap. 4. 16. *Deus caritas est*; ita etiam sub nomine Spiritus dona, atque charismata quandoque veniunt, quandoque autem persona significatur, sicuti *Joan.* 4. 24. *Spiritus est Deus*, aliisque multis in locis a nobis supra indicatis. Quare objectio Socini tunc, quam ipse contendit, ad persuadendum efficaciam haberet, quando nomine Spiritus dona quoque illius sæpe designata fuisse negaremus; verum id ultro concedimus; tamen simul volumus, et quidem æquo jure volumus, quum id auctoritate Scripturæ jam confecerimus, Spiritus Sancti nomine veram quoque, realemque personam intelligi debere.

R. ad alterum, eodem modo Spiritum Sanctum dici Spiritum Dei, quo etiam divinus Filius dicitur Filius Dei, quia uterque est Deus: ille per generationem a Deo secundum relationem Paternitatis, iste per spirationem a Patre, et Filio secundum relationem spirationis activæ. Ut sistamus in loco Pauli, quem Socinus pro se in medium adducit: versu præced., hoc est 10., ista leguntur „, nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spi„ritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei." Hic ergo Spiritus Dei scrutari dicitur, quod est proprium personæ: scrutari (inquam) dicitur omnia, etiam profunda Dei: quod sane solius divinæ personæ esse potest.

Spiritum Dei se quidem accepisse, Paulus testatur: verum accepisse dicit adinstar aliorum donorum: *ut sciatis*, ait, *quæ a Deo donata sunt nobis*. Unde Spiritum, quem accepit Paulus, non esse personam, inepte opponitur.

R. ad 3. et nos quoque nunc iterum iterumque fateri, nomine Spiritus quædam dona, et Dei effectus quandoque indicari.

Quare nullius momenti est totum hoc argumenti genus, quod etiam Wolzogenius urget (a).

Illud, quamvis puerile, quod Wolzogenius (b) opponit, superest, ut solvamus: ita ergo ipse argumentatur: si Spiritus Sanctus dicatur esse persona; tunc duo erunt in Trinitate Filii: unus Filius primæ tantum personæ, alter primæ, et secundæ: itemque eadem ratione duo erunt Patres (c).

At vero hujus Disput. lib. 1. cap. 4. jam ostendimus, qua de causa processio Spiritus Sancti dici non debeat generatio. Infra autem in hoc eodem libro evincemus, Spiritum Sanctum a Patre, et Filio procedere, non tamquam a duobus principiis, sed sicut ad unico principio, ideoque non sub ratione generationis, qualis in Deum cadere potest. Quum ergo ab uno tantum Patre sit unicus Filius, propterea que sicut unus est Pater, est quoque unus Filius; ita Spiritus Sanctus quum sit a Patre, et Filio, dici non debet, neque Filius Patris, quia procedit etiam a Filio, sicut ab unico principio simul cum Patre, neque Filius Filii, quia etiam a Patre sub ratione unici principii simul cum Filio procedit.

CAPUT TERTIUM.

De Spiritu Sancto, quatenus est Deus, et Patri, Filioque consubstantialis, habita ratione divini verbi scripti.

Prop. Spiritum Sanctum esse verum Deum, ac Patri, et Filio consubstantialem, constat ex sacris litteris.

Prob. prop. II. *Reg.* 23. 2. hæc habentur: *Spiritus Domini loquutus est per me, et sermo ejus per linguam meam,* seq. versu quis sit hujusmodi Spiritus, ulla sine ambiguitate statim designatur: *Dixit Deus Israel mihi: loquutus fortis Israel.* Et S. Paulus *Act.* 28. 25. per hæc verba: *Bene Spiritus Sanctus loquutus est per Isaiam... dicens: vade et...* ad Spiritum Sanctum refert ista *Isaiæ* 6. 9. *Et dixit Dominus exercituum: vade, et dices populo hnic: audite audientes etc.* quæ sane verba nonnisi de vero Deo intelligi possunt.

Petrus *Actor.* 5. 3. et seq. ita ad Ananiam: „Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?... non

(a) *In Præparat. ad utilem lect. etc.* part. 2. *De tribus in una Deit. Pers.* part. 1. cap. 5. et 28. (tom. 8. dict. Bibl.)

(b) In cit. cap. 28.

(c) Id urget etiam Crellius lib. 1. *De Uno Deo, et Trino* sect. 3. cap. 7. (tom. 4. dict. Bibl.)

„ es mentitus hominibus, sed Deo." Crellius *De Uno Deo Patre* lib. 1. sect. 3. cap. 1. (a) contra testimonium tam evidens hæc duo, quæ sunt nullius momenti, opponit, vid. haec: 1. in Græco legi: *mentiri te Spiritum Sanctum*: 2. mentir. Spiritum Sanctum esse *simulare Spiritum Sanctum*, sicut inter alios Erasmus exposuit. At verbo mentiri tam accusativum, quam dativum in Græco textu promiscue appositum habemus in Scriptura, uti legere est in *Deuteron.* cap. 33. 29. Psalm. 65. 3. *Isai.* 57. 11. Crellio autem non favent, quæ ipse pro se habet, videlicet Petrum ejusdem cap. 9. dixisse ad Sapphiram: *quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini?* Nam quis sit iste Spiritus Domini, quem mentiendo tentare Ananias, et Sapphira ausi fuerint, qua clariori ratione potest, explicat idem Petrus dicens: *non es mentitus hominibus, sed Deo.* Per hæc autem etiam altera Crellii interpretatio excluditur, quia mentiri Spiritui Dei proprie dicitur, qui veritatem celat, quasi ea licet mendacium sit, non esset nota Spiritui.

Postremo, sicut jam sæpius inculcavimus, *Matt.* 28. 19. esse in nomine, seu in virtute tam Patris, et Filii, quam Spiritus Sancti conferri baptisma, Christus præcepit Apostolis. Profecto Pater est Deus, sicut etiam Socinistæ consentiunt: Filius est Deus, et Patri consubstantialis, quemadmodum jam ostensum est a nobis: ergo etiam Spiritus Sanctus est Deus, et tam Patri, quam Filio consubstantialis, quia una eademque virtute tam Patris, et Filii, quam Spiritus Sancti baptisma conferendum esse, præcipitur. Hinc S. Athanasius in epist. 1. ad Serapionem num. 11, „ nec enim (inquit) Angelum cum divinitate copulat, neque eos „ sibi ipsi, et Patri in re creata conjunxit, sed in Spiritu Sancto, quem quum promitteret, non ait, se Angelum mittere, „ sed *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*, qui idem ex „ ipso accipit, et datur." Epist. 3. ad Serapionem num. 6. „Quod „ si Spiritus creaturæ esset, non cum Patre copulasset, ne Trinitas sibi ipsi dissimilis esset; si extraneum quidpiam, et alienum ipsi adjungeretur. Quid enim Deo deerat, ut quicquam diverse substantiæ assumeret, et cum illo glorificaretur?"

Dices. cum Crellio *De Uno Deo Patre* lib. 1. sect. 3. cap. 1. (b) et 1. quidem Spiritus Sanctus nunquam aperte in sacris litteris dicitur Deus.

2. Non præcipitur in iisdem sacris litteris, ut Spiritum Sanctum adoremus, et invocemus, atque Catholici in hymno Spiritus Sancti petunt dona a dono: quod est inconveniens.

3. In pluribus locis Scripturæ, in quibus fieri de Spiritu Sancto mentio debebat, nulla fit. Nam Filius hominis *Lucæ* 9. 26. dicitur venturus *in majestate sua, et Patris, Sanctorum Ange-*

(a) Tom. 5. Bibl. Frat. Polon. (b) Tom. cit.

lorum Apostolus I. *ad Timot.* 5. 21. „testor coram Deo, et „Jesu Christo, et electis Angelis sine præjudicio." Porro si Spiritus est Deus, una cum Patre, et Filio præ ipsis Angelis Spiritus Sanctus conjungendus erat.

4. Spiritui negatur cognitio Patris *Matt.* 11. vers. 27.

5. Spiritus *Act.* 2. 38. donum dicitur: et *Lucæ* 24. 49. *promissum Patris* vocatur.

6. Item Spiritus a Deo donatur hominibus, quum homines Spiritus Sancti participes a Deo fiant, sicut dicitur, I. *Joan.* 3. 24. Item eumdem Spiritum Deus dividit hominibus. I. *Joan.* 4. 13. Rogat nos Apostolus I. *Thessal.* 5. 19. ne eumdem extinguamus in nobis. Et II. *Corint.* 1. 22. *Ephes.* 1. 14. Spiritus vocatur *pignus*, seu ut in Græco habetur, arrha hæreditatis nostræ.

7. Spiritus dicitur procedere a Patre, mitti a Filio, et a se non loquuturus: quæ sane omnia cadere in Deum nequeunt.

Hæc omnia Crellius in cit. loco præter alia quædam, quæ facile solvuntur ex iis, quæ jam disputavimus. Fere eadem opponit Wolzogenius in *Instruct. ad utilem lect. etc.* part. altera, et in lib. *De Tribus in una Deit. Personis* part. 1. cap. 5., et 28. (a).

R. ad 1., nihil jam quoad rem istam superesse difficultatis, quum ostenderimus, tum in veteri, tum in novo Testamento Spiritum Sanctum vocari Deum, eique tribui, quæ in Deum solummodo cadere possunt. Hoc totum non solum in isto, sed etiam in cap. præcedenti præstitimus.

R. ad 2. etiam Maximinum Arianum una cum Socino putasse, in Scriptura adorationem Spiritus Sancti nullibi præceptam: *da testimonia* (inquiebat, sicut legitur apud S. Augustinum lib. 2. cont. eumdem cap. 3.) *ubi adoratur Spiritus.* Ridet quodammodo Augustinus hanc interrogationem dicens: „quasi non „ex iis, quæ legimus, aliqua etiam, quæ non legimus, intel„ligamus:" Spiritum Sanctum esse Deum, et consubstantialem Patri in Scriptura profecto legimus: Deo cultum tum internum, tum externum a nobis præstari debere, aperte traditur in sacris litteris; igitur Spiritum Sanctum a nobis colendum esse, in sacris litteris habemus constitutum. Deinde nonne sicut in nomine Patris, et Filii, ita etiam Spiritus Sancti baptizamur? Quare sicuti Patri, et Filio obligamus fidem nostram, obsequium spondemus, et in illos credimus, atque speramus, ita etiam quoad Spiritum hæc omnia servamus, in quibus reposita est ratio cultus excellentioris, qui soli Deo præstari debet. Quare Apostolus II. *Corint.* 13. 13. „gratia (inquit) Domini nostri „Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus

(a) Tom. 8. Bibl. Frat. Polon.

„ sit cum omnibus vobis." Quibus verbis eadem ratione, qua gratiam Christi, et caritatem Dei; ita etiam communicationem S. Spiritus Corinthiis adprecatur.

Ludit autem Crellius, quando dicit, nos donum a dono petere: non enim a dono, sed ab auctore omnium donorum petimus ipsa dona.

R. ad 3. neque Crellii, neque cujusvis alterius esse hominis determinare, quando debuerit, vel non debuerit fieri mentio de Spiritu Sancto in sacris litteris. Qui easdem inspiravit, est Deus, sicut etiam Crellius profitetur: igitur contra omnia jura Religionis Deum hoc loco illa, illo loco ista Scriptoribus divinis inspirare debuisse, quispiam contenderit, sicuti Crellius re vera facit. Cur ergo aliquando unius tantum personæ divinæ, aliquando solummodo duarum mentio fiat, nullius est quærere rationem, et quoad rem nostram sufficit, Spiritui Sancto tribui divinitatem, et consubstantialitatem cum Patre, et Filio.

Lucæ autem 9. 26. mentio fit tam Patris, et Filii, quam Sanctorum Angelorum, Filiusque dicitur venturus non minus in majestate sua, et Patris, quam Sanctorum Angelorum: verum eamdem tum illorum, tum istorum majestatem esse, hic non dicitur, aliunde autem omnino inferiorem esse debere majestatem Angelorum, sicut ens creatum decet, perspectum habemus. Apostolus vero I. ad *Timot.* 5. 21. testatur quidem coram Deo, Christo, et Sanctis Angelis: coram Deo quidem, quia uti legitur Psal. 9. 9. „ judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit „ populos in justitia" coram Christo, quia illi „Deus potestatem dedit judicium facere, quia Filius hominis est: *Joan.* 5. 27. coram Angelis, sicut ministris: „ Quum venerit (ita *Matt.* 25. „ 31. Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum „ eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ." Quia tamen sunt unus Deus tres personæ divinæ; ideo etiam juxta judicium illarum operatio una, eademque erit.

R. ad 4. cum Angelico, qui citatum locum Matthæi explicat, illiusque explicationem, utpote Scripturæ auctoritati nixam, neque etiam Sociniani rejicere possunt: „ Sed quid est? non„ ne Spiritus Sanctus cognoscit? Immo. Sed notandum, quod „ dictiones exclusivæ aliquando adduntur nominibus divinis es„ sentialibus, aliquando personalibus. Et quum adjunguntur per„ sonalibus, non excludunt illud, quod idem est in natura: un„ de addita Patri non excludit Filium. Unde ubi dicitur: *Regi* „ *immortali, invisibili, soli Deo honor, et gloria*, I. *ad Ti„ mot.* 1. 17. non excluditur alius in natura. Similiter quum „ dicit hic: *nisi Filius*, non excluditur Spiritus Sanctus, qui „ idem est in natura. Sed quum dicit: *nemo novit etc.* in„ telligitur nullus homo, nisi Filius. Et ita habetur, quod no„ vit Filius Patrem."

R. ad 5., Spiritum Sanctum non esse donum, sed personam, et distingui a donis, item esse personam divinam, a nobis jam ostensum esse. Hoc vero est, quod Petrus insinuat, quando *Act.* 2. 38. iis, qui recepturi erant baptisma, promittit donum Spiritus Sancti. Nam Spiritum Sanctum esse auctorem donorum, quemadmodum dicitur in pluribus Scripturæ locis, ex hac loquendi ratione recte colligitur.

Christus *Lucæ* 24. 49. *promissum Patris* super Apostolos sese missurum esse, spopondit. Quodnam autem fuerit hujusmodi promissum Patris *Actor.* cap. 2. explicatur, in quo Apostoli dicuntur repleti Spiritu Sancto, atque loquuti, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.

R. ad 6. jam observatum esse a nobis, nomine Spiritus quandoque intelligi debere dona illius. Spiritus ergo nobis communicari dicitur in gratiæ muneribus, sicuti *Actor.* 10. 45., et ad *Titum* 3. 6. legimus.

Dividi autem Spiritum, habita solummodo ratione effectuum, qui ab ipso proficiscuntur, jure, meritoque dicitur, sicuti constat ex cap. 2. *Actuum Apost.*, in quo ab uno Spiritu multitudinem linguarum pluribus collatam fuisse, traditur. Hinc etiam I. *Joan.* 4. 13. Deum de Spiritu suo nobis dedisse, affirmatur, quia nobis sua dona ipse distribuit.

Quando autem monemur, ne Spiritum extinguamus; tunc per metonymiam nomen personæ accipitur ad designandum, quod illa efficit. Idem vero Apostolus, qui nos monet, ne Spiritum extinguamus, hortatur quoque *Ephes.* 6. 11., ut induamus armaturam Dei.

Advertendum est autem, pignus esse aliud a re, pro qua datur, illudque restitui datori ejus, semel ac ipse restituat rem, pro qua dederat. Arrha autem non est quid diversum a re, pro qua datur, neque redditur, quia est pars quædam pretii, quod ab uno solvendum est alteri. Deus per Spiritum Sanctum nobis communicat tamquam pignus suam caritatem, quæ quum non tolli, sed perfici in altera vita debeat, magis proprie dicitur arrha, quam pignus. „Tamen (sicut advertit Angelicus „lect. 4. in cap. 1. epist *ad Ephes.* potest nihilominus et pig„nus dici: nam per Spiritum Sanctum Deus nobis diversa do„na largitur, quorum quædam manent in patria, ut caritas... „quædam vero propter sui imperfectionem non manent, sicut „fides, et spes, quæ evacuabuntur... Sic ergo Spiritus Sanc„tus dicitur arrha per respectum ad ea, quæ manent, pignus „vero per respectum ad ea, quæ evacuabuntur." Quovis autem nomine appelletur Spiritus, hoc est, pignus, aut arrha dicatur, sub nomine ejus hic ejusdem dona veniunt, sicut etiam sæpe alias monuimus.

R. ad ult., Spiritum Sanctum a Patre procedere, non au-

tem generari, esse dicendum, sicuti sæpe alias advertimus. Hujusmodi tamen processio, non secus ac generatio Filii, est æterna ob easdem rationes, sicut urgere non destitimus, dum de æterna generatione Verbi ageremus. Sicuti vero æterna generatio, ita æterna processio in solam personam, quæ sit Deus, cadere potest.

Spiritus quidem a Filio dicitur mitti, verum originis habita ratione, qua Spiritus Sanctus non minus a Patre, quam a Filio procedit, sicuti jamjam ostensuri sumus. De missione autem divinarum personarum jam egimus, et non est, cur de hoc capite doctrinæ hic alia superaddamus.

Item Spiritum a se ipso non loquuturum *Joan.* 16. 13. Christus prædixit: verum sicuti monet Angelicus lect. 3. in cit. locum: „sicuti Filius non operatur a semetipso, sed a Patre; „ita Spiritus Sanctus, quia est ab alio, scilicet a Patre, et Filio, *non loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet*, acci„piendo sapientiam, sicut essentiam ab æterno: *hæc loquetur*, „non corporaliter, sed intrinsecus in mentem illuminando."

CAPUT QUARTUM.

De Spiritu Sancto, quatenus est verus Deus, et Patri, Filioque consubstantialis, habita ratione divini verbi traditi.

Tum ex communi Ecclesiæ consensu in publicis orationibus tum auctoritate Patrum Spiritus Sancti divinitatem nunc ostendemus.

Prop. Ex Traditione evidentissime constat de divinitate Spiritus Sancti, ejusque consubstantialitate cum Patre, et Filio.

Prob. prop. ex communi consensione Ecclesiæ. Baptismum semper, et ubique collatum leginus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, indeque eamdem virtutem, et naturam tribus personis divinis æque tributam fuisse, constat. Hoc argumentum urgent Veteres, videlicet S. Athanasius epist. 1. ad Serapionem num. 28., S. Hilarius lib. 2. *De Trinit.* num. 1., S. Gregorius Nazianz. Orat. 3., S. Basilius lib. 3. *Cont. Eunomium* num. 2. et 5., S. Augustinus *Tract.* 6. in *Joan.* num. 2 et 9.

Eumdem honorem, eamdemque gloriam tam Patri, et Filio, quam Spiritui Sancto semper fuisse tributam, constat etiam ex antiquissimo ritu *doxologias*, seu glorificationis. Ita ergo habet Polycarpi martyrium jamjam subituri precatio apud Eusebium *Eccl. Hist.* lib. 4. cap. 15. „Quamobrem de omnibus te (Pa„ter) laudo, et benedico, te glorifico per sempiternum Pon-

„ tificem Jesum Christum, unigenitum Filium tuum, per quem „ tibi una cum ipso in Spiritu Sancto gloria nunc, et in secula „ seculorum." Profecto vix ullum fragmentum est inter alia primævæ antiquitatis ab Eusebio servata, quod majori fide dignum sit: desumptum est enim ex epist. fratrum Smyrnæorum, qui martyrii Polycarpi testes oculati fuerunt. Hanc vero epistolam, quam diminutam Eusebius, integram Eusebius Armachanus nobis exhibuit (a). Constat ergo, quam sit inanis fallacia Auctoris *Irenici Irenicorum* nitentis in aliorum animis saltem ingerere suspicionem de veritate hujus epistolæ. Est autem omnino infirmum, quod idem Auctor opponit, ut ex Polycarpi verbis evincat, non constare de divinitate Spiritus Sancti, videlicet 1. quia Polycarpus Patrem tantum Jesu Christi appellat verum Deum, et omnium conditorem. 2. quia Polycarpus non dicit *cum Spiritu Sancto*, vel *et Spiritui Sancto*, sed: *in Spiritu Sancto*. Unde subdit idem Auctor, *Ephes.* 6. 18. *in spiritu orare docemur sine ulla æqualitatis cum Patre nota.*

Verum Polycarpus Patrem quidem dicit Deum Angelorum, Potestatum, universæ creaturæ, omniumque justorum, non autem Filii, et Spiritus Sancti, sed Filium affirmat esse unigenitum Filium Patris, et Patri una simul cum Filio, et Spiritui Sancto gloriam dicit. Illud tamen adverti debet, solum Patrem sub aliquo respectu vocari posse summum Deum, quatenus, ut sit, ab alio non habet, indeque illum esse fontem totius Deitatis, nonnulli Patres recte dixerunt, quum ab eo Filius per generationem, itemque ab eo, et Filio simul Spiritus Sanctus per processionem accipiat divinitatem. *Ephesiorum* autem cit. loco sermo non est de Spiritu Sancto, sed de spiritu nostro adjuto gratia Spiritus Sancti, ita ut sit idem orare in spiritu, ac sincero affectu, et *in corde*, sicuti ejusdem epist. cap. 5. 19. monemur.

Cæterum Polycarpi interpretes omni exceptione majores sunt fratres Smyrnæi, qui et Polycarpi, et Ecclesiæ Catholicæ illius temporis sensum probe noverunt: ita autem illi præcitatam epistolam claudunt: „ Optamus vos, fratres, in Domino valere, „ inhærentes præceptis, et Evangelio Jesu Christi, cum quo glo„ ria, et honor Deo Patri, sanctoque Spiritui ob salutem sanc„ torum, qui electi sunt a Deo (b)." Huic plane æqualis est *doxologia*, quam Deo illos dedisse, legimus, qui martyrii S. Ignatii spectatores fuerunt: „ Deum datorem bonorum laudavimus... „ vobisque diem, et tempus indicavimus, ut tempore ejus mar-

(a) Vid. nota Valesii, et aliorum ad cit. locum Eusebii, atque *Acta Mart. sincera, et selecta.*

(b) Vid. Valesius in cit. loco.

„tyrii convenientes, athletæ, et generoso Martyri communice-„mus, qui... pii sui desiderii cursum perfecit in Christo Jesu Do-„mino nostro, et per quem, et cum quo Patri gloria, et po-„tentia cum Sancto Spiritu in secula (a)."

Illud autem animadvertendum modo ducimus, quod Veteres *en tais doxologiais* non solum *cum Spiritu Sancto*, *sive et Spiritui Sancto*, sed aliquando etiam *in Spiritu Sancto* ideo dixisse videntur, ut significarent, quatenus Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procedit, amborum esse communionem, ac propterea qua si vinculum SS. Trinitatis, sicuti a nonnullis veteribus distincte appellatur (b).

Nunc haud multa ex auctoritate Patrum. S. Justinus M. *Apolog.* 1. num. 13. postquam de Deo Patre sermonem habuit, affirmat coli a Christianis *secundo loco* Christum veri Dei Filium, et *tertio ordine* Spiritum. Athenagoras in *Legat. pro Christ.* num. 10. „quis (inquit) non miretur, quum atheos vocari audiat eos, qui Deum Patrem, et Filium Deum, et Spiritum Sanc-„tum asserunt, ac eorum et in unione potentiam, et in ordine „distinctionem demonstrant?" S. Theophilus lib. 2. *ad Autoly.* num. 15. conceptis verbis affirmat, in Trinitate esse Deum, Verbum illius, et Sapientiam ejusdem, videlicet Spiritum Sanctum. S. Irenæus lib. 4. *Cont. Hæres.* cap. 6. num. 7. „propter „hoc in omnibus, et per omnia unus Deus Pater, et unum Ver-„bum, Filius, et unus Spiritus Sanctus, et una salus omnibus „credentibus in eum." Cap. 20. num. 1. Filium, et Spiritum facit cœvos Deo Patri. Clemens Alex. (c) *Pædagogi* lib. 3. cap. 12. in fine laudes dicit Patri, et Filio „una cum Spiritu Sancto, „qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia sunt unum." Tertullianus lib. *De Pudicit.* cap. 1. „Trinitas unius divinitatis, „Pater, Filius, et Spiritus Sanctus." Tandem S. Cyprianus epist. 73. ad Jubajanum tres personas distinguit, quarum unaquæque est Deus, Patrem, Filium, sive Christum, et Spiritum Sanctum. Videatur S. Basilius, qui in lib. *De Spiritu Sancto* multorum antiquorum Patrum auctoritate probat, hymnum illum glorificationis, scilicet: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto* apud Ecclesiam jam a primis temporibus in usu fuisse.

Dices. Arianos non admisisse Spiritus Sancti divinitatem, una cum aliis testatur Athanasius in epist. 1. ad Serapionem num. 3., et tamen Patres Nicæni quoad rem istam nihil contra illos definierunt: ergo incerta fuit: apud illos divinitas Spiritus Sancti.

R. cum S. Epiphanio *Hæresi* 94. num. 14. quod „de his

(a) Apud Ruinartium.

(b) Vid. Petavius *De Trinit.* lib. 7. cap. 12. num. 8.

(c) Errore factum fuit, ut in superioribus Clemens Alexandrin. pluries vocatus fuerit Sanctus.

„ quæ singulis temporibus occurrunt, cavere Synodi, ac decer„ nere solent. Quare quum Arius in Filium maledicta conjiceret, „ propterea uberiori quadam disputatione argumentum illud est „ accuratissime tractatum." S. Basilius epist. 125. num. 3., alias epist 78. ait in Symbolo Nicæno *doctrinam Spiritus Sancti strictim positam*, quia disquisitio non videbatur necessaria. Et S. Hieronymus in epist. 84. ad Pammachium advertit, *eo quod nondum tunc esset hæc mota quæstio*, data opera actum de ea non fuisse in Synodo Nicæna. Verum postea contra fidem Ecclesiæ Macedonio aperte insurgente, tunc sane Patres in Constantinopolitano Concilio congregati hanc hæresim publico judicio proscripserunt.

C. S. Basilium recte putasse, Spiritum Sanctum non vocari Deum, Orat. 20. prope finem S. Gregorius Nazianz. refert. Idem ipse Basilius epist. 213., alias epist. 203. Tarsenses Presbyteros monet, ut contenti fide Nicæna in suam eos communionem recipiant, qui fatentur, *Spiritum Sanctum creaturam dici non oportere*: ergo

R. Basilium ita putasse, sicuti tradit ipse Nazianzenus, ne hæretici „ dum unam voculam mordicus retinere conarentur (Catho„ lici), propter inexplebilem cupiditatem omnia perderent, con„ vulsa turbulento tempore, ac destructa pietate." Ipse autem Basilius putabat, sicuti Nazianzenus prosequitur „ non posse ma„ jorem perniciem, ac pestem aferri, quam si Ecclesia ab hæreti„ cis occuparetur." At vero Basilium Spiritus Sancti divinitatem semper tenuisse, atque docuisse, nimis comperta res est. Ipse enim epist. 189. num. 5., alias epist. 80. ostendit, nomen divinitatis convenire Spiritui haud aliter, ac Patri, et Filio, quia illis quoad omnia est æqualis. Num. 7. sanctificare, vivificare, et illuminare tam Patri, et Filio, quam Spiritui Sancto æque tribuit eorumque unam virtutem, atque eamdem operationem esse, affirmat. Epist. 8. num. 2., alias epist. 141. „ quum oporteat confiteri (in„ quit) Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, „ uti eloquia divina, et qui ea sublimius intellexere, docuerunt."

Quapropter in epist. 103., ut ad parvum numerum blasphemantes redigerentur, presbyteros Tarsenses ita rogavit: „ Roga„ mus vos, ut quantum in vobis est, ad parvum numerum blas„ phemantes redigatis: et qui, creaturam Spiritum Sanctum es„ se, non dicunt, eos recipiatis in communionem, ut blasphemi „ reliquantur soli." Unde hoc tantum vult Basilius, videlicet, ut Presbyteri Tarsenses, in suam communionem quosdam Catholicos reciperent, qui licet Spiritus Sancti divinitatem revera agnoscerent, de nomine tamen ambigebant. Hos ergo a communione excludi noluit, ut, qui erant revera blasphemi, ab omnibus separari remanerent.

C. S. Hilarius in suis *De Trinit.* libris nomen Dei Spiritui

Sancto nunquàm tribuit: immo verò neque etiam ab ipso Concilio Constantinopolitano Spiritum Sanctum vocatum Deum fuisse legimus.

R., S. Gregorium Nazianz. Orat. 37. hæreticis falso objicientibus Spiritum Sanctum in Scriptura non vocari Deum, inter alia reposuisse, parum referre, utrum dicatur *decem*, *an bis quinque*, sed attendendum ad id, quod intelligitur. Unde semel ac S. Hilarius divinitatem Spiritus Sancti clare, distincteque expresserit, quod illum non vocaverit Deum, curari non debet. Illud autem Hilarius fecit: nam lib. 12. *De Trinit.* num. 55. affirmat, se nunquam dicturum Spiritum Sanctum esse creaturam, licet ipse non sit innascibilis, sicut Pater, vel genitus, sicut Filius. Lib. 2. num. 29. loquens de Spiritu Sancto ait: „Qui confessioni Patris, et Filii connexus est, non potest a con„fessione Patris, et Filii separari. Imperfectum enim est no„bis totum, si aliquid desit a toto." *Comment.* in *Matt.* cap. 13. num. 6. reprobat sententiam illorum, qui *ad fidei sacramentum*, *id* est, *ad Patris, et Filii, et Spiritus Sancti unitatem* tres mensuras farinæ censebant referendas, et hæc postea superaddit: *In Patre autem, Filio, et Spiritu Sancto... omnia sunt unum.* Hæc, quòd volumus, evidenter ostendunt, proindeque istis alia non superaddimus.

Patres autem Constantinopolitanos definiisse, Spiritum Sanctum esse Deum, non solum constat ex iis, quæ Symbolo Nicæno addenda decreverunt, sed etiam ex illorum epist. Synodica, in qua se credere profitentur (a), unam „deitatem, et poten„tiam, ac substantiam Patris, Filiique, et Spiritus Sancti, „æqualem item dignitatem, et coæternum imperium in tribus „perfectis hypostasibus, sive in tribus perfectis personis." Profecto si dum dicitur Spiritus Sancti cum Patre, et Filio unam esse deitatem, æqualem dignitatem, et coæternum imperium, non affirmatur, Spiritum Sanctum esse Deum, non video sane, quibusnam aliis verbis id affirmari possit.

CAPUT QUINTUM.

De processione Spiritus Sancti non minus a Filio, quam a Patre.

Spiritum Sanctum tam a Patre, quam a Filio procedere catholica Ecclesia docet, semperque docuit. Semina contrarii erroris Angelicus 1. p. quæst. 36. art. 2. ad 3. repetit a Nestorianis, illique plures etiam recentiores assentiuntur, alii autem

(a) Tom. I. Concil. edit. Hard. col. 825.

contra putant (a). Illud certum est, quod, sub finem sec. 8., Iconomachis prævalentibus sub Constantino Copronymo, aperte negari cœpit processio Spiritus Sancti a Filio, sicuti etiam ex synodo Aquisgranensi celebrata Caroli Magni tempore constat (b). Acrius tamen hæc controversia agitata fuit sub Photio, qui ut aliquam causam prætexeret suæ separationis a Romano Pontifice, de hæresi inde accusare cœpit Catholicos, quia Spiritum Sanctum etiam a Filio docerent procedere. Damnato Photio Pseudo-Patriarcha Constantinopolitano in Synodo Generali VIII., deinde septemdecim Patriarchæ Constantinopolitani cum Romana Ecclesia communionem semper habuerunt. At 11. sec. opera Michaelis Cerularii Patriarchæ Constantinopolitani, favente Constantino Monomacho Imperatore, schisma renovatum fuit, quod perduravit etiam post mortem illius, et in II. Lugdunensi Generali Concilio finem habuit: in eo enim, inita pace, Oratores Græci simul cum Latinis ea verba: *qui ex Patre, Filioque procedit* semel, atque iterum cecinerunt, et Joan. Becus Patriarcha Constantinopolitanus, coacta synodo Episcoporum, recepit, quæ Lugduni acta fuerant. Iterum tamen turbas non multo post excitatas legimus, quæ circa ann. 1282. in apertum schisma erupere; quod occasionem dedit celebrationi Concilii Florentini, in quo res pro voto cessit, atque in eo, uno excepto Marco Ephesino, Græci omnes in eamdem formulam fidei cum Latinis consenserunt. Verum ad pristinum vomitum postea rediere. Contra quos

Prop. Spiritus Sanctus a Filio non minus, quam a Patre vere, atque realiter procedit.

Prob. prop., et 1. quidem ex iis Scripturæ locis, in quibus ea omnia, quæ habet Pater, etiam Filius habere dicitur. Loca autem hæc sunt inter alia: *Joann.* 16. 15. *omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt.* Cap. 17. 10. *mea omnia tua sunt, et tua mea sunt.* Ex his autem Patres, quæ conveniunt Patri, etiam in Filio colligunt inesse (c), excepta Paternitate. At vis spirandi, quæ Patri tribuitur, non est Paternitas: ergo sicuti Patri, ita etiam Filio hæc quoque convenit.

2. Eo vel maxime quia cap. 16. *Joan.* 13. duo Christus affirmat, hoc est, 1. Spiritum Sanctum a se non loquuturum, sed tantum quæcumque audiet, *quia*, sicut inquit, *de meo accipiet, et annuntiabit vobis*: 2. Omnia quæcumque habet Pater, esse sua, propterea que dixisse, *quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Profecto si Spiritus Sanctus non a se loquutu-

(a) Vid. Gazaniga *De Trinit.* Dissert. 5. cap. 2.
(b) Vid. Sirmondus tom. 2. Concil. Gall.
(a) Vid. inter alios August. lib. 2. *Cont. Maximin. Arian.* cap. 14. num. 9., et cap. 20. num. 3.

rus dicitur, sed secundum ea, quæ intelliget a Filio, et ideo secundum ista, quia omnia, quæ Pater, et Filius quoque habet, inde consequitur, Spiritum Sanctum quoad suam naturam, et essentiam tam a Patre, quam a Filio procedere eodem modo. Quandoquidem scientia a natura, et essentia non distinguitur in Deo, ideoque simul cum scientia etiam naturam, et essentiam habet Filius a Patre. Hinc S. Augustinus *Tract.* 99. *in Joan.* num. 4. „ac per hoc (inquit) non sic habet scientiam, „ut aliud sit illi scientia, qua scit, aliud essentia, qua est: „sed utrumque unum. Nec utrumque dicendum est, quod simpliciter unum est... *Non ergo loquitur a semetipso*, quia non „est a semetipso: *Sed quæcumque audiet, loquetur*: ab illo „audiet, a quo procedit. Quia ergo non est a semetipso, sed „ab illo, a quo procedit, a quo illi est essentia, ab illo scientia. Ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud, quam scientia." „S. Thomas in 1. part. quæst. 36. art. 2. ad 1. „Licet autem (inquit) per verba non inveniatur in Sacra Scriptura, „quod Spiritus Sanctus procedat a Filio, invenitur tamen quantum ad sensum, et præcipue ubi dicit Filius *Joan.* 16. 14. de „Spiritu Sancto loquens: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Regulariter etiam in Sacra Scriptura tenendum est, quod „id, quod de Patre dicitur, oportet de Filio intelligi, etiamsi „dictio exclusiva addatur, nisi solum in illis, in quibus Pater et Filius secundum oppositas relationes distinguuntur. Quum „enim Dominus *Matt.* 11. 27. dicit: *Nemo novit Filium, nisi Pater*, non excluditur, quin Filius se ipsum cognoscat. „Sic igitur quum dicitur, quod Spiritus Sanctus a Patre procedit, etiamsi adderetur, quod a solo Patre procedit, non „excluderetur inde Filius: quia quantum ad hoc, quod est esse principium Spiritus Sancti, non opponuntur Pater, et Filius, sed solum quantum ad hoc, quod hic est Pater, et ille Filius."

Neque mirandum est, sicuti S. Augustinus *Tract.* 99. *in Joan.* num. 5. advertit, verbum futuri temporis positum fuisse, licet *scientia*, et *audientia* sempiterna sit: nam „quod sempiternum „est, sine initio, et sine fine, cujuslibet temporis verbum po„natur, non mendaciter ponitur. Quamvis enim natura illa im„mutabilis, et ineffabilis non recipiat, fuit, erit, sed tantum „est... tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus ver„satur nostra mortalitas, et nostra mutabilitas, non mendaci„ter dicimus, et fuit, et erit, et est."

3. Catholicum dogma ex Scriptura inde quoque confirmatur, quia eodem modo, quo Spiritus Sanctus vocatur *Spiritus Dei, et Patris*, *Matt.* 10. 20., et *Roman.* 8. 11., ita etiam eodem modo dicitur *Spiritus Christi, et Filii*, *Roman.* 8. 9. et *ad Galat.* 4. 6. Hoc vero totum S. Augustinus expendens

in cit. Tract. num. 6. „Nunquid (inquit) duo sunt, alius Pa„tris, alius Filii? absit." Facta deinde mentione illorum locorum, in quibus Spiritus Sanctus dicitur Spiritus tam Patris, quam Filii, ita colligit: „Et multa alia sunt testimonia, in „quibus hoc evidenter ostenditur, et Patris, et Filii esse Spi„ritum, qui in Trinitate dicitur Spiritus Sanctus." Hoc autem eum nomine singulariter vocatum affirmat, licet Pater sit et Spiritus, et Sanctus, sicut etiam Filius, quia non *Est unus eorum, sed in quo apparet communitas amborum.*

Hinc num. 8. quærit, cur Spiritum procedere a Patre Filius dixerit: „Cur putas, (inquit) nisi quemadmodum ad eum „solet referre, et quod ipsius est, de quo ipse est... A quo „autem habet Filius, ut sit Deus (est enim de Deo Deus) ab „illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus Sanctus: „ac per hoc ut Spiritus Sanctus etiam de Filio procedat, si„cut procedit de Patre, ab ipso habet Patre."

Prob. prop. Verbo divino tradito, et 1. quidem auctoritate Patrum Græcorum. S. Athanasius *Orat.* 3. *cont.* Arianos num. 24. *Quæcumque Spiritus habet* (inquit), *hæc a Verbo habet.* Epist. 3. ad Serapionem num. 1. „Et quemadmodum Filius „dicit: *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt;* ita hæc „omnia per Filium in Spiritu Sancto esse deprehendemus." S. Basilius lib. 2. *Advers. Eunomium.* effutientem, Spiritum esse a solo Filio, et non etiam a Patre, inde refellit, quia „nulla „Filii operatio a Patre divisa sit, nec quidquam sit in rerum „natura, quod Filio insit, et a Patre alienum sit." 2. Quia non sunt duo principia, sed unum, indeque utrumque conjungit Apostolus, et Spiritum Sanctum, appellat modo Spiritum Patris, modo Filii. S. Gregorius Nyssenus lib. 1. *Cont. Eunomium*, Filium esse principium Spiritus Sancti, perspicue tradit. Dydimus lib. *De Spir. Sanct.* num. 34. exponens illa verba: *Non enim loquetur a semetipso*, inquit: „Quia non ex se est, sed „ex Patre, et me est: hoc enim ipsum quod subsistit, et „loquitur, a Patre, et me illi est." S. Epiphanius *Hæresi* 62. num. 4. „Semper cum Patre, Filioque Spiritus est.... a „Patre procedens, et accipiens a Filio." S. Cyrillus Alex. lib. 1. *De Adorat.* „Siquidem est Dei et Patris, et Filii ille, qui „substantialiter ex utroque, nimirum ex Patre per Filium pro„fluit Spiritus." Hæc quoad Græcos Patres, nunc pauca quoad Latinos.

Tertullianus *Cont. Praxeam* cap. 4. Spiritum non aliunde *quam a Patre per Filium* esse docet. Marius Victorinus lib. 1. *Cont. Arium* (a): „Sic igitur (inquit) Sanctus Spiritus „Dei Spiritus est: et Sanctus Spiritus a Dei Filio omnia

(a) Tom. IV. Bibliot. Patrum.

„ habet; una substantia tribus." S. Hilarius lib. 2. *De Trinit.* num. 29. „ Loqui de eo non est necesse: quia de Patre, et „ Filio auctoribus confitendus est." S. Ambrosius lib. 1. *De Spir. Sanct.* cap. 11. num. 120. „ Spiritus quoque Sanctus, „ quum procedat a Patre, et Filio, non separatur a Filio." S. Augustinus lib. 4. *De Trinit.* num. 29. „ Nec possumus di- „ cere, quod Spiritus Sanctus et a Filio non procedat: neque „ enim frustra idem Spiritus et Patris, et Filii Spiritus dici- „ tur." Denique S. Fulgentius lib. *De Fide ad Petrum* num. 56. „ Firmissime tene, et nullatenus dubites, Spiritum Sanctum... „ qui patris, et Filii unus est Spiritus, de Patre, et Filio pro- „ cedere."

Nihil ad hæc ex ipsa Traditione superaddere necesse est, quum ob ipsam pervicaciam simul et instabilitatem Græcorum, ob quam eumdem errorem modo omni contentione animi defenderunt, modo ejurarunt, hoc dogma fidei præ aliis dogmatibus tum Oecumenicis, tum Provincialibus Conciliis confirmatum fuerit (a).

Quod Græci reponunt ex Scriptura petitum, videlicet in ea distincte legi, a Patre tantum procedere Sanctum Spiritum, S. Augustini auctoritate jam solutum est a nobis: nunc ergo expendamus alia, quæ desumpta a Patribus nobis opponunt.

Dices I. Patres, qui affirmant, Spiritum Sanctum procedere a Filio, aut ab eo mitti, nomine Spiritus intelligunt dona, quæ sunt æque Patris, et Filii. Deinde plerique eorum dicunt, Spiritum Sanctum non quidem a Filio, sed per Filium procedere: idem vero est dicere cum Filio, ac per Filium Spiritum Sanctum procedere a Patre.

R. ad priorem objectionem, nos supra hujus libri cap. 2. jam ostendisse contra Socinianos, Spiritum Sanctum esse veram personam, atque secundum hanc acceptionem Patres de Spiritu Sancto fuisse loquutos, compertum est etiam ex iis, quæ in medium modo protulimus. Dona ergo Spiritus Sancti a Spiritu Sancto, oportet, ut distinguantur, sicuti superius animadvertimus. Illa sane tribus personis divinis sunt communia.

R. ad alteram objectionem cum Angelico 1. p. quæst. 36. art. 3. „ Quia igitur Filius habet a Patre, quod ab eo proce- „ dat Spiritus Sanctus, potest dici, quod Pater per Filium „ spiret Spiritum Sanctum, vel quod Spiritus Sanctus procedat „ a Patre per Filium, quod idem est." Illud quoque debet adverti, rem unam, eamdemque esse, affirmare Spiritum procedere a Filio, ac procedere per Filium. Ostendit S. Basilius lib. *De Spir. Sanct.* cap. 5. num. 7., pluribus Scripturæ locis in medium adductis, tam præpositione *per*, quam *ex* agenti

(a) Vid. Vitassius *De Trinit.* quæst. 9. art. 3. sect. 2. cap. 3.

principio præmissa idem significari. Petavius *De Trinit.* lib. 7. cap. 17. num. 4. id ipsum ostendit ex Patribus Græcis, atque apud eos eamdem fuisse significationem, evincit.

Dices. 11. Constantinopolitana 1. Synodus explicans originem Spiritus Sancti mentionem solummodo Patris in suo Symbolo facit (a).

2. Synodus Ephesina Act. 6., lecto symbolo Nestorianorum, quamvis articulos de Incarnatione damnaverit, articulum tamen, in quo dicebatur, Spiritum Sanctum *per Filium suam subsistentiam* non habere, non improbavit (b).

3. Quum Theodoretus refutando 9. Anathematismum S. Cyrilli dixisset, se *ut blasphemiam, et impietatem* rejicere Spiritum Sanctum *Ex Filio, vel per Filium habere existentiam* (c): Cyrillus in sua adversus Theodoretum defensione nihil contra reposuit. Quin etiam ipse Cælestinus Summus Pontifex in suis epistolis ad Nestorium, et Clerum Constantinopolitanum (d) Nestorio vitio non vertit, ipsum nihil dixisse de processione Spiritus Sancti. Processio ergo Spiritus Sancti a Filio uti dogma fidei non habebatur.

4. Quum in Gallia invalesceret usus cantandi symbolum cum additione *Filioque*, et Legati Caroli Magni, atque synodi Aquisgranensis a Leone III. petiissent, ut hanc consuetudinem probaret, renuit Summus Pontifex. Id autem argumento est, non putasse Leonem, dogma fidei esse processionem Spiritus Sancti a Filio.

R. ad 1. in symbolo Constantinopolitano fieri mentionem de solo Patre, quia processionem a Patre Eunomiani tunc negabant: hi enim quum Filium, et Spiritum Sanctum referrent inter creaturas, ita de utriusque origine statuebant, ut Filium a solo Patre factum, Spiritum autem Sanctum Filii proprium opus esse, contenderent (e). Contra hanc vero impietatem, quæ respicit etiam processionem Spiritus Sancti, Synodus OEcumenica inter alia adjunxit has voces symbolo Nicæno: *Qui a Patre procedit.* Quapropter apposite ad errorem, quem tunc damnari oportebat, Constantinopolitani Patres definierunt, Spiritum Sanctum et esse Deum, et a Patre procedere.

R. ad 2. Synodum Ephesinam in definitione fidei non solum damnasse errores in symbolo Nestoriano contentos, qui dogmati catholico incarnationis Christi adversabantur, sed etiam genera-

(a) Tom. I. Concil. edit. Harduini col. 812.
(b) Cit. tom. col. 1515.
(c) Vid. Dissert. 3. Garnerii cap. 1. num. 5. et seq. (tom. 5. Oper. Theodoreti).
(d) Mox cit. tom. Concil. col. 1299., et 1311.
(e) Vid. Basilius lib. 2. *Cont. Eunomium* num. 32. et seq.

tim *scelerata, et perversa Nestorii dogmata, quæ et subnexa sunt* (a). Singulariter de processione Spiritus Sancti nihil ab ea statutum fuisse, dici potest, quia verba symboli, quod Carisius legit, sensum quoque catholicum patiebantur, videlicet Spiritum Sanctum non habere existentiam per Filium, quatenus ille neque creatus, neque factus fuit a Deo per Filium, sicut cetera creata. Quare Manuel Calecas lib. 2. *Cont. Græcos* Patres Ephesinos in causa Nestorii ita se gessisse advertit, ut errorem præcipuum illius discusserint, atque damnaverint, alios, qui prorsus manifesti non erant, neglexerint.

R. ad 3. Cyrillum criminationem Theodoreti non omnino neglexisse, sed solvisse objectionem illius verbis ipsius Christi. Hæc enim habet in defensione 9. Anathematismi contra reprehensionem Theodoreti: „ Procedit ex Deo Patre Spiritus Sanctus se„ cundum Salvatoris vocem, sed non est alienus a Filio: omnia „ enim habet cum Patre: et hoc ipse edocuit dicens de Spiritu „ Sancto: omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt: propte„ rea dixi vobis, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis."

Illud deinde adverti debet, Theodoretum in confutatione Anathematismorum Cyrilli totum in eo esse, ut refellat hæresim Eunomii, et similiter Cyrillum in suis responsionibus potissimum curare, ut hujusmodi hæresis suspicionem a se depellat, de qua insimulatum a Theodoreto fuisse, valde probabile est. Quum ergo, hoc semel posito, verba Theodoreti etiam sano sensu accipi possent, mirandum non est, si tunc Cyrillus proponere ea contentus in sua responsione fuerit, quæ de processione Spiritus Sancti constabant ex sacris litteris.

Quod autem diximus de ea ratione, qua in causa Nestorii se gesserunt Patres Ephesini, etiam de Cælestino dicendum est.

R. ad 4., Leonem improbasse, ut particula *Filioque* symbolo adderetur, nulla tunc postulante causa, nullaque urgente necessitate: ceterum processionem Spiritus Sancti a Patre, et Filio uti dogma fidei credi ab ipsa Ecclesia professus ipse fuit, sicuti constat ex Actis Collationis Legatorum Gallicanæ Ecclesiæ, et Caroli Magni Imperatoris, quæ ex Abbate Smaragdo descripsit Sirmondus tom. 2. Concil. Galliæ.

Quæ Græci cum suo Photio opponunt contra processionem Spiritus Sancti a Filio inde desumpta, quia tunc duo principia forent ejusdem Spiritus (et sane circa hoc illorum præcipuæ difficultates versantur) non est, cur nunc in medium afferamus, quoniam sub ratione unius principii Spiritum Sanctum tam a Patre, quam a Filio procedere, jam sumus ostensuri. Natalis ab Alexandro dissert. 18. in sec. 9. et 10. ea omnia proposuit, atque dissolvit.

(a) Tom. I. Concil. cit. edit. col. 1526.

Illud ergo tantum nunc animadvertimus, Græcos Schismaticos contra auctoritatem Ecclesiæ neque S. Joannis Damasceni, neque Theodoreti auctoritatem æquo jure opponere posse: nam licet Damascenus putaverit, Spiritum Sanctum a Filio non procedere, licet Theodoretus in eadem sententia fuerit, sicut cum Bellarmino, Petavio, Leone Allatio Garnerius in Dissert. 3. num. 11. (a) inde recte arbitratur, quia Theodoretus „ Sententiam sæpe dicit exclusivam *a solo Patre*, vel etiam expresse negativam *non a Filio*; tamen quum contra eos faciat „ tum Scripturæ auctoritas, tum Patrum tam Græcorum, quam „ Latinorum traditio communis, cujus sane auctoritas neque infirmatur, neque minuitur propter unum, aut alterum contra „ sentientem, quum denuum contra se habeant repetitæ definitiones Conciliorum, quæ suum in divino verbo scripto, et „ tradito fundamentum habent, inde consequitur, ut auctoritate „ prædictorum nullo modo gloriari possint (b).

CAPUT SEXTUM.

De necessitate processionis Spiritus Sancti a Filio, ut ab hoc ille distinguatur.

Angelicus 1. p. quæst. 36. art. 2. inde probat Spiritum Sanctum a Filio procedere, quia alioquin ab ipso non distingueretur: ei autem non solum sui discipuli, sed etiam plures alii Theologi consentiunt. Scotistæ tamen tuentur, etiam sublata processione, Spiritum Sanctum inde distingui a Filio, quia Filius ab intellectu per generationem procedit, Spiritus vero Sanctus a voluntate per spirationem. Quapropter Filium distingui a Spiritu Sancto per spirationem activam non negant, sed solum volunt etiam per Filiationem distingui, atque ita semper futurum dicunt, ut etiamsi Spiritus Sanctus non procederet a Filio, ab illo tamen distingueretur. Quoniam disputatio de hac scholastica quæstione ad processionem Spiritus Sancti magis magisque dignoscendam conducit, et etiam in bono lumine semper amplius ponendam eam rationem, quam Patres, et Concilia adhibuerunt, ut ostenderent, Spiritum Sanctum a Filio procedere; ideo nos modo de ea, licet non multis, agemus.

Prop. Spiritus Sanctus non distingueretur a Filio, si ab eodem non procederet.

Prob. prop. Patres enim reposuerunt in processione Spiritus

(a). Tom. Opp. Theodoreti.

(b) Hoc de capite doctrinæ legatur Dissert. 1. *Damasceni* illius operibus præmissa, et Dissert. 1. P. Bern. de Rubeis *De Processione Spiritus S. etc.*

S. a Filio eam distinctionem, quæ inter utrumque intercedit. „Mutua (inquit S. Gregorius Nazianzenus Orat. 37.) eorum „relationis differentia diversa ipsis (scilicet divinis personis) no„mina procreavit." Sublata autem processione Spiritus S. a Filio, relatio Filii ad Spiritum S., istius ad illum profecto non habetur. S. Gregorius Nyssenus Orat. 1. *Cont.* Eunomium: „De„tracta (inquit) principii ratione, nulla re Sancta Trinitas a se „ipsa dissidet." Unica ergo causa distinctionis divinarum personarum est relatio originis, qua altera ab altera procedit. S. Augustinus lib. 8. *De Trinit.* num 1. ait: „Ea dici proprie „in illa Trinitate distincte ad singulas personas pertinentia, „quæ relative dicuntur ad invicem, sicut Pater, Filius, et „utriusque donum Spiritus." *Tract.* 39. in *Joan.* num. 4. „Hoc solo numerum insinuat (tres divinæ personæ) quod ad „invicem sunt, non quod a se sunt."

Et re quidem vera personæ in divinis solummodo propter relationes oppositas distinguuntur inter se realiter: at relationes oppositæ in divinis suum fundamentum in origine habent, seu in processione unius ab altera: si ergo Spiritus Sanctus a Filio non procedere dicatur, huic ipse relative non opponitur, atque propterea ab eodem relative non distinguitur. Major propositio ex illo communi axiomate constat: *in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Et quidem in Deo nihil aliud est, quam essentia, attributa communia, et relationes: propter essentia, et attributa communia divinæ personæ inter se realiter non distinguuntur: ergo propter solas relationes, quatenus nihil ad se ipsum refertur. Minor etiam constat, et negatur a nemine, quia Deus, utpote ens simplicissimum, præter eam, quæ in origine consistit, secundum quam idem non potest procedere a se ipso, nullam aliam patitur oppositionem.

Dices. S. Anselmus *De Process. Spirit. Sancti* cap. 1. „Nam „quoniam Filius (inquit) existit de Deo nascendo, et Spiritus „S. procedendo, ipsa diversitate nativitatis, et processionis re„feruntur ad invicem, ut diversi:" ergo.

R. Angelicus quæst. 10. *De Potentia* art. 5. ad 2., Anselmum recte affirmare. Filium, et Spiritum Sanctum distingui inter se ex eo, quod diverso modo procedunt: ita autem, scilicet diverso modo, non possent procedere, si Spiritus a Filio non esset. Nam tunc, sicut Angelicus in hoc eodem articulo advertit, Spiritus *ex æquo respiceret Patrem quantum ad originem*: unde non essent duæ personæ distinctæ inter se, quia, uti sæpius diximus, in divinis distinctio realis ab origine petitur. Quare Anselmus distinctionem inter Filium, et Spiritum Sanctum secundum hypothesim Græcorum hic repetit a diverso modo processionis, atque id exponit, quod confiteri illi debent. Ceterum in hoc toto opere *De Proces. Spir. Sanct.* tuetur, Spiri-

tum Sanctum distingui a Filio, quia ab hoc ille procedit.

C. Licet admittatur, personas divinas realiter distingui inter se per originem; tamen etsi Spiritus a Filio non procederet, ii duo per originem inter se distinguerentur, quia Filius uti per intellectum genitus, Spiritus uti spiratus per voluntatem procedit, indeque ille generatione, inspiratione iste constituitur: ergo.

R. cum Angelico cit. art. ad 1. differentiam originis inter Filium, et Spiritum Sanctum in eo positam, ut Filius sit a solo Patre, Spiritus Sanctus a Patre, et Filio. Sicuti vero intellectus, et voluntas solummodo virtualiter in Deo distinguuntur, ita et generatio activa in Patre, quæ est ab intellectu, et spiratio activa, quæ est a voluntate, distinguuntur virtualiter. Quare etiam genitus, et spiratus, si eis nihil aliud superaccedat, virtualiter tantum distingui inter se debent, licet ille sit per generationem, iste per spirationem.

Unde illud advertatur oportet, diversum hunc procedendi modum in se quidem complecti relationes diversas, attamen disparatas, non oppositas. Relationes autem solummodo disparatæ, non vero oppositæ, in unam, eamdemque personam cadunt: hinc Paternitas, et Spiratio activa uniuntur in persona Patris, nec propter utramque una est persona Patris, altera spirans. Eodem modo una, eademque persona per intellectum, et voluntatem procedere posset, atque appellari et Filius, et Spiritus, non secus ac prima persona et Pater, et Spirans sub diverso respectu appellaretur.

Dices II. Licet Filius non procedat a Spiritu Sancto, tamen ab ipso distinguitur: ergo simili ratione etc.

R. quoad hæc duo disparitatem in eo positam esse, quod licet Filius non procedat a Spiritu Sancto; tamen quum sit principium Spiritus Sancti, inter utrumque semper est oppositio relationis, quæ ab origine pendet: si autem tollatur processio Spiritus Sancti a Filio, jam nulla inter utrumque remanet oppositio relationis, quum origo unius ab altero nulla supersit (a).

CAPUT SEPTIMUM.

De processione Spiritus Sancti a Patre, et Filio sub ratione unius ejusdemque principii.

Illud nunc quoque discutiendum est a nobis, utrum Pater, et Filius sint unicum principium, vel duo principia Spiritus Sancti. Græ-

(a) Vid. Angelicus quæst. 10. *De Poten.* art. 1.

ci enim Latinis semper opposuerunt (a), semel ac admittatur, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere, inde consequi, ut Pater, et Filius sint duo principia Spiritus Sancti. Hoc ergo est, quod nunc confutabimus.

Prop. Pater, et Filius sunt unum, idemque principium Spiritus Sancti.

Prob. prop. S. Basilius *Homil.* 1. *in Psal.* 32. num. 4. diserte tradit, Patrem, et Filium esse unicum tantum principium Spiritus Sancti. Idem non minus distincte confirmat S. Augustinus lib. 5. *De Trinit.* num. 15. et S. Anselmus in lib. *De Process. Spirit. Sanct.* cap. 19. Hinc Patres Concilii II. Lugdunensis ita contra Græcos (b): „ Nos damnamus, et reprobamus „ omnes, qui temerario ausu asserunt, quod Spiritus Sanctus ex „ Patre, et Filio, tamquam ex duobus principiis, non tamquam „ ab uno, procedat." Et Patres Concilii Florentini in Formula unionis (c): „ Definimus, quod Spiritus Sanctus a Patre, et „ Filio æternaliter, tamquam ab uno principio, et unica spira„ tione procedat."

Hanc autem hujusmodi veritatis firmissimam rationem Augustinus, Anselmus, Angelicus, et alii omnes, qui magna cum laude pugnarunt contra Græcos (d), inculcare non destiterunt: ubi virtus producendi est una, atque indivisa, principia processionis esse duo non possunt, sed unum sit oportet: sed in Patre, atque in Filio virtus producendi Spiritum Sanctum est una, atque indivisa: ergo Pater, et Filius non sunt duo principia processionis Spiritus Sancti, sed unicum tantum. Minor propositio ostenditur: „ Spiritus Sanctus (ut utar verbis S. An„ selmi loco cit.) non est de hoc, unde alii sunt ad invicem „ Pater, et Filius, sed de hoc, in quo unum sunt. Si ergo „ non magis est Pater hoc, unde Spiritus Sanctus est, quam „ Filius, intelligi nequit, cur sit magis de Patre, quam de Fi„ lio." Quapropter sicut quando dicimus Deum principium rerum creatarum, intelligimus, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum esse unum principium, non tria principia, sicut unum creatorem, non tres creatores, quoniam per hoc, in quo ii sunt unum, non per hoc, in quo sunt tres, principii, seu creatoris rationem habent; „ ita quum Spiritus Sanctus (ita Ansel„ mus prosequitur) dicitur esse de Patre, et de Filio, non est „ de duobus principiis, sed de uno, quod est Pater, et Filius." Qua autem ratione, licet sint tres inter se distinctæ personæ,

(a) Vid. Petavius *De Trinit.* lib. 7. cap. 15. num. 9., et Natalis ab Alexandro Dissert. 18. in sec. 9. et 10.
(b) Tom. VII. Concil. edit. Harduini col. 706.
(c) Tom. cit. edit. col. 422.
(d) Vid. Petavius loco supra cit.

unum est principium rerum creatarum, una actio trium personarum divinarum, unus terminus ejusdem actionis; eodem modo, licet sint duæ personæ distinctæ, Pater, et Filius, sunt tamen unum, idemque principium Spiritus Sancti, una est spiratio, unus terminus. Nam, ita idem Anselmus, „quoniam per „hoc, in quo unum sunt, non per hoc, in quo tres sunt, est „Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus principium, sive creator;" eodem quoque modo, sicuti habet Angelicus 1. p. quæst. „36. art. 4. ad 2. „Spiritus Sanctus procedit a Patre, et Filio, in quantum sunt unum in virtute spirativa, quæ quodammodo significat naturam cum proprietate... Neque est inconveniens, unam proprietatem esse in duobus suppositis, quorum „est una natura." Quæ est ergo in tribus personis divinis unitas principii respectu productionis rerum creatarum, earumque conservationis, est etiam in Patre, et Filio respectu processionis Spiritus Sancti.

Dices I. Spiritus Sanctus a Patre, et Filio procedit, quatènus sunt duæ distinctæ personæ: „si considerentur supposita spirationis, (inquit Angelicus in cit. loco) sic Spiritus Sanctus „procedit a Patre, et Filio, ut sunt plures: procedit enim ab „eis, ut amor unitivus duorum": ergo.

R. ob hanc rationem putasse nonnullos, sicut tradit Angelicus in eodem art. ad 7., dici oportere, Patrem, et Filium, licet sint unicum principium Spiritus Sancti, „duos spiratores propter distinctionem suppositorum, sicut etiam duos spirantes, quia „actus referuntur ad supposita." Ipse tamen superaddit: „videtur melius dicendum, quod quia spirans adjectivum est, spirator vero substantivum, possumus dicere, quod Pater, et Filius sint duo spirantes propter pluralitatem suppositorum, non „autem duo spiratores propter unam spirationem." Spiratio enim activa est unica forma, sub qua agunt Pater, et Filius, atque ab ea non proficiscitur aliqua relatio, quæ personam constituit.

Ex his autem constat, qua ratione intelligendi sint aliqui Patres, qui Patrem, et Filium Spiritus Sancti auctores esse tradiderunt: sunt enim auctores *adjective*, quatenus sunt duo spirantes, non vero *substantive*, quatenus sint duo spiratores.

Dices II. Duo legimus apud nonnullos Patres, quæ opponuntur principii unitati, quam propugnamus: prius est: Filium esse proxime, et immediate a Patre, Spiritum Sanctum solummodo mediate, atque ex hoc utrorumque originem distingui (a): alterum: Spiritum Sanctum principaliter procedere a Patre. Ex his vero consequitur, Patrem, et Filium non eodem modo esse principium Spiritus Sancti.

(a) Vid. loca Patrum apud Petavium *De Trinit.* lib. 7. cap. 11. num. 1. et seq.

R. illud prius; quod apud Patres potissimum Græcos legitur, ita intelligi non debet, ut Pater solum Filium proxime producat, Filius vero deinde proxime producat Spiritum Sanctum: id enim rectæ fidei adversatur, uti per se patet; et *Tract.* 100. num. 4. in *Joannem* S. Augustinus monet: sed hoc modo intelligi debet, ut Pater secundum naturam sit prius origo Filii, quam Spiritus Sancti, atque inter Patrem, et Spiritum Sanctum, naturæ prioritatis ratione habita, Filium intercedere mente concipiamus, sine quo non haberetur Persona Patris, utpote quæ subsistit per Paternitatem, secundum quam non procedit Spiritus Sanctus. Ceterum quod spectat ad processionem Spiritus Sancti, est ea proxime tam a Patre, quam a Filio, quum utriusque una, eademque spiratio sit. „A quo autem (inquit S. Augustinus lib. „15. *De Trinit.* num. 48.) habet Filius, ut sit Deus: est enim „de Deo Deus, ab illo habet utique, ut de illo etiam procedat „Spiritus Sanctus: ac per hoc ut Spiritus Sanctus etiam de Fi„lio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre... „Spiritus Sanctus non de Patre procedit in Filium, et de Filio „procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque „procedit: quamvis hoc Pater Filio dederit, ut quemadmodum „de se, ita de illo quoque procedat."

Ad alterum respondet S. Anselmus in lib. *De Process. Spir. Sanct.* cap. 18. „Quod si dicitur (inquit) quia Spiritus Sanctus „principaliter est de Patre, quasi magis sit de Patre, quam de „Filio; non ita dicendum est, ut intelligatur ulla prædictarum „varietatum inesse: sed quoniam Filius hoc, quod est, de Pa„tre habet; idcirco hoc ipsum, quod Spiritus Sanctus est de Fi„lio, habere de Patre, de quo habet esse, non inconvenienter „asseritur... Quapropter sicut Pater non est magis Deus, quam „Filius, quamvis Filius habeat esse a Patre: ita non est Spiri„tus Sanctus magis de Patre, quam de Filio; licet Filius a Pa„tre habeat, ut de illo sit Spiritus Sanctus."

CAPUT OCTAVUM.

De particula Filioque addita Symbolo Constantinopolitano.

De origine hujus additionis non una, sed multiplex auctorum opinio est, in hoc tamen omnes consentiunt, videlicet, non statim in sui initio ab universa Ecclesia eam receptam fuisse. Acquiescendum esse videtur opinioni illorum, qui tuentur, ab Hispanis omnium primis ineunte sec. 5. in Professionibus fidei eamdem additam fuisse, sicuti constat ex Concilio Toletano I., Bracarensi I., Hispalensi, et Bracarensi II., seculo autem 6. cadente adjectam symbolo Constantinopolitano in Ecclesia quoque

publice decantari cœpisse, ex can. 3. Concilii III. Toletani novimus. Hispanos Galli hac in re sequuti fuerunt: quo autem tempore incertum est: inter alios P. Bernardus de Rubeis *Dissert.* 2. *Hist. Dogmat. etc.* cap. 4. seculo 8. id contigisse, putat. In Romana Ecclesia medio seculo 11. receptam, Gazaniga *De Trinit.* Dissert. 5. cap. 3. recte conjicit: alii autem id referunt ad seculum 9., sicuti Witassius inter ceteros *De Trinit.* quæst. 9. sect 2. cap. 5: contra hos autem opponi multa possunt (a). Tandem prædicta additio nedum Latinorum, sed etiam Græcorum communi consensione recepta fuit in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. ann. 1274., et in Florentino ann. 1439. sub Eugenio IV. Quemadmodum autem in Concilio Lugdunensi, ita etiam in Florentino sess. 25. Græcis permissum fuit, ut in Symbolo hanc additionem omitterent, et Clemens VIII. in Const. 34. §. 6. decrevit: „ut Græci quidem teneantur credere, Spiritum Sanctum a Filio procedere, sed non „ teneantur pronuntiare, nisi esset scandalum." Unde Benedictus XIV. in §. 30. suæ Constitutionis *Allatæ* advertit, quoad rem istam semper idem haud servatum a Sede Apostolica fuisse: „ quandoque enim (inquit) Orientalibus, et Græcis symbolum absque voce *Filioque* recitare permisit; tunc nimirum „quum certo constiterat, priora duo capita, seu articulos ab „ illis recipi.... nonnunquam vero symbolum cum additione *Filioque* ab Orientalibus, et Græcis recitari omnino voluit; quum „ scilicet merito suspicari potuit, eosdem ideo nolle symbolum „ cum additamento recitare, quod adhærerent errori opinantium, et asserentium, Spiritum Sanctum a Patre, et Filio „ non procedere, vel ab Ecclesia additionem illam *Filioque* „ symbolo fieri non potuisse."

Prop. Particula *Filioque* Symbolo Constantinopolitano addita jure merito fuit.

Prob. prop. Concilium Nicænum œcumenicum I. Symbolo Apostolorum vocem *Consubstantialem* adjecit contra errorem Arianorum. Constantinopolitanum I. hæc spectantia ad Filium superaddit Symbolo Nicæno: *ex Patre natum ante omnia secula:* et incarnatum *ex Spiritu Sancto ex Maria Virgine*: et quoad Spiritum Sanctum: *et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre, et Filio simul adorandum, et conglorificandum, qui loquutus est per Prophetas*: Concilium Ephesinum vocem *Deiparam* Symbolo quidem non adjecit, sed in fidei professione adhibuit, ut Nestorii contrarius error distincte exprimeretur. Tandem Concilium Chalcedonense Symbolo Nicæno hæc adjecit, quæ spectant ad Filium: *consubstantialem Patri secundum Deitatem: et consubs-*

(a) Vid. Petavius *De Trinit.* lib. 7. cap. 2.

tantialem nobis secundum humanitatem. Profecto Græci de his additionibus, seu, ut verius dicam, explicationibus in pluribus Conciliis ab Ecclesia factis pro necessitate temporum contra varios errores nunquam conquesti fuerunt, atque etiam nunquam contra Ecclesiam reclamarunt, quasi auctoritate sibi tradita abusa ipsa fuisset: omnino ergo immerito, immo præter omnem rationem conqueruntur, vocem *Filioque* additam Symbolo Constantinopolitano Ecclesiæ auctoritate fuisse.

Et re quidem vera ut hujusmodi additiones rite, recteque fiant, duo requiruntur: 1. legitima potestas: 2. causa gravis, valdeque rationabilis. Porro potestate, quæ est in Oecumenicis Conciliis, quorum sanctiones auctoritate supremi Ecclesiæ capitis probatæ sint, atque confirmatæ, nemine dissentiente, nulla major potestas in Ecclesia esse potest. Aliunde autem error negantium processionem Spiritus Sancti a Filio est æque gravis, ac ceteri errores contra Mysterium SS. Trinitatis. Illud quoque accedit, sicut initio cap. 4. hujus libri animadvertimus, jam ante II. Lugdunense Concilium in Concilio Oecumenico VIII. damnatum fuisse Photium, qui Catholicos traducebat uti hæreticos, quia Spiritum Sanctum etiam a Filio docerent procedere. Quare ut huic errori, qui etiam post condemnationem Photii non semel revixit, magis, magisque prospiceretur, particulam illam *Filioque* Symbolo superaddendam primo Lugdunenses, deinde Florentini Patres recte, sapienterque constituerunt.

Dices. In synodo Ephesina statutum fuisse, legimus part. 1. act. 6. „alteram fidem nemini licere proferre, vel conscri„bere, aut componere præter eam, quæ definita est a Sanctis „Patribus Nicææ congregatis cum Spiritu Sancto." Id autem sub pœna depositionis Episcopis, et Clericis, excommunicationis vero laicis interdicitur. A synodo autem quamvis novam expositionem prohibitam fuisse, Episcopus Nicænus ses. 8. Florentini Concilii ostendit auctoritate Cyrilli, qui in epist. ad Acacium Melitinæ Episcopum (a) affirmat, Patres Ephesinos, *necessario providisse, non oportere aliam fidei expositionem in Ecclesias Dei inferre præter eam, quæ jam extabat.* Et in epist. ad Joannem Antiochenum (b) loquens de Symbolo Nicæno ait: *neque enim aut nobis, aut ulli omnino alteri vel unam vocula m ibi positam immutare, aut ullam etiam syllabam præterire permittimus.*

In Synodo Chalcedonensi Act. 2. quum Judices petiissent, ut nova formula fidei conderetur, et quidem, ut par est credere, conformis Nicænæ, atque Constantinopolitanæ, Patres clamaverunt: *expositionem alteram nullus facit, neque tentanus;*

(a) Tom. 3. Concil. edit. Hard. col. 1117.
(b) Cit. tom. col. 1112.

neque audemus exponere. Docuerunt enim Patres, et in scriptis custodiuntur, quæ ab ipsis sunt exposita, et citra ea dicere non possumus. Penes se ergo nullam esse facultatem adjiciendi aliqua iis, quæ a præcedentibus Patribus erant constituta, hujus Synodi Præsules fatentur.

Deinde Agatho Summus Pontifex in sua epist. ad Imperatores, quæ lecta fuit Act. 4. Synodi Oecumenicæ VI. ita habet: „Quæ regulariter a Sanctis, et Apostolicis prædecessoribus, et venerabilibus quinque Conciliis definita sunt, cum „simplicitate cordis, et sine ambiguitate a Patribus traditæ fidei „conservamus, unum, atque præcipuum bonum, semper optantes, atque studentes, ut nihil de eis, quæ regulariter definita sunt, minuatur, nihil mutetur, vel augeatur."

Tandem Act. 7. Synodi Oecumenicæ, recitata definitione fidei, Patres hæc addiderunt: *nos legem Patrum custodimus: nos eos, qui addunt quid, vel adimunt de Ecclesia, anathematizamus.*

R. in hisce omnibus nihil contineri, quod Græcis faveat. Eo ergo spectarunt omnes Patres de quibus nunc mentio facta est: 1. quidem ut nulla formula fidei ederetur contraria Nicænæ, vel Constantinopolitanæ, earumque sensui opposita: 2. autem ne privata auctoritate ederetur, licet conformis iisdem, atque consentanea.

Ad hæc sane duo respexerunt Patres Ephesini: nam ipsi quoque recepere symbolum Constantinopolitanum, in quo aliqua spectantia ad Spiritum Sanctum superaddita iis erant, quæ in symbolo Nicæno continebantur. Deinde animadverti debet, illud decretum ea latum occasione fuisse, quo symbolum Nestorianum a Carisio presbytero oblatum fuit. Illud enim Patres Ephesini non solum rejecerunt, sed etiam sanxere, ut in futurum prospicerent, ne altera fidei expositio fieret: altera, inquam, cujusmodi erat expositio Nestorianorum, et facta privata auctoritate, et orthodoxæ fidei contraria. Neque obest, Patres Ephesinos vocem *Deiparam* symbolo superaddere noluisse: id enim supervacaneum erat, quum Deus ex Virgine natus in eodem symbolo diceretur.

Quæ autem Patrum Ephesinorum, etiam Cyrilli sententia fuit; respicit enim ipse Nestorianos, quorum audaciam Synodus Ephesina fregit, dum et symbolum eorum proscripsit, et opportune statuit, ne definitiones fidei quisquis pro suo arbitrio scriberet, atque vulgaret, damnavitque illas, quæ definitionibus Nicænis quolibet modo opponerentur. Hinc Cyrillus in eadem epistola ad Acacium Episcopos Phœniciæ non solum non accusat, sed etiam ab omni reatu excusat, quia, ut se a Nestorianismo purgarent, ampliorem quamdam expositionem fidei ediderant, eosque decretum synodi Ephesinæ nullatenus violasse

contendit, quoniam qui ab erroris nota se purgat, *nihil utique novi molitur, nec fidei expositionem innovare deprehenditur, sed potius eam, quam de Christo habet, fidem interrogantibus perspicuam reddit.*

Ut a Concilio Calcedonensi novum symbolum contra errores Eutychetis ederetur, nulla necessitas postulabat, quum jam proscriptus ille fuisset in symbolo Nicæno, atque Constantinopolitano, in quibus definitum jam fuerat, Christum esse simul Deum, et hominem, statutum quoque erat divinam, et humanam naturam in eo esse. Licet vero Patres novum symbolum condendum a se esse non putaverint, tamen solemni declaratione constituerunt: *Filium esse consubstantialem Patri secundum Deitatem, et consubstantialem nobis secundum humanitatem.* Quæ sane verba ita unita neque in Nicæno, neque in Constantinopolitano symbolo leguntur.

Agatho autem Summus Pontifex, sicuti etiam Patres synodi Oecumenicæ tum VI., tum VII. hoc illud unum volunt, quod Patres priorum Conciliorum, videlicet, neque per additionem, neque per subtractionem, neque per quamvis explicationem aut mutari, aut in alium sensum ea trahi posse, quæ in Conciliis ante se habitis constituta erant: nam illorum ipsa quoque verba id manifeste præseferunt.

Illud nunc tandem advertimus, Græcos immerito conqueri, inconsulta, immo invita Orientali Ecclesia, hanc additionem factam fuisse: nam licet determinari non possit tempus, in quo additio hujus vocis in quibusdam Ecclesiis adhibita fuerit; tamen nemo dubitare potest, in synodo Oecumenica Lugdunensi II., et in Florentina communi consensione utriusque Ecclesiæ eam firmatam fuisse. Deinde, sicuti jam monuimus, Græcis data fuit potestas abstinendi ab hujusmodi voce, semel ac tamen in dogmate consentirent cum Latinis.

CAPUT NONUM.

De necessitate credendi Spiritum Sanctum a Filio æque procedere, ac a Patre.

Lib. præced. cap. 9. confutavimus errorem Arminianorum effutientium fidem divinitatis Jesu Christi non esse necessariam ad salutem æternam consequendam: recentem Arminianum quoad necessitatem fidei de processione Spiritus Sancti æque a Filio, ac a Patre, nunc in fine hujus libri refellere aggredimur, videlicet Joannem Nep. Bartolotti, qui in sua *Exercit. Politico-Theologica de Libert. Conscient., de Relig. Tollerantia, deque disunitorum Statu Græcor.* Viennæ ann. 1782. typis edita sub specie unionis procurandæ inter Latinos, et Græcos

Schismaticos hoc inter alia medium proponit cap. 4. num 15. videlicet „ si Spiritus Sancti a Patre, et Filio processionis modus inter veritates pure Theologicas, de quibus salva Religionis unitate disputari possit, non autem inter dogmatica, revelataque scita referatur."

Prop. Processio Spiritus Sancti æque a Filio, ac a Patre, est dogma fidei, quod unusquisque ad salutem æternam consequendam credere debet.

Prob. prop. Illud est dogma fidei ab unoquoque credendum, ut æternam salutem consequatur, quod in Verbo divino tum scripto, tum tradito continetur, et quatenus tale ea majori auctoritate, quæ in Ecclesia dari potest, esse dogma fidei, definitum accepimus: at vero hæc omnia quoad hoc dogma, de quo agimus, constant ex iis, quæ jam ostendimus: constat sane de eo ex verbo divino tam scripto, quam tradito, constat ex definitionibus Summorum Pontificum, et Conciliorum Oecumenicorum, immo vero ex repetitis definitionibus eorumdem pro diversitate temporum, constat singillatim ex additione illius vocis *Filioque*, Ecclesiæ communi consensione recepta: ergo processio Spiritus Sancti a Patre, et Filio est dogma fidei, quod unusquisque ad salutem æternam consequendam credere debet. Veritas majoris propositionis unicuique perspecta esse debet: si enim dogma fidei non sit illud, quod modo descripsimus, nullus sane unquam videbit, quodnam tandem esse possit. De veritate quoque minoris propositionis constat ex iis, quæ in pluribus præcedentibus capitibus distincte disseruimus.

Et revera quæ sunt fidei, unicum, idemque principium habent, videlicet verbum divinum scriptum, vel traditum, quod propter infallibilitatem revelantis errori, vel incertitudini obnoxium esse non potest, et propter auctoritatem nemo illi præbere fidem non debet: hoc ergo dogma fidei, de quo disputamus, aut negatur esse divinitus revelatum, aut conceditur: negari a viro catholico non potest, quia ea majori auctoritate, quæ est in Ecclesia, definitum fuit, esse revera dogma fidei, utpote nobis traditum in divino verbo tam scripto, quam tradito: si autem concedatur, esse divinitus revelatum, propter infallibilitatem, et auctoritatem revelantis, nemo illi dissentire potest, immo vero unusquisque certissimam præbere fidem debet.

Postremo semel ac admittatur, fidem hujus dogmatis non esse necessariam ad salutem, etiam de hoc, vel illo dogmate, immo de omnibus dogmatibus usque ad unum idem affirmare quispiam poterit: fundamentum enim, cui hoc dogma innititur, est idem cum fundamento illius, alteriusve dogmatis, atque etiam omnium dogmatum usque ad unum: ergo tanta absurditate semel posita, tam perversa licentia opinandi semel constituta, om-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

nia dogmata fidei christianæ subvertuntur, immo ipsa fides tota, quanta est, subvertitur.

Dices. Unio Schismaticorum cum Latinis facile habetur, quod sane desiderandum est, semel ac processio Spiritus Sancti inter veritates *pure Theologicas*, non vero inter *dogmatica*, *revelataque scita* referatur: tunc enim relinquitur optioni Schismaticorum eam credere, vel non credere. Referri autem posse processionem Spiritus Sancti ad Theologicas veritates, inde constat, inquit cit. Auctor (a): „quia nemo unus mortalium ad hunc „processionis modum pertingere potest: ergo nemo mortalium „tenetur præfatum processionis modum credere."

R. bellam sane hanc esse rationem ad destruenda dogmata fidei. Profecto in nullius unquam sani hominis mentem venit, se novisse modum æternæ generationis, coexistentiæ trium personarum divinarum in eodem tempore, earumdem distinctum numerum simul cum unitate ejusdem indivisæ naturæ, unionem divinæ cum humana natura absque ulla utriusque commixtione, et ut multa alia omittamus, transubstantiationem panis in corpus, et vini in sanguinem Christi: igitur quia horum dogmatum modus ignoratur, ad pacem componendam cum hæreticis, qui illa, et alia similia negant, ea inter veritates Theologicas referri ita poterunt, ut in eorumdem hæreticorum sit arbitrio positum, illa credere, vel non credere. Non fuit ergo, cur Ecclesia in condemnatione hujusmodi errorum tantum laboraverit, non fuit, cur Patres contra errores tam acriter pugnaverint, non fuit, cur tam multi Ecclesiæ Præsules tam graves labores sæpe subierint, ut ad sarta tecta servanda dogmata fidei in unum simul convenirent. Satis erat, ut talia mysteria ad veritates pure Theologicas referrent, quia modus illorum nobis non innotescit, atque ita cum multis, quos a sua, et Ecclesiæ communione repulerunt, unionem servassent. Ludit ergo citatus Auctor, quando processionem Spiritus Sancti a Filio inter veritates Theologicas referri posse inde colligit, quia obscurus est modus processionis Spiritus Sancti a Patre, et Filio.

APPENDIX

De cautione servanda in iis omnibus loquutionibus, quibus explicatur mysterium SS. Trinitatis.

Ad unitatem naturæ, et distinctionem personarum hac in re attendatur oportet, ita ut, si de illa sermo sit, eæ loquutiones non adhibeantur, quæ multiplicitatem, vel divisionem exprimunt;

(a) In Nota.

si de ista; talis loquendi modus non usurpetur, qui opponatur numero, et distinctioni personarum.

Primo itaque aliqua de unitate naturæ. Trinitas igitur, sive Pater, Filius, et Spiritus Sanctus recte dicuntur unus Deus, quemadmodum a Patribus traditum habemus (a): „Agnoscis in „fide catholica (inquit S. Augustinus epist. 120. num. 17., alias „epist. 222.) quoniam hoc est verum, hoc est confirmatum, quod „Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, ideo quum sit Trini„tas, unus est Deus, quia inseparabiliter sunt unius, ejusdem„que substantiæ, vel (si hoc melius dicitur) essentiæ." Simili ratione, sicut ait idem Augustinus in lib. 1. *Cont. Maximinum Arianum* cap. 10. *Pater, Filius, et Spiritus Sanctus unum sunt: quod quidem propter unitatem substantiæ fidelissime certe credimus.* Eadem vero ratione hunc dicendi modum: *Unum est Trinitas*, a Patribus usurpatum legimus; Unum, inquam, non genere masculino, sed neutro, quatenus ad unitatem substantiæ refertur, non vero personæ. Hinc Sabellianum esset dicere: *Trinitas est unus*, quia significaretur, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum esse unam personam. Ut ergo Voci *unus* non persona, sed substantia respondeat, voce determinetur oportet, propterea que recte dicitur: *Trinitas est unus Deus.*

At vero Trinitas non tantummodo *unum*, aut *unus Deus* dicitur, sed etiam *Unitas*, sicuti lib. 7. *Originum* cap. 4. apud Isidorum legitur. Adhibendam autem vocem unitatis, non vero unionis, nonnulli SS. Patres adverterunt, inter quos præcipue S. Hilarius lib. 7. *De Trinit.* num. 15. et in lib. *Cont. Constat.* num. 18. Unitas enim est quid simplicissimum, unio autem quid compositum, videlicet ex iis, quæ in unum aliquod conveniunt. „Quare (sicuti habet Angelicus 1. p. quæst. 39. art. 3.) „Socratem, et Platonem, et Ciceronem dicimus tres homines; „Patrem autem, et Filium, et Spiritum Sanctum non dicimus „tres Deos, sed unum Deum: quia in tribus personis humanæ „naturæ sunt tres humanitates; in tribus autem personis divi„nis est una essentia."

Deus est sane unus: attamen Pater est Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus, ideo dici potest: Deus genuit Deum, si nomine Dei persona intelligatur, sicut advertit Angelicus 1. p. quæst 39. art. 4. Hinc Patres Nicæni in symbolo Filium vocarunt: *Deum de Deo: lumen de lumine.*

Tandem adverti debet, nomina substantiva in numero plurali de Deo dicenda non esse, quia, sicut ait Angelicus 1. p. quæst. 39. art. 3. *significant aliquid per modum substantiæ*, ac propterea in numero plurali significant ipsius substantiæ multiplicitatem. Hinc falso dicitur, *Pater, Filius, et Spiritus Sanctus*

(a) Vid. Petavius *De Trinit.* lib. 8. cap. 3. num. 2. et seq.

sunt tres Domini, vel Creatores. Item generatim nomina, quæ ob essentiam divinis personis conveniunt, in numero plurali non debent adhiberi: recte tamen in numero plurali adhibentur, quæ eisdem competunt ob proprietates personales: unde recte dicitur; una est existentia in Deo, tres vero subsistentiæ: alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non vero aliud; quia vox alius personam, aliud autem respicit naturam.

Controversia autem de Trina Deitate, quæ sec. 9. inter Hincmarum Episcopum Remensem, et Ratramnum Monachum potissimum exarsit, contendente illo, dici non posse: *Te Trina Deitas*, isto affirmante, catholice dici, tota posita fuit in contentione interpretationis nominis ipsius Deitatis. Deitas enim est naturaliter una, personaliter vero trina: unde semel ac *Trina* ad personarum solum numerum referatur, recte dicitur: *Te Trina Deitas*, atque secundum hanc acceptionem invaluit usus in Ecclesia, ut diceretur.

Modo de vocibus, dicendique rationibus, quæ ad trium personarum distinctionem explicandam deserviunt. Primo itaque loco in hunc sensum venit hæc vox *Trinitas*, quæ significat tres, non quatenus sunt unum, sed quatenus numerari possunt. Inde vero numerari possunt, *quod personarum sunt ab invicem proprietate distincti*, sicuti ait S. Fulgentius *De Fide ad Petrum* num. 4. Unde S. Joan. Damascenus lib. 3. *De Fide Orth.* cap. 8. *Sciendum* (inquit) *ea in numerum cadere, quæ inter se distinguuntur, nec numerari ea posse, inter quæ nulla distinctio est.* Quare numerus ternarius per se, quatenus est numerus unitatum, naturæ notionem in se non continet, sicuti S. Gregorius Nazianz. Orat. 37. animadvertit contra Arianos. Objiciebant enim ipsi catholicis, tres Deos secundum sententiam eorum admitti debere, propterea quod numerus convenit iis, qui sunt *homousiòn*, non vero diversæ substantiæ: contra illos ergo Nazianzenus reposuit: *numerum vim habere significandæ quantitatis rerum subjectarum, non earum naturæ.* Ipsa ergo natura rerum numerarum est extra significationem numeri, quum in ea spectetur sola pluralitas, atque multitudo. Hinc illud vulgatum apud Patres tam Græcos, quam Latinos, quod S. Fulgentius lib. *De Fide ad Petrum* num. 4. ita expressit: *ipse verus Deus in personis Trinitas est, et in una natura unus est.*

Est igitur Trinitatis nomen collectivum: id tamen adverti debet cum Angelico 1. p. quæst. 31. art. 1. ad 2., quod nomen collectivum duo importat, scilicet pluralitatem suppositorum, et unitatem quamdam, scilicet ordinis alicujus. Populus enim est multitudo hominum sub aliquo ordine comprehensus. Quantum ergo ad primum hoc nomen Trinitas convenit cum nominibus collectivis, sed quantum ad secundum differt: quia in divina Trinitate non solum est unitas ordinis, sed cum hoc est etiam unitas essentiæ.

Numero ternario ea simpliciter exprimuntur, quæ sunt propria personarum, non vero quæ absoluta, atque communia tribus personis: unde tres personas, sive tria subsistentia dicimus, tres Deos non dicimus. Nonnulli tamen ex antiquis Patribus etiam nomina absoluta, et communia tribus personis pluralí, et ternario numero quandoque expresserunt. S. Gregorius Nazianz. Orat 13. loquens de Trinitate eam appellat *vitas, et vitam: lumina, et lumen: bona, et bonum*: Orat. 34. *tres Sanctitates*. Hac tamen loquendi ratione qui usi fuerunt, non censuere, quæ sunt absoluta, et communia tribus personis, esse propria singularum, sed una, et individua, sicuti est essentia, in tribus personis.

In explicanda distinctione personarum illa quoque cautio debet adhiberi, ut *alium, atque alium* dicamus, scilicet Patrem, et Filium, non vero *aliud, atque aliud*. Unde universe, et generatim pro certa regula habeatur oportet, ut nomina masculina, vel pronomina de singulis personis distincte proferamus, non vero plura neutra, sed unum commune tribus personis accommodemus. Hujus autem ea est ratio, quod masculina designant personam, neutra vero essentiam. Hinc Augustinus *Tract.* 36. *in Joan.* num. 4. „Quid vis ire in alteram partem, ut „dicas, alius est Pater, Filius aliud? Alius est, recte dicis, „aliud, non recte. Alius est enim Filius, quia non est ipse, „qui Pater, et alius Pater, qui non est ipse, qui Filius: non „tamen aliud, sed hoc ipsum est Pater, et Filius."

DISPUTAT. VI.

DE DEO CREATORE.

Sicuti monet Angelicus initio quæst. 44. part 1., explicatis iis, quæ spectant ad personas divinas, quomodo creata procedant a Deo, explicandum est. Id nunc præstabimus, atque hunc ordinem in hac tota disputatione sequemur: in lib. 1. agemus de natura ipsius creationis, et necessitate ejus principii, a quo illa sit: in 2. de ipso principio, a quo creatio haberi potest.

LIBER PRIMUS.

De notione creationis, illiusque necessitate principii, a quo ea sit.

In 1. cap. notionem creationis explicabimus, in altero agemus de necessitate ejus principii, a quo illa sit, oportet.

CAPUT PRIMUM.

De notione creationis.

Sicuti monet Angelicus 1. p. quæst. 45. art. 1., non solum emanatio unius entis singularis ab altero ente item singulari attendi debet, sed etiam emanatio totius entis a causa universali, quæ est Deus. Hujusmodi autem emanatio venit sub nomine creationis, quæ est productio rei ex nihilo, seu ex nullo præsupposito subjecto. Hinc in creatione neque mutatio proprie dicta, neque motus, vel successio præsupponi potest. Nam in mutatione proprie dicta aliquid præcedere debet, quod antea diversa ratione sese habeat: in creatione vero nihil præcedit. Simili modo quia motus terminum in eo habet, quod existit, nullaque successio sine subjecto præexistente dari potest; inde est, ut neque motus, neque successio in creatione locum habeant. Tamen secundum nostrum intelligendi modum est in ipsa creatione quædam mutatio improprie dicta, quatenus unam, eamdemque rem primo uti non existentem, deinde autem existentem concipimus.

Utrum Ethnici Philosophi lumine naturæ noverint creationem ex nihilo, disputatur inter eruditos: non novisse, plures contendunt, atque etiam plures contra sentiunt: auctores utriusque sententiæ Gazaniga diligenter recensuit (a). Creatio res sane est, de qua non solum ex divino verbo tum scripto, tum tradito constat, sed etiam, quemadmodum infra ostendemus, ex naturali ratione; verum non omnia, de quibus constat etiam ex lumine ipso rationis, Philosophis æqualiter perspecta fuerunt. Attendi enim debet, quædam istorum facili, et non longius petito ratiocinio detegi; alia vero ut detegantur, et magis subtile, et longius petitum ratiocinium requiri: illa Ethnici quoque Philosophi facile noverunt, non vero ista. Hujus generis rem hanc, de qua agimus, esse arbitror: quamvis enim res ista quoque lumine rationis perspici possit, et revera perspiciatur; tamen pendet ex pluribus antea demonstratis, atque non adeo facili ratiocinio de illius veritate constat. Quia vero aliqui Ethnicorum acriori ingenio præditi fuerunt; ideo si ad rationem metaphysicam attendatur, dicendum est, fieri potuisse, ut nonnulli eorum viderint necessitatem creationis.

(a) Dissert. 1. *De Creat.* cap. 1. not. 1.

CAPUT SECUNDUM.

De necessitate ejus principii, a quo entia finita habent, ut sint.

Dualistæ, hoc est, Marcionitæ, Manichæi, Gnostici, Cerdoniani, atque alii, qui duo prima principia admiserunt, unum boni, alterum mali, materiam esse increatam statuerunt. Hunc errorem, qui materiam increatam respicit, plures Increduli nostrorum temporum sequuti sunt: inter istos recenseri debet Boulainvillersius in sua *Refutat. Syst. Spinosæ*, revera autem defensione, Auctor *Philosoph. Boni Sensus* tom. 1. Reflex. 3. §. 5., Rousseaus in epist. ad Archiep. Parisien., et Auctor impiissimi libelli inscripti: *Systema naturæ*.

Prop. I. Nullum ens finitum a se esse potest.

Prob. prop. Quod est a se, causa sibi est, ut sit: ergo existit independenter a quacumque causa: ergo nihil habet, a quo circumscribi possit: ergo omnino sit perfectum oportet: sed ratio entis undequaque perfecti cum ente finito pugnat: simul enim finitum, et infinitum esset: ergo nullum ens finitum a se esse potest. „Præscribo (inquiebat Tertullianus *Advers. Hermogenem* cap. 7.) non capere ullam diminutionem, et humilia„ticnem, quod sit æternum, et innatum: quia hoc et Deum „faciat tantum, quantus est, nullo minorem, neque subjec„tiorem, immo omnibus majorem, et sublimiorem... Quomodo „ergo discernere audebit Hermogenes? atque ita subjicere Deo „materiam æternam æterno, innatam innato, auctricem aucto„ri? dicere audentem: et ego prima, et ego ante omnia, et „ego a quo omnia: pares fuimus, simul fuimus, ambo sine initio si„ne fine, ambo sine auctore, sine Deo." Hæc autem, quæ Tertullianus quoad materiam increatam Hermogeni opponebat, contra improductionem cujuscumque entis finiti opponi possunt.

Non solum hanc rationem Apologistæ Religionis christianæ contra Ethnicos urgere non destiterunt, sed etiam illam, qua probatur æternum esse debere, quod est a se: itemque alteram: quod est a se, alicui mutationi obnoxium esse non posse, quam sane Tertullianus contra Hermogenem in medium protulit, atque etiam S. Theophilus lib. 2. ad Autolycum num. 4. (a).

Prop. II. Primum aliquod principium ponatur oportet, a quo, ut sit, ens finitum habeat.

Prob. Entia finita videmus, eaque a se esse non posse, jam

(a) Vid. nostram *Theol. Natural.* lib. 1. quæst. 1. art. 4.

ostendimus; ergo primum aliquod principium admittatur oportet, a quo ea habeant, ut sint.

Deinde nihil producere non potest, nisi nihil: igitur ens finitum, quum a se esse non possit, a se, ut ita dicam, est nihil: ergo nunquam esse potest, ut sit, nisi admittatur causa, seu principium, a quo sit: ergo necessario admitti debet aliquod principium, a quo ens finitum habeat, ut sit, semel ac revera sit: sed entium finitorum numerus est prope infinitus: ergo.

Impie autem, insipienterque confingitur, unum ens finitum ab alio, aliud ab alio, atque ita per totam æternitatem semper aliud ab alio in infinitum fuisse productum, indeque nullum primum a se existens principium entium finitorum admitti oportere: nisi enim hoc primum principium admittatur, semper dicendum erit, quod non erat, fuisse sibi in causa, ut esset: quod nullo modo existebat, agendi vim habuisse: tam multa entia extitisse sine causa sui. Hæc autem absurda consequuntur, etiamsi per totam æternitatem, non interrupta successione, hanc seriem entium finitorum productam fuisse, supponatur: etenim sive breviori, sive diuturniori tempore, sive etiam per totam æternitatem productionem hujusmodi entium finitorum factam fuisse, fingatur; nunquam tamen ne fingi quidem potest, eam habitam sine aliqua sui causa fuisse, quum effectus sine causa sui esse non possit, licet illum ab infinito tempore productum fuisse comminiscamur. Quandoquidem propter hanc commentitiam infinitatem successivæ productionis entia, quæ sunt finita, et propter hoc a se esse non possunt, talia esse non desinunt: ergo sicuti hoc, vel illud ens finitum non potest esse a se; ita neque aliud, atque aliud in infinitum: ergo causa, seu principium tam unius entis finiti, quam plurimorum quorumcumque entium finitorum admittatur oportet.

Immo vero dum entium finitorum infinita hujusmodi successio sine prima causa, aut principio confingitur, sese magis magisque prodit insipientia confingentis; nam repugnat, ut unum ens finitum a se existat: ergo multo magis repugnabit, ut duo, tria, quatuor etc. a se existant: ergo infinite repugnabit, ut hujusmodi infinita successio entium finitorum a se existentium admittatur.

Dices I. Materiam, seu ens finitum productum ex nihilo intelligi non potest a nobis, licet mente concipere admitamur efficientem causam, per quam id convertatur in substantiam realem, quod antea erat nihil: semper enim imaginationi nostræ principium illud obversatur: *Ex nihilo nihil fit* (a): igitur creatio

(a) Bæhius in Dict. art. *Spinosa* remarq. o.

saltem opinioni probabiliori contraria est, eamque fide tantum tenere debemus (a).

R., quomodo materia, seu ens finitum, sit ex nihilo, a nobis quidem non posse intelligi; tamen evidentissima ratione perspici, tam materiam, quam quolibet ens finitum, ex nihilo esse debere, sicut ea omnia ostendunt, de quibus usque modo disseruimus. Nam nullum ens finitum a se esse potest, ideoque aliquod primum principium ponatur oportet, a quo sit: a quo, inquam, sit, quum antea nullo modo esset. Non solum autem in physicis, sed etiam in moralibus, immo in quolibet genere scientiarum omnia turbarentur, si quæ fiunt, aut facta sunt, inde negaremus, quia nobis non est perspecta ea ratio, qua fiunt, aut facta sunt. Semel ac ergo certis argumentis nobis constat de necessitate creationis quorumlibet entium finitorum, æquo jure eam negare nullo modo possumus.

Sicuti vero Angelicus advertit 1. p. quæst. 45. art. 2. ad 1. „Antiqui Philosophi, non consideraverunt nisi emanationem „effectuum particularium a causis particularibus, quas necesse „est præsupponere aliquid in sua actione. Et secundum hoc „erat eorum communis opinio: ex nihilo nihil fieri; sed tamen „hoc locum non habet in prima emanatione ab universali rerum principio." Hujus autem rei istam rationem affert: „Creatio non est mutatio nisi secundum modum intelligendi „tantum. Nam de ratione mutationis est, quod aliquid idem „se aliter habeat nunc, et prius.... Sed in creatione, per „quam producitur tota substantia rerum, non potest accipi ali„quid idem aliter se habere nunc, et prius, nisi secundum in„tellectum tantum.... Sed quia modus significandi sequitur mo„dum intelligendi, ut dictum est, creatio significatur per mo„dum mutationis."

Dum vero dicitur, creationem entis finiti esse contrariam opinioni probabiliori, id sane dicitur, quod esse aperte falsum, jam ostendimus. Fide autem tenendam esse creationem, et nos tuemur, quum articulus fidei ipsa sit: verum non ideo credenda est creatio, quasi etiam ratione de ea non constet, multoque minus quasi opinioni probabiliori adversetur. Tunc enim sequeretur, ut ea quoque sub fide caderent, quæ probabilius rationi adversantur: quod sane est omnino falsum, sicuti ostensum est a nobis (b).

Dices II. Quod fit ex nihilo, vel incipit esse in eo instanti, in quo antea non erat, vel in instanti subsequenti: non in priori; alias in eodem instanti esset, et non esset: non in altero, quia quum inter hæc duo instantia sit medium tempus, in eo

(a) Auctor Philos. *De Bon Sens* tom. 1. Reflex. 3. §. 2.
(b) In Disput super.

aut esse, aut non esse, dici non posset: quod sane repugnat.

Deinde essentias rerum esse æternas, tenent omnes: sunt autem illæ quid finitum: non repugnat ergo esse æternum, quod est finitum, ac propterea non oportet, ut admittatur principium creationis.

R. ad 1. cum Angelico quæst. 3. *De Potentia* art. 1. ad 10. „quum fit aliquid ex nihilo, esse quidem ejus, quod fit, „est primo in aliquo instanti, non esse autem non est in illo „instanti, nec in aliquo reali, sed in aliquo imaginario tan„tum. Sicut enim extra universum non est aliqua dimensio „realis, sed imaginaria tantum, secundum quam possumus di„cere, quod Deus potest aliquid facere extra universum... ita „ante principium mundi non fuit aliquod tempus reale, sed „imaginarium: et in illo possibile est imaginari aliquod instans, „in quo ultimo fuit non ens. Nec oportet, quod inter duo is„ta instantia sit tempus medium, quum tempus verum, et „tempus imaginarium non continuentur."

R. ad 2. essentias rerum esse æternas, quatenus et in se spectatæ, et etiam secundum nostrum modum intelligendi semper fuit in eis, semperque erit eadem connexio suorum prædicatorum essentialium: quæ sane connexio est secundum æternam veritatem; tamen ut quævis essentia existat in suo subjecto, seu ut existat ens participans hanc, vel illam essentiam, creatio necessario requiritur.

LIBER SECUNDUS.

Creationis præmissa notione, et demonstrata necessitate alicujus principii, a quo ipsa sit, nunc de hoc principio singillatim agendum est. In 1. hujus libri cap. ostendemus, Deum esse principium creationis: in 2. hanc potestatem causæ secundæ convenire non posse tam sub ratione causæ principalis, quam instrumentalis: in 3. agemus de Opere sex dierum: in 4. de Præadamitis. Hæc enim quoque ultima duo cadunt sub disputatione creationis.

CAPUT PRIMUM.

De Deo, quatenus est principium creationis.

Deum esse principium creationis tum ratione, tum Scripturæ, tum SS. Patrum auctoritate in tribus distinctis propositionibus ostendemus: ratione quidem contra eos, de quibus præced. lib. cap. 2. mentionem fecimus: auctoritate Scripturæ, contra alios, qui licet concedant, Scripturæ auctoritate constare, Deum esse

creatorem; tamen contendunt „ nunquam in terminis, aut sine „ controversia asseri in Scripturis, materiam e nihilo factam" sicut inquit Episcopius lib. 4. *Instit.* sect 4. cap. 14., cui etiam Beausobrius (a), et nonnulli alii adhæserunt: demum auctoritate Patrum contra Clericum, qui (b) a Clemente Alexandrino materiam creatam admissam fuisse, contendit, et contra Rousseaum idem affirmantem (c) de Justino Martyre, Origine, atque aliis.

Prop. I. Ex ratione naturali constat, Deum creasse, omnia ex nihilo.

Prob. prop. Ordo actionum ab ordine agentium ita pendet, ut actio prima, et præcellentissima omnium a primo supremo, et perfectissimo agente proficisci debeat: ergo creatio ex nihilo est propria ipsius Dei. Prob. cons. Creatio ex nihilo et prima est, et præcellentissima omnium, quia nullam aliam actionem supponit, atque fit per eam, ut res existat independenter a quavis alia causa: ergo si ordo agentium postulat, actionem primam, et præcellentissimam omnium a primo, et supremo perfectissimo agente proficisci, creatio ex nihilo propria est ipsius Dei.

Creare autem ita proprium est ipsius Dei, ut ab ipso, quatenus prima causa, quæ neque pendet, neque pendere potest ab aliis causis, disjungi nullo modo possit: si enim ante actionem Dei ponatur aliquid præexistere, illud vel a se erit, vel ab alia aliqua causa: quodvis autem horum duorum admittatur, Deus non potest amplius dici, et esse prima causa omnium. „ Quid autem magni esset (inquit S. Theophilus *ad Autolycum* „ lib. 2. num. 4.) si Deus ex materia subjecta mundum face- „ ret? Opifex enim apud nos quum materiam ab aliquo acce- „ perit, ex ea, quidquid placuerit, effingit: Dei autem po- „ tentia in eo spectatur, ut ex nihilo faciat quæcumque volue- „ rit." S. Augustinus *Cont. Fortunatum Manichœum* Disput. 1. num. 13. *Omnipotens autem non est, qui quærit adjuvari aliqua materia, unde faciat, quod velit. Confess.* lib. 11. num. 17. *Nam unde tibi hoc, quod tu non faceres, unde aliquid faceres? Quid enim est, nisi quia tu es?* Lactantius *Div. Instit.* lib. 2. cap. 9. „ Homo facit ex eo, quod est: quia per „ mortalitatem imbecillis est, per imbecillitatem definitæ, ac „ modicæ potestatis: Deus autem facit ex eo, quod non est, „ quia per æternitatem fortis est, per fortitudinem potestatis „ immensæ, quæ fine, ac modo caret, sicut vita factoris." Huc spectant ea quoque omnia, quæ in lib. præced. cap. 1. et 2. disseruimus.

(a) Histoir. des Manich. lib. 5. ch. 4.
(b) In 1. epist. ad Archiep. Cantuar.
(c) In epistola ad Archiep. Parisien.

Dices. Quod est finitum a causa creata produci potest: ergo quum finitum sit, quod per creationem producitur, illud a causa creata produci posse debet.

R. dist. produci potest ex præsupposita materia, conc., sine præsupposita materia, neg. Virtus facientis non solum ex substantia facti, sed etiam ex modo faciendi attendi debet: quare si modus agendi requirat infinitam virtutem, cadere ille non potest in causam creatam, licet, quod producitur, sit finitum. „Si enim (inquit Angelicus 1. p. quæst. 45. art. 5. ad 3.) tan„to major virtus requiritur in agente, quanto potentia est „magis remota ab actu, oportet, quod virtus agentis ex nulla „præsupposita potentia, quale agens est creans, sit infinita: quia „nulla proportio est ullius potentiæ ad aliquam potentiam, quam „præsupponit virtus agentis naturalis, sicut non entis ad ens." Unde quum nulla causa creata habeat potentiam infinitam, virtus creandi illi convenire non potest.

Prop. II. Deum creasse omnia ex nihilo, constat ex sacris litteris.

Prob. prop. *Genes.* 1. 1. in principio Deus cælum, et terram creasse dicitur. *Psal.* 148. 5. *Ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt. Sapient.* 1. 14. *creavit enim* (Deus), *ut essent omnia. Machab.* lib. 2. cap. 7. 28. *Peto nate, ut adspicias ad cælum, et terram, et ad omnia, quæ in eis sunt, et intelliges, quia ex nihilo fecit illa Deus.* His conformia sunt ista, quæ in novo Testamento leguntur *Joan.* 1. 3. *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Ad Coloss.* 1. 16. *Quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis, et in terra, visibilia, et invisibilia... omnia per ipsum, et in ipso creata sunt.*

Fatemur quidem vocem hebraicam *barà* in sacris litteris sumi aliquando minus proprie, videlicet pro productione alicujus ex præjacente materia, sicut etiam in hoc cap. Genesis v. 21. et 27. legitur: illud quoque concedimus, Septuaginta Interpretes verbum Hebraicum vertisse: *èpicse*, id est, fecit: verum quando in aliis locis Scripturæ describitur prima productio cunctorum, ea Deus, ut essent, suo verbo creasse dicitur: omnia ex nihilo fecisse: sine ipso nihil factum esse, universaque tam in cælis, quam in terra, visibilia, et invisibilia per ipsum, et in ipso creata. Hi autem omnes dicendi modi, qui absolutam creationem simpliciter exprimunt, si cum loco Genesis 1. conferantur dubitare nemo potest, etiam in isto creationem ex nihilo designari. Eo vel maxime quia in hoc loco Genesis sermo est de prima productione rerum omnium facta a Deo: si ergo omnia, quæ sunt, a Deo creata sunt; in hac productione Deum fecisse omnia ex nihilo, dicendum sane est.

Etsi autem detur, Septuaginta Interpretes verbum Hebraicum vertisse *èpicse*, id est, fecit; tamen ego, licet in hoc nonnulli re-

prehenderint Septuaginta Interpretes, absque ulla accusatione illorum dicere posse mihi videor, verbum: *fecit*, secundum illum sensum accepisse eos, quo sumitur in nostra Vulgata *Psal.* 148. 5. *Ipse dixit, et facta sunt*, sicuti constat ex his aliis: *Ipse mandavit, et creata sunt.* Deinde sicut in Hebraico *barà* significat et creavit, et fecit, ita etiam idem dici potest de verbo Græco *èpicse.*

Dicet. Loca Scripturæ evincunt, Deum fecisse omnia ex nihilo quidem sui, quatenus nihil erat eorum, quæ mundum constituunt, non vero ex nihilo subjecti, quatenus ex nulla præexistente materia producta fuerint: quia enim nihil eorum antea existebat, ex nihilo Deum illa fecisse, dici potest.

Et re quidem vera quum *Sapient.* 11. 18. Deus orbem terrarum creasse dicatur *ex materia invisa*, inde consequitur, omnia creata dici debere ex nihilo sui, non vero subjecti.

R. quæ sunt in mundo, tam ex nihilo sui, quam ex nihilo subjecti a Deo producta fuisse, inde evidenter colligi ex sacris litteris, quia omnia a Deo ex nihilo facta dicuntur. Nam si ex aliqua subjecta præexistente materia dicantur producta; et ista materia a Deo non producta supponatur, omnia ex nihilo a Deo producta fuisse, nullo modo dici potest. Deinde vel ex se hæc materia habuisset, ut esset, vel ex alia præcedenti materia: non prius; quia nihil a se ipso fit: quum nihil sit, antequam sit: non alterum; quia inde sequitur progressus in infinitum, atque adeo infinita absurditas, sicuti cap. 2. præced. lib. jam ostendimus.

Angelicus 1. p. quæst. 66. art. 1. postquam retulit opinionem aliquorum Patrum, qui informitatem materiæ præcessisse putarunt dispositionem hujus mundi, dicit, animadverti debere, habita ratione sensus litteralis, quod Moyses, præmissis duabus naturis creatis, scilicet cælo, et terra, informitatem cæli expres„sit per hoc, quod dixit: *Tenebræ erant super faciem abys„si*, secundum quod sub cælo etiam aer includitur: informita„tem vero terræ per hoc, quod dixit: *Terra erat inanis, et „vacua.*" Hac autem explicatione semel posita, intelligitur, qua ratione mundus ex materia invisa dicatur constitutus. Verum, prout monet S. Augustinus lib. *De Genesi cont. Manichæum* num. 10. „et ideo Deus rectissime creditur, omnia de nihilo fecisse, quia „etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, hæc ipsa „materia tamen de omnino nihilo facta est... Si enim ad eas res, „quas facere volebat, adjuvabat eum aliqua res, quam ipse non fe„cerat, non erat omnipotens, quod sacrilegum est credere."

Prop. III. Ex auctoritate Patrum perspectum habemus, Deum creasse omnia ex nihilo.

Prob. prop. S. Justinus in *Cohortat. ad Græcos* num. 23. Platonem inde redarguit, quia materia increata semel posita,

sicut ille ponebat, opifex nullam in eam potestatem habiturus esset: *Ei enim* (inquit) *qui non creavit, nulla est in id, quod est increatum, potestas.* *Apolog.* autem 1. num. 59. Moysem, et Platonem consentire in eo inter se dicit, ut uterque statuerit, mundum ex informi materia factum: et in hoc nullam sane latere materiæ increatæ suspicionem. S. Theophilus lib. 2. *ad Autolycum* num. 10. loquens de Prophetis ait: *Ac primo quidem summo consensu docuere, Deum ex nihilo omnia fecisse.* Athenagoras in *Legat. pro Christ.* num. 15. ita habet: *Quemadmodum enim figulus, et lutum... ita Deus opifex, et quæ ejus arti obsequitur materia.* Verum non unam, eamdemque utriusque sentit esse rationem, sed diversam, quatenus scilicet lutum ut sit, a figulo non habet, materia tamen a Deo habet, ut sit. Hinc num. 16. superaddit, nos non adorare potestates, sed *earum creatorem, ac dominum.* Clemens Alex., lib. 5. *Stromat.* num. 14. falsam opinionem Heracliti refert, qui *mundum unum quemdam sempiternum esse statuebat, caducum alterum, et pereuntem.* Verum quidem est, quod hunc errorem non refellit, sed neque etiam probat; aliunde vero ostendere, multa Veteres accepisse ex sacris litteris, licet non sano sensu acceperint, hoc vero est, quod Clemens sibi proposuerat, non vero illorum refutare errores, quos referebat. Origenes *Comment. in Joan.* tom. 1. num. 21. *Creatorque* (inquit) *est Christus, tamquam principium, in quantum sapientia est. Comment. in epist. ad Ephes.* num. 3. *Et quomodo nomen commune substantiæ sibi proprium vindicat Deus? illa, ut diximus, causa quia cetera ut sint, Dei sumpsere beneficio.* S. Hilarius *Comment. in Matt.* num. 8. affirmat, *rerum creatarum efficientiam omnem* esse in Verbo, et *Tract. in Psal.* 2. num. 14. *Deus igitur, ex quo omnia sunt, nulla eorum indiget, qui id, quod sunt, esse largitus est: omnia vero ad profectum eorum, quæ gignerentur, creavit.* S. Basilius in *Hexam.* homil. 8. num. 7. omnia a Deo creata affirmat. S. Gregorius Nazianz. Orat. 44. Spiritum cum Filio *rerum creationem fabricare dicit.*

Verum non est, cur hac in re diutius immoremur, et singillatim omnia persequamur, quæ Adversarii ex quibusdam Patribus deprompta, et a se male intellecta, atque in pravum sensum detorta, nobis opponunt. Quum falsum sit judicium illorum de Justino, Clemente Alexandrino, et Origene, jam est ostensum a nobis. Illud nunc tantum eis opponimus, Patres urgere nunquam destitisse, aliam opificum, aliam Dei esse rationem, quia illi supponunt materiam, ex qua construant sua artefacta; Deus autem in productione rerum omnium nullam materiam præexistentem supposuit, quia, ea semel supposita, nulla reliqua esset ratio primæ causæ rerum omnium, nulla omnipotentiæ, et supremi dominii Dei.

CAPUT SECUNDUM.

De ea repugnantia, ob quam causa secunda non potest esse principium creationis neque etiam per modum instrumenti.

Duo in hoc cap. expendemus: 1. utrum causæ creatæ communicari possit virtus principalis creandi: 2. utrum illi convenire possit, ut assumatur pro instrumento creationis: communicari posse quidam tuentur, quia sicut ipsi putant, ad creandum non requiritur virtus infinita: assumi autem posse pro instrumento, alii contendunt. Illud inter ceteros Durandus, istud Scotistæ tuentur: nunc paucis de hac utraque scholastica controversia ad majorem elucidationem eorum, quæ in superiori cap. disseruimus.

Prop. I. Virtus principalis creandi communicari non potest alicui causæ creatæ.

Prob. prop. Si cui causæ creatæ id virtutis communicari posset, maxime Angelis, qui sunt quid unum præstantissimum inter causas creatas: sed hæc eis communicari non potest: „Neque enim fas est (inquit S. Augustinus lib. 12. *De Civit. Dei* cap. 24.) ullius naturæ, quamvis minimæ, mortalisque creatorem nisi Deum credere, ac dicere. Angeli autem... etsi adhibent vel jussi, vel permissi operationem suam rebus, quæ gignuntur in mundo, tamen tam non eos dicimus creatores animalium, quam nec agricolas frugum." Unde S. Cyrillus Alexand. lib. 2. *Cont. Julianum* tradit, absurdum esse, virtutem creandi causæ secundæ a Deo communicatam putare. Et S. Basilius lib. 4. *Cont. Eunomium* in illud: *Primogenitus omnis creaturæ*, probat, Filium Dei esse verum Deum, quia creandi potestatem ipse habet.

Et re quidem vera ad attingendum non ens, efficiendumque ens ex non ente, sive parvum, sive magnum sit ens, quod efficitur, sive sit istud, sive aliud, requiritur virtus supra totam plenitudinem entis: nam quidquid tandem fiat ex nihilo, transit illud a non esse ad esse: ergo causa, quæ id operatur, habere debet virtutem supra totam plenitudinem entis: nam quomodo posset extrahere ex nihilo unum ens, alia, et alia absque ulla circumscriptione numeri extrahere posse deberet. At vero tota plenitudo entis causæ creatæ, quæ in se finita esse debet, communicari repugnat: ergo repugnat quoque illi communicari virtutem creandi.

Prop. II. Causa creata non potest esse instrumentum creationis.

In hac propositione de instrumento physico loquimur, ad cujus rationem pertinet, ut per aliquid sibi proprium ad effectum principalis agentis secundum aliquam dispositionem operetur.

Prob. prop. Creatio est productio rei ex nihilo : in creatione ergo actioni causæ instrumentalis nullus locus esse potest. Unde inquit Angelicus 1. p. quæst. 45. art. 5. „Non potest aliquid „ operari dispositive, et instrumentaliter ad hunc effectum : quum „ creatio non sit ex aliquo præsupposito, quod possit disponi „ per actionem iustrumentalis agentis."

CAPUT TERTIUM.

De opere sex dierum.

Quorumdam Theologorum, immo et SS. Patrum opinandi diversitas quoad hoc caput doctrinæ de Opificio sex dierum, in eo posita est, ut aliqui eorum velint, creationem mundi sex diebus revera distinctis peractam fuisse, alii autem putent, distinctionem dierum, quam Moyses commemorat, in sensu allegorico accipi debere secundum duplicem rationem: 1. ut distinctione dierum significetur distinctio operum ex sui natura diversorum : 2. respiciatur notitia Angelorum, qua res conditas primum in Verbo, deinde in se ipsis ope specierum sibi inditarum naturali modo cognovere : Priorem cognitionem vocant *matutinam*, alteram *vespertinam*, indeque dictum volunt mane, et vespere. Hanc opinionem sensus allegorici ante S. Augustinum tenuerunt Philo Judæus, Origenes, S. Athanasius, et Procopius in *Genesim* (a). Hi tamen omnes distinctionem dierum ad unam distinctionem operum retulisse videntur. Suam hac de re sententiam in lib. 4. 5. 6. *De Genesi ad litt.*, et lib. 12. *De Civit. Dei* cap. 7. et seqq. S. Augustinus tuetur. Adverti tamen debet, S. Doctorem in lib. *De Catechizandis rudibus* num. 28. putasse, Deum sex distinctis diebus ea omnia fecisse, quæ initio mundi produxit : *Quod ab initio mundi* (inquit), *ex quo fecit Deus cælum, et terram, et omnia, quæ in eis sunt, sex distinctis diebus operatus est, et septima requievit. Poterat enim omnipotens uno momento omnia facere.* Illud quoque superaddit, Deum die septimo requievisse, non quasi antea laboraverit, quia *Psal.* 148. 5. *Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt: sed ut significaret, quia post sex ætates mundi hujus, septima ætate, tamquam septima die, requieturus est in Sanctis suis.* Quibus sane confirmat, quod antea dixerat de distinctis diebus. Quid hac in re nos sentiamus, nunc paucis.

(a) Vid. Petavius De Opific. sex dierum lib. 1. cap. 5.

Prop. I. Sententia S. Augustini de creatione simultanea nullo modo a quopiam reprehendi debet.

Prob. prop. Id enim Sancti viri auctoritas, quam in tota Ecclesiâ maximam propter profunditatem suæ doctrinæ semper habuit, non fert, non sinit, non patitur. Deinde hanc suam sententiam idem ipse S. Doctor, quamvis de ea et in pluribus locis, et copiose egerit, *Confess.* lib. 12. num. 35. uti certam nullo modo habet, sed postquam num. 32. monuit, neminem *fidenter* dicere posse: *Hoc sensisse Moysem, atque hoc in illa narratione voluisse intelligi*, ista superaddit: *Jam vide, quam stultum sit in tanta copia verissimarum sententiarum, quæ de illis verbis erui possunt, temere affirmare, quam earum Moyses potissimum senserit.* Quod ergo ipse hac de re acute, subtiliterque excogitavit, quod pluribus disseruit, habita ratione multarum verissimarum sententiarum, quæ ex verbis Moysis erui possunt, se consentire Moysi, et quam ipse putabat, illius mentem esse, æquo jure contendere potuit: unam semper tamen tam suæ sententiæ, quam aliorum, habendam esse rationem voluit. Ex hoc autem illud quoque constat, quam intemperanter, ne quid gravius dicam, hanc sententiam S. Augustini nonnulli ausi fuerint graviter carpere. Angelicus 1. p. quæst. 74. art. 2., *ut neutri sententiæ præjudicetur*, sicuti ipse inquit, rationibus utriusque respondet.

Prop. II. Sententia, quæ admittit veram distinctionem dierum, et successionem rerum in prima origine sui creatarum, est quam maxime probabilis.

Prob. prop. Si enim attendatur ad auctoritatem, plures Patres eam tenuerunt, atque plerique interpretes recentiores amplexati fuere (a). Deinde hæc sententia litterali narrationi Moysis est valde conformis: ipse enim accurate, distincteque sex dies, singulorumque spatia describit, et quid operis Deus in unoquoque eorum molitus fuerit, singillatim exponit: alia quoque ex aliis producta refert, quæ sane ex nihilo debuissent produci, semel ac uno momento omnia extitissent.

CAPUT QUARTUM.

De systemate Præadamitarum.

Quamvis nonnulli in hoc fabuloso systemate confingendo Peyrerium præiverint (b), ipse tamen ejusdem auctor habetur; illud

(a) Vid. Natal. Alex. Dissert. 1. in *Hist. Vet. Test.* art. 8. Estius in II. *Sent.* dist. 4. §. 2.

(b) Vid. Gazaniga Dissert. 1. *De Creat.* cap. 5.

is propugnavit lib. edito ann. 1655., cui titulus: *Præadamitæ, sive Exercitatio super* vers. 12., 13. et 15. cap. 5. *epist. D. Pauli ad Romanos, quibus inducuntur primi homines ante Adam conditi.* Duplicem ergo creationem hominum Auctor iste distinxit, unam paucis cap. 1. *Genesis* v. 27., alteram pluribus cap. 2. descriptam a Moyse. Illam hac altera longo spatio annorum, immo et seculorum priorem facit, atque ex ea genus Ethnicorum propagatum contendit, indeque Moysem vix fecisse mentionem illius animadvertit, contra vero diutius immoratum fuisse in descriptione alterius, quia ex illa suam Judæi originem habuerunt.

Prop. Adam fuit primus universorum hominum, et humanum genus suam ab illo primam originem habuit.

Prob. prop. Homo, et femina, de quorum creatione *Genes.* 1. 27. Moyses facit mentionem, sunt illi ipsi, quorum productionem *Genes.* cap. 2. describit: ergo. Prob. ant. multipliciter: 1. Cap. 2. 4. et 5. creatio cæli, et terræ, atque plantarum hisce verbis describitur: „Istæ sunt generationes cæli, „et terræ, quando creata sunt, in die, quo fecit Dominus „cælum, et terram, et omne virgultum agri, antequam oriere„tur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam ger„minaret." Profecto in hoc loco a Moyse non alii cæli, alia terra, alii virgulti, aliæ herbæ memorantur, quam præced. cap. 1. a Deo creata jam dixerat: ergo eodem cap. 2. v. 7. et 21. mentionem quoque non facit alterius viri, aut mulieris, quam illorum, quos præced. cap. 1. v. 27. a Deo creatos dixit. Eo vel maxime quia illa sunt eadem, licet in cap. 1. Moyses distincte descripserit creationem illorum, contra vero productio primorum parentum paucis in cap. 1., distincte vero, et pluribus in cap. 2. Geneseos describatur: 2. si homo, et femina, quos Deus fecisse legitur cap. 1., essent alii ab iis, quos cap. 2. traditur factos a Deo fuisse, in hoc capite 2. v. 5. nullo modo cum veritate dici poterat, non fuisse hominem, *qui operaretur terram*: hoc sane distincte dicitur: ergo. 3. Adam suæ uxori imposuisse nomen Evæ, *eo quod mater esset cunctorum viventium*, *Genesis* 3. 20. legitur: talis autem Eva esse non poterat, si ante eam una cum viro præcesserat alia mulier, cujus progenies Evæ tempore perseverare debebat, semel ac, genus Ethnicorum ab illa profluxisse confingatur.

At in cap. 1. *Genes.* masculus, et femina simul creata describuntur: cap. autem 2. Eva non simul cum Adam creata ponitur, sed post aliquid temporis: nam Adam, priusquam Eva ex costa illius produceretur, et in paradiso collocatum legimus, et ab eo propria nomina imposita tum volatilibus cæli, tum bestiis terræ.

Frustra sane Præadamitæ hoc opponunt: nam, sicuti jam ani-

madvertimus, cap. 1. *Genes.* productio viri, et mulieris paucis, cap. autem 2. pluribus, atque habita etiam ratione modi productionis illorum, distincte exponitur: mirandum, ergo non est, si in 1. cap. productio utriusque conjungatur non autem in 2. Sicut ergo licet productio cæli, et terræ, virgulti agri, et omnis herbæ simul conjungatur *Genesis* cap. 2. v. 4. et 5., quia in hoc loco paucis comprehenditur, quod distincte de eadem productione Moyses cap. præced. enarraverat; tamen tam in 1., quam in 2. cap. de una eademque productione agitur: ita quoque de una, eademque productione agitur tam viri, quam mulieris et in 1., et in 2. cap., quamvis in illo simul uniatur productio viri, et mulieris, non autem in isto.

Si autem mulierem ex costa Adami post septimam diem fuisse productam, contendatur; tunc Evam 6. die productam inde dici potest, quia in Adamo *materialiter* extitit (a). Illud tamen adverti debet, quod sicut multa quoad productionem Adæ, et Evæ omissa sunt in 1. cap., ita et locus, in quo Adam ab ipsa productione sui constitutus fuit, et præceptum de non comedendo ligno vitæ, et potestas illi data nomen imponendi volatilibus cæli, et animantibus terræ omissa fuerunt.

Deinde post diluvium a Sem, Cam, et Japhet filiis Noe, qui ab Adamo originem traxit, et regna constituta, et genus humanum propagatum *Genes.* cap. 10. legitur: ab Adamo ergo sunt omnes; indeque Apostolus *Act.* 17. 26. in Areopago ait: *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ.* Neque est, cur Auctor systematis præadamitici reponat in Græco legi *èx enos œmatos*, videlicet ex uno sanguine, adeoque ex eadem materia, terra, atque natura: nam communi loquendi ratione illi ex uno sanguine nati esse intelliguntur, qui ab eodem stipite suam originem trahunt.

Tandem totum genus humanum originali peccato infectum non esset, si ab Adamo, in quo omnes peccasse dicuntur, suam originem non traheret: sed totum humanum genus hujusmodi peccato infectum esse, fides catholica docet: ergo.

Peyrerius, ut vim hujus argumenti eludat, dicit homines esse reos peccati originalis propter imputationem, quam in physicam, politicam, et mysticam ipse distinguit: imputatio physica includit in se communionem in peccato: politica ab ipso dicitur illa, qua Deus peccatum David jubentis, ut suus populus numeraretur, eidem populo pestem in eum immittendo imputavit: tandem mysticam imputationem explicat exemplo fidei Abraham, quæ imputatur omnibus Fidelibus, licet suam ab eo originem non trahant, et mortis Christi, ejusque justitiæ, quæ imputatur omnibus. Huic autem speciei imputationis potissimum insistit.

(a) Vid. Angelicus 1. part. quæst. 73. art. 1. ad 3.

Verum hac responsione non solum uti Calvinistam, sicuti revera erat, sed etiam uti Pelagianum sese prodit: nam Adæ peccatum revera contrahitur ab hominibus, et anima omnium labe peccati revera inficitur, indeque nascuntur omnes iræ filii, atque peccatores. Sicut autem interius efficimur peccatores ob peccatum Adæ, ita etiam interius efficimur justi ob Christi justitiam. Verum hujusmodi errores non est nunc refellendi locus. Imputatio autem fidei Abraham nihil interius ponit in credentibus, sed in imitatione fidei illius consistit, atque secundum hanc rationem Abraham dicitur pater omnium credentium. Calvinismum una cum ceteris erroribus coram Summo Pontifice Alexandro VII. Peyrerius ejuravit, est tamen suspicioni locus, eum nunquam revera abdicasse systema, quod confinxerat.

Demum non minus erronea est responsio Peyrerii, quam aliorum, qui partes illius tuentur (a), atque dicunt, in sacris Scripturis mentionem fieri de infectione peccati quoad eos homines, qui nascuntur ex progenie Adam, non vero quoad progeniem Præadamitarum, quæ tota periit in diluvio. Nam et antediluvianos, et postdiluvianos esse obnoxios originali peccato, in Scriptura apertissime traditur. Deinde hujusmodi responsio adversatur etiam Peyrerio: vult enim ipse, Antipodas suam originem habere a Præadamitis.

Dices cum Peyrerio: Apostolus *Roman.* 5. 13. et seq. hæc habet: „Usque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum au„tem non imputabatur, quum lex non esset. Sed regnavit mors „ab Adam usque ad Moysem etiam in eos, qui non peccaverunt „in similitudinem prævaricationis Adam, qui est forma futuri." Nomine legis hic intelligi debet lex data Adamo, ob cujus prævaricationem ipse peccavit; si ergo usque ad legem, hoc est, etiam antequam Adamus acciperet legem, peccatum fuit in mundo, homines quoque in eo fuisse oportet: hi autem nulli alii, quam præadamitici fuere, quibus peccatum non imputatum legimus, quia nulla adhuc lex fuerat lata.

Probabile autem non est, Apostolum respexisse ad legem Mosaicam, et ante istam peccatum imputatum non fuisse, videlicet ab Adamo usque ad Moysem. Nam peccatum imputatum fuit tam Adamo quam posteris illius usque ad Moysem, quemadmodum diluvium, et conflagratio Sodomitarum neminem dubitare sinunt.

R. illa verba: *Usque ad legem peccatum erat.* ad legem Mosaicam esse referenda, ex nimis multis Scripturæ locis colligi, in quibus absolute, atque simpliciter designatur lex Mosaica nomine legis: ea tantum indicabimus, ut brevitati consulatur. Sub nomine igitur legis simpliciter dictæ venit lex Mosaica *Matt.*

(a) Vide Gazaniga Dissert. 1. *De Creatione mundi* cap. 5. nota *a.*

5. 17., cap. 22. 36. et 40., *Lucæ* 16. 16., *Joan.* 1. 17., cap. 7. 19., *Actor.* 7. 53., *Roman.* 7. 7., cap. 10. 4., ad *Galat.* 3. 19. et 24. Usque ad legem igitur peccatum fuisse in mundo, dicit Apostolus, legem, inquam, Mosaicam, quatenus scilicet peccatum etiam lege lata perseveravit. S. Augustinus lib. 1. *De Peccat. merit. et remiss.* num. 12. explicans hæc verba: *Usque ad legem enim peccatum fuit in mundo*, ait: „Hoc est, quia nec lex potuit auferre peccatum, quæ subin„travit, ut magis abundaret peccatum; sive naturalis lex, in „qua quisque jam ratione utens incipit originali peccato adde„re et propria; sive ipsa, quæ scripta per Moysem, populo „data est... *peccatum autem non deputabatur, quum lex non „esset.* Quid est non *deputabatur*, nisi ignorabatur, et pecca„tum non esse putabatur? Neque enim ab ipso Domino Deo, „tamquam non esset, habebatur, quum scriptum sit: *Quicum„que sine lege peccaverunt, sine lege peribunt* (num. 13.). „Sed *regnavit*, inquit, *mors ab Adam usque ad Moysem*, id „est, a primo homine usque ad ipsam etiam legem, quæ di„vinitus promulgata est, quia nec ipsa potuit mortis regnum „auferre." Sicut ergo superaddit idem Augustinus lib. 2. *Oper. Imperf.* num. 84. „Quum audimus quatuordecim generationes „usque ad David (a), non excipimus David, sed ipsum etiam „computamus; ita quum audimus, usque ad legem peccatum „in mundo fuit, non excipere legem, sed ipsam etiam com„putare debemus."

C. cum eodem Peyrerio: et quidem 1. Abel fuit pastor ovium, Cain vero agricola. Abel non habuit sane, cur aliquid a patre, vel fratre suo gregi timeret: a lupis autem sibi quoque timere debebat: ergo habuit, cur timeret aliquid ab aliis hominibus. Cain autem quomodo terram excolere poterat, semel ac non essent, qui agriculturæ multiplicia instrumenta pararent?

2. Ad Cain dixit Dominus *Genes.* 4. 7. *Nonne si male egeris, statim in foribus peccatum aderit?* Judicia fiebant in foribus apud Orientales, sicuti constat ex pluribus Scripturæ locis. Unde Deus significavit Caino, futurum, ut raperetur ad judicium in foribus, si male ageret.

3. Cain cum Deo conqueritur v. 14. ejusdem cap., ejici se a facie terræ, atque futurum, ut occideretur ab eo, a quo fuisset inventus. Cui dixit Dominus v. 15. *Nequaquam ita fiet, sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Hæc vero ostendunt, alios a progenie Adam tunc in mundo fuisse. Qua etiam de causa Cain v. 16. *ad Orientalem plagam Eden*

(a) *Matt.* 1. 17.

aufugit, ut omnibus evaderet incognitus, sicuti occisores hominum curare solent.

4. Eodem in cap. v. 17. Cain uxorem duxisse legimus: hanc autem duxerit oportet ex genere Præadamitarum, quum tunc temporis Adam habuisse aliquam filiam non noverimus.

R. ad 1. hæc duo nimis levia esse: nam cura gregis eo quoque tendit, ut ad pascua non noxia oves ducantur, atque a noxis retrahantur. Deinde est sane pastoris tondere oves, et lac ab eis emungere opportuno tempore. A Cain autem terram excultam eo intrumentorum artificio fuisse, quo nunc excolitur, nemo contendit. Quia ergo suam eo modo, quo tunc poterat, in excolenda terra operam ipse posuit, recte dicitur agricola fuisse.

R. ad 2. de Judicibus jus dicentibus in portis civitatis, intelligi non debere verba Geneseos, colligi ex aliis locis Scripturæ. *Marci* enim 13. 29., in quo sermo est de die judicii supremi, hæc legimus: *Sic et vos quum videritis hæc fieri, scitote, quod in proximo sit in ostiis.* Et S. Jacobus in sua epist. 5. 9. *Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, ut non judicemini: ecce judex ante januam assistit.* Verbis igitur Geneseos Caino indicitur, statim ipsum daturum pœnas sui sceleris ob conscientiam de eodem se arguentem.

R. ad 3. Cain timere sibi potuisse a suis fratribus, atque nepotibus: nam occisionem Abelis contigisse anno 130. ex Scriptura non obscure colligitur. Occiso enim Abele, Adam suam uxorem cognovit, eaque peperit filium, cui nomen Seth impositum fuit, sicut *Genes.* 4. 25. legimus. Illud quoque legimus cap. 5. 3. Seth genitum ab Adamo fuisse an. 130. A creatione autem mundi ad hoc usque tempus humanum genus valde propagatum nemo negaverit.

R. ad 4. Adam genuisse filios, et filias *Genes.* 5. 4. nos traditum habere. Nulla quidem distincta mentio fit ejus filiæ, quam Cain in uxorem duxit: verum id non obest, quum non omnes filii Adam in Scriptura singillatim recenseantur.

Quæ Peyrerius ex humana historia deprompta opponit, videlicet, multo plures annos huic mundo tribui debere, quam in Genesi tribuantur, refellere omittimus: ea enim contempta fuisse legimus non solum a S. Augustino lib. 18. *De Civit. Dei* cap. 11., Lactantio lib. 7. *Div. Instit.* cap. 14., sed etiam a Cicerone lib. 1. *De Divinat.* S. Cyrillus Alex lib. 1. *Cont. Julianum* vetera omnia monumenta prophanæ historiæ expendens, ea Moyse posteriora esse ostendit. Similes fabulas et nos quoque confutavimus in *Theol Revel.* lib. 2. quæst. 2. art. 1.

Alia quædam præter supradicta, quæ Peyrerius opponit, Natalis ab Alex. dissolvit diss. 3. ætatis mundi primæ, et novissime Gazaniga cum multa eruditione dissert. 1. *De Creatione* cap. 5.

DISPUTAT. VII.

DE ANGELIS.

Postquam de Deo Creatore egimus, nunc agere instituimus de illis entibus, quæ supra cetera entia creata præeminent, videlicet de Angelis, qui ex sui natura, atque dignitate sunt superiores hominibus. Quinque libris hanc totam disputationem complectemur: in 1. disseremus de existentia, et natura Angelorum: in 2. de eo statu, in quo creati sunt: in 3. de statu Angelorum Beatorum: in 4. de missione Angelorum Beatorum: in 5. de Angelis malis, seu dæmonibus.

LIBER PRIMUS.

De existentia, et natura Angelorum.

In hujus lib. cap. 1. sermonem habebimus de existentia Angelorum: in 2. de tempore, quo creati fuerunt: in 3. de natura illorum: in 4. de ea ratione, qua Angeli sunt in loco: in 5. de ea ratione, qua Angeli apparent hominibus: in 6. de immortalitate Angelorum: in 7. de distinctis speciebus Angelorum.

CAPUT PRIMUM.

De existentia Angelorum.

Angelus est vox græca, quæ idem significat, ac latina, nuncius: unde si ad ipsam vocem attendamus, officium, sive munus, non natura per eam designatur, indeque est, ut hæc verba *Malach.* 3. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam*, de Joanne Baptista dicta fuisse *Matt.* 11. 10. legatur. Hinc S. Augustinus serm. 1. in *Psal.* 103. num. 15. *Angelus* (inquit) *officii nomen est, non naturæ: quæris nomen hujus naturæ, spiritus est: quæris officium, Angelus est.* Communi tamen tum Theologorum, tum SS. Patrum usu receptum est, ut illæ substantiæ spirituales, quæ sunt superiores hominibus, vocentur hoc nomine, quia per easdem Deum hominibus multa nunciasse legitur in sacris libris. Angelus autem ita definiri potest cum S. Joan. Damasceno lib. 2. *De Fide Orth.* cap. 3. *Substantia intelligens, semper mobilis, liberi arbitrii, corporis expers, Deo ministrans, immortalitatem a Deo consequuta.* Hac in definitione illud cum Angelico 1. part. quæst. 50. art. 1. ad 2. adver-

ti debet, Angelos dici semper mobiles, quatenus intellectio quemdam motum secum affert, et Angeli nunquam non intelligunt. Est quoque Angelus substantia spiritualis, sed ad differentiam hominis completa, quia ad corpus ordinem nullum habet.

Quamvis pars maxima antiquorum Philosophorum, et Poetarum hujusmodi substantias spirituales non admiserint, quidam tamen ex eis easdem agnoverunt (a). Sadducæi, celebris secta Judæorum, quæ circa tempora Machabæorum suam originem habuit, una cum resurrectione existentiam quoque Angelorum negarunt, sicut *Actor.* 23. 8. legimus. Quare quum in Pentatheuco, quem admittebant, de Angelis mentio sæpe fiat, sub nomine Angelorum venire dicebant vel quædam spectra, vel specimina aliqua divinæ virtutis, quæ aliquando sese prodit. Hoc alterum etiam Judæi recentiores arbitrantur (b): illud prius Hobbesius *Leviathan.* cap. 34. et Beckerus in suo *Mundo Fascinato.*

Prop. De existentia Angelorum evidenter constat ex sacris litteris.

Prob. prop. 1. ex Pentatheuco contra Sadducæos, et recentiores Judæos. *Genes.* cap. 19. v. 1. et seq. legimus, duos Angelos venisse Sodomam, ibique hospitio receptos, atque post multa alia ab eis gesta, quæ neque in spectra, neque in quædam specimina divinæ virtutis, seu internas inspirationes, cadere possunt, suasisse Loth hospiti suo, ut una cum uxore, duabusque filiis a Sodoma aufugeret, ut suæ incolumitati consuleret. *Genes.* 16. 7. et seq. Agar famulæ Sarai Angelum apparuisse legimus, eique præcepisse, ut ad Sarai, a qua aufugerat, reverteretur, eique sese submitteret. *Genes.* 22. Abraham filium suum jamjam immolaturus Angelum sibi clamantem audivit; v. 12. *Ne extendas manum super puerum.* Sicut autem in aliis quoque locis ipsius Genesis, ita etiam in aliis libris veteris Testamenti tum historicis, tum propheticis, Angelos, jubente Deo, varia munera obiisse, legimus.

Quod spectat ad novum Testamentum, Angelum Gabrielem missum ad Mariam divina illi mysteria reserasse ex cap. 1. *Lucæ* novimus. Apostolus *Hebr.* 1. excellentiam Christi extollit super Angelos, qui ipse est Dei Filius, cui Angeli obsequium præstare debent, eisdemque convenit, ut sint *administratorii spiritus, in ministerium missi.* Nemo autem non videt, Apostolum non prætulisse Christum vel spectris, vel quibusdam specimibus divinæ virtutis, aut internis collustrationibus, sed iis, qui famulatum illi exhibere debebant. Unde, sicut inquit S. Augustinus serm. 1. in *Psal.* 103. num. 15. *Quamvis non videamus appqritiones Angelorum... tamen esse Angelos novimus ex*

(a) Vid. Petavius *De Angelis* lib. 1. cap. 1.
(b) Vid. Calmetii Dissert. Sur les Apparitions etc. ch. 1.

fide, et multis apparuisse scriptum legimus, et tenemus, nec inde dubitare fas nobis est

Hujus veritatis hanc valde congruentem rationem affert Angelicus 1. p. quæst. 50. art. 1. Deus in rebus creatis vult bonum, quod positum est in similitudine sui; tunc autem effectus cum sua causa similitudinem habet, quando imitatur illam secundum eam rationem, qua ipsa agit. Deus autem per intellectum, et voluntatem creata produxit: igitur ad perfectionem totius universitatis rerum etiam aliqua entia intelligentia producenda erant, quæ proprius assimilarentur Deo: igitur etc Anima autem licet sit spiritualis, tamen eam vim intelligendi non habet, quæ est in Angelo, atque in sua ratione intelligendi pendet a sensibus.

Dices I. Eva a Diabolo seducta dicitur, quatenus posteri sequun'ur exemplum ejus, non vero quatenus diabolus sub specie serpentis ad peccatum eam induxerit. Viri, quos Abraham hospitio recepisse legitur cap. 18. *Genesis*, erant homines prophetæ, non vero Angeli. In tentatione autem Christi, quam Matthæus cap. 4. describit, dæmon nullas partes habuit, sed pravæ cupiditates imaginationem Christi affecerunt: ex istis ergo omnibus existentia Angelorum æquo jure non infertur (a).

R. hisce omnibus nihil magis futile confingi posse: nam diabolum serpente, veluti instrumento, usum fuisse ad deceptionem mulieris, non solum constat ex descripta narratione cap. 3. *Genesis*, sed etiam ex pœna, quam Deum serpenti inflixisse, in eodem cap. legitur, et Apostolus II. *Corint.* 11. 3. affirmat, *serpentem Evam seduxisse astutia sua.*

Abrahamo autem apparuisse novimus tres viros, quos quum ipse vidisset, in occursum eorum properavit, *et adoravit in terram* (b). Ex quo colligitur, Abrahamum intellexisse, eosdem esse Angelos, ac propterea pronum in terram adorasse, sicut ab aliis in hujusmodi apparitionibus factum fuisse, legimus in sacris litteris.

Quod autem Beckerus superaddit de pravis cupiditatibus, quæ imaginationem Christi affecerint, impium est, sicut suo loco ostendemus. Quod vero spectat ad historiam Evangelicam, adverti debet, in ea legi: 1. diabolum Christo proposuisse, ut lapides in panem verteret: 2. transtulisse eum in sanctam civitatem supra pinnaculum templi: 3. assumpsisse in montem excelsum valde, ex quo omnia regna mundi conspiciebantur: 4. demum Christum a se abjecisse Satanam illis verbis: *Vade Satana*: impium ergo Beckeri commentum refellitur etiam ex clara, et manifesta Evangelica narratione.

(a) Vid. Beckerus in cit. lib.
(b) Cit. cap. v. 2.

Dices II. Angelus est nomen officii: ergo quæ de Angelis in Scriptura dicuntur, vel de variis muneribus hominum, qui Angeli quandoque appellantur, uti *Malachiæ* 3. 1., et *Matt.* 11. 10, vel de internis inspirationibus, non repugnat, ut intelligantur. Deinde S. Augustinus lib. *De Quantit. animæ* num. 77. loquens de excellentia animæ inquit: *Ita præsumendum, nihil inter omnia, quæ creavit, esse Deo propinquius.* Et lib. 83. *Quæst.* 53. quæst. *nec quidquam est melius rationali ürima, quam Deus.* Demum si Angeli revera existerent, Moyses in Genesi de creatione illorum mentionem fecisset.

R. nimis perspicua esse loca Scripturæ, ex quibus constat evidenter de existentia Angelorum, eaque de hominum diversis muneribus intelligi nullo modo posse. Nam quis tandem homo Abrahamo suum filium jamjam immolaturo juxta divinum mandatum suadere poterat, ut ab illius immolatione desisteret. *Ego sum Gabriel Angelus, qui adsto ante Dominum*, dixit Angelus *Lucæ* 1. 19., qui Zachariæ futurum nunciavit, ut uxor illius filium pareret. Fuit quoque idem ipse Angelus Gabriel *missus a Deo* in civitatem Galilææ, qui Mariæ divina consilia reseravit. Tandem Apostolus, ut excellentiam Christi commendaret, non supra homines, sed supra Angelos illum extulit.

S. Augustinus autem quod affirmaverat de anima lib. 83. *Quæst.* 53. quæst., correxit lib. 1. *Retract.* cap. 26. inquiens: *Quod dixi, quod est omni anima melius, id Deum dicmus: magis dici debuit omni creato spiritu melius.* Ad eumdem ergo modum juxta mentem Augustini intelligi debet, nihil omni creato spiritu esse Deo propinquius.

Quod superadditur, sequenti cap. nunc expendemus.

CAPUT SECUNDUM.

De tempore, quo Angeli creati fuerunt.

Triplex hac de re Veterum sententia fuit: quidam enim arbitrati sunt, Angelos creatos aliquo ante spatio temporis, quam hæc cœlestis, atque terrestris universitas rerum conderetur: alii vero putarunt, simul creatos Angelos cum hac tota universitate rerum. Priorem sententiam plerique Patres Græci, et nonnulli etiam Latini; alteram plerique Latini Patres, et etiam aliqui Græci tenuerunt (a). Non defuere quoque, licet numero pauci, qui existimaverint Angelos aliquo intervallo a condito mundo creatos fuisse (b). Nos ergo, Angelos simul cum hac tota universitate rerum creatos, tuebimur: quo semel præstito, illud alterum

(a) Vid. Petavius *De Angel.* lib. 1. cap. 15.
(b) Vid. Estius in II. *Sent.* dist. 2. §. 3.

ostendemus, hanc nempe sententiam non spectare ad fidem, sicut nonnulli Theologi tenuerunt.

Prop. I. Angeli simul cum hac tota universitate rerum creati fuerunt.

Prob. prop., quæ quidem ex duobus potissimum Scripturæ locis aperte colligitur: prior est ille *Genes.* cap. 1. v. 1. *In principio creavit Deus cælum, et terram*: alter *Exodi* 20. 11. *Sex enim diebus fecit Dominus cælum, et terram, et mare, et omnia, quæ in eis sunt.* Nam sicuti habet S. Augustinus, licet hac de re aliquando dubitaverit, uti lib. Imperf. *De Genesi ad litt.* num. 7., et lib. 11. *De Civit. Dei* cap. 32., sicut, inquam, habet S. Augustinus lib. 11. *De Civit. Dei* cap. 33. *In principio creavit Deus cælum, et terram*: *quibus nominibus est* universalis significata creatura, vel *spiritualis, et corporalis, quod est credibilius, et magnæ duæ partes, quibus omnia, quæ creata sunt, continentur.* Et S. Epiphanius *Hæresi* 65. num. 5. „Illud enim (ait) evidenter divinus sermo declarat, „neque post sydera productos Angelos, neque ante cælum, „terramque constitutos. Est enim certa illa, et immutabilis „sententia, ante cælum, et terram nihil omnino conditarum „rerum extitisse: quoniam *in principio creavit Deus cælum, et „terram*, ut illud sit creandi principium, ante quod ex creatis „rebus nulla omnino fuerit." Nulla sane omnino fuerit, quum in cit. loco Exodi dicatur, intervallo sex dierum cælum, et terram creata fuisse, *et omnia, quæ in eis sunt.* In cælo autem sunt Angeli: igitur una cum cælo Angelos creatos fuisse, oportet.

Angelicus in hanc rem illud urget 1. p. quæst. 61. art. 3., Angelos esse quamdam partem totius universitatis rerum: pars autem separata a suo toto, cum quo colligatur, est imperfecta; quum ergo Dei perfecta sint opera, dicendum non est Angelos creatos, antequam cælum, et terra crearentur. Hanc rationem etiam Chrysostomus Serm. 1. in *Genes.* num. 2. attulerat.

Dices. Quum sint Angeli præcellentioris dignitatis præ omnibus aliis rebus creatis, eos Moyses in sua enarratione creationis prætermittere non debuit: sed prætermisit: ergo una cum ceteris rebus Angeli creati non fuerunt.

R. cum S. Augustino lib. 22. *Confess.* num. 24. quod *tales quippe homines erant rudis ille, atque carnalis populus, cui loquebatur*, (Moyses) *ut eis opera Dei nonnisi sola visibilia commendanda judicaret.* Ante omnia ergo ille populus fuit edocendus quoad divinitatem conditoris rerum omnium, postea existentia Angelorum illi aperienda, sicut Moyses fecit, ita tamen ut tamquam nuntios, et Dei ministros descripserit Angelos, et a summo Deo longe differentes. Qua sane ratione Moyses

etiam in ipsa descriptione Angelorum amovit Judæos a periculo idololatriæ.

C. *Job.* cap. 38. extollens Deus suam potentiam in creatione mundi v. 7. hæc habet: *Quum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei.* Si ergo filii Dei ipsum Deum creantem laudabant, eos extitisse oportet ante creationem mundi. Ita colligit Cassianus *Collat.* 8. cap. 7., qui illud advertit, non fuisse conveniens, *Deum creationis, et opificii sui principia ab hujus mundi constitutione inchoasse.*

His accedit, Apostolum in epist. *ad Titum* 1. 2. affirmare, Deum æternam vitam promisisse ante tempora secularia.

R. Angelos prima die fuisse creatos: unde mirandum non est, si jubilarent, et laudes darent Deo in creatione aliorum, quæ post se producta conspiciebant.

Quod animadvertit Cassianus, inane est; nam temere constituitur a nobis, Deum hoc tempore, et non alio, vel alio, et non isto, quæ fecit, facere debuisse. „Tempora autem secularia sunt tempora distincta (sicut habet Angelicus lect. 1. in epist. ad Titum) secundum diversas successiones rerum: quasi dicat: antequam tempus successivum inciperet esse. Et quia incepit hoc tempus cum mundo, ideo fuit ante principium mundi." Deinde sicut pergit idem Angelicus, „promittere est verbo nuntiare suam voluntatem de dando: et Deus ab æterno protulit verbum suum, in quo erat, ut sancti haberent vitam æternam. *Ephes.* 1. 4. *elegit nos ante mundi constitutionem.*"

Prop. II. Non est dogma fidei, Angelos simul cum hac tota universitate rerum fuisse creatos.

Prob. prop. Illud non spectat ad fidem, quod in verbo divino scripto, vel tradito clare, atque distincte non continetur, vel si non satis clare, et distincte contineatur, illud tamen revera contineri, Ecclesia non definierit: sed hæc sententia, de qua modo agimus, nihil horum habet: ergo non spectat ad fidem. Prob. min. S. Augustinus *De Genesi ad litt.* lib. 1. num. 2., et lib. 11. *De Civit. Dei* cap. 32. verba illa Geneseos: *in principio* dicta fuisse intelligit de Sapientia, seu divino Verbo, quo omnia creata sunt. Et Angelicus 1. p. quæst. 61. art. 3. ad 3. ait: „Si vero contrarium teneatur (videlicet Angelos creatos ante mundum) quod dicitur Genesis 1. *In principio creavit Deus cœlum, et terram*, exponendum est, *in principio*, id est, in Filio, vel *in principio* temporis, non autem *in principio*, id est, antequam nihil fieret: nisi dicatur, antequam nihil in genere corporalium fieret creaturarum." Illa *Exodi* 20. 11. *Sex diebus fecit Deus cœlum, et terram, et omnia, quæ in eis sunt*, de productione rerum visibilium, quispiam dicere potest, esse intelligenda, ita ut sensus sit, corpo-

ra, quæ in cælo, et terra continentur, spatio sex dierum a Deo creata fuisse.

Ex traditione quoque nihil minus colligi potest, quam hanc sententiam spectare ad fidem: sicuti enim animadvertimus, plerique Græci Patres una cum quibusdam Latinis, Angelos ante mundum creatos, plerique Latini Patres una cum aliquibus Græcis, simul cum mundo creatos, arbitrati fuerunt. Ea ergo hac de re unanimis consensio Patrum non habetur, quæ ad constituendum dogma fidei requiritur.

Superest nunc, ut dicamus de Ecclesiæ definitione, quam nonnulli latam putarunt in Concil. Lateran. IV. sub Innocentio III. in quo ita statutum fuit, prout legitur Cap. *Firmiter De Sum. Trinit.* scilicet Deum esse „Creatorem omnium visibilium, et invisibilium, spiritualium, et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, et corporalem, Angelicam videlicet, et mundanam." At sicuti, Angelicus animadvertit in *Expositione* ejusdem Decretalis, cui etiam plerique Theologi consentiunt, Patres Concilii iisdem verbis respexerunt errorem Origenis effutientis, Deum multis seculis ante conditum mundum creasse sola entia spiritualia, quibus peccantibus, ab eo creatum fuisse mundum corporeum, ut illa vel in corporibus, vel per corpora punirentur. Alios quoque errores recenset Angelicus, qui in eadem Decretali damnati fuerunt. Unde postquam ostendit in cit. quæst. art. 3. Angelos cum mundo corporeo simul fuisse creatos, superaddit: „Quamvis contrarium non sit reputandum erroneum præcipue propter sententiam Gregorii Nazianzeni, cujus tanta est in doctrina christiana auctoritas, ut nullus unquam ejus dictis calumniam inferre præsumpserit, sicut nec Athanasii documentis, sicut Hieronymus dicit."

De loco, in quo Angeli creati fuerunt, in Scriptura nihil distincte traditum habemus; tamen eos in cælo fuisse creatos, est communis doctrina Theologorum: nam substantiæ simpliciter spirituales ita sunt partes totius universitatis rerum, ut ad corporeas, et materiales habeant aliquem ordinem, quatenus eis præsideant, indeque conveniens fuit, ut in supremo illæ loco crearentur. Eo vel maxime quia ad cælum inhabitandum creatæ fuere.

CAPUT TERTIUM.

De spiritualitate Angelorum.

Tam in substantiis intellectivis, quam in corporeis inesse materiam, quorumdam Platonicorum sententia fuit. Eamdem plures quoque Ecclesiæ Patres adoptarunt, et Angelos esse corporeos tenuere. Ita sensit S. Justinus Martyr in *Dialogo cum Tryph.*

num. 57., Origenes lib. 1. *De Princip.* num. 4., S. Cyrillus Alex. lib. 9. *in Joan.* Ex Latinis Tertullianus lib. *Cont. Marcionem* cap. 8. S. Hilarium nonnulli in eamdem sententiam omnino immerito trahunt, sicuti aperte constat ex *Tract.* in *Psal.* 117. num. 5. S. Ambrosius lib. 2. *De Abraham* cap. 8. num. 58. ait: „Nos autem nihil compositionis materialis immune, atque „alienum putamus præter illam solam venerandæ Trinitatis subs„tantiam." S. Augustinus licet quid hac in re sentiendum sit, aliquando dubitaverit, tamen lib. 3. *De Trinit.* num. 5., *Enarrat.* in *Psal.* 85. num. 17., Angelos corporeos simpliciter dicit, et epist. 95. num. 8., alias epist. 254. ait, Angelos habere corpora: corpora, inquam, spiritualia, qualia futura erunt corpora hominum resurgentium ad vitam æternam. Variis tamen adducti rationibus hi omnes hac in sententia fuere: Origenes proprium Dei esse putavit, sicut etiam S. Ambrosius, omni materia carere. S. Basilius, quia Spiritus et sunt in loco, et aliquando patent conspectui hominum: nam lib. *De Spir. Sanct.* cap. 16 num. 38., ait, quod substantia earum, scilicet cælestium virtutum, sit spiritus aereus, aut ignis immaterialis, ideoque eas in loco esse, et fieri visibiles. S. Cyrillus Alex. quia circumscribuntur. Illud quoque *Psal.* 103. 4. *Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem* in confirmationem suæ sententiæ aliqui eorum in medium protulerunt.

Verum id quoque advertatur oportet, ab aliquibus id etiam vocatum corporeum, quod licet sit spirituale, tamen non est undequaque simplex, sed aliis, atque aliis afficitur qualitatibus, indeque solum Deum esse incorporeum, ab iisdem affirmatur. Hæc mens fuit S. Joan. Damasceni lib. 2. *De Fide Orthod.* cap. 3., et S. Gregorii M. lib. 2. *Moral.* num. 3. Tandem est quoque præ oculis habendum, Patres, qui putarunt, Angelos esse corporeos, sensisse, eos constare non solum corpore, sed etiam aliquo alio, quod præcelleret ipsi corpori, atque esset spirituale, quod vocare animam Augustinus lib. 1. *Retract.* cap. 11. religioni duxit.

Quam vero sententiam nos modo tuebimur, etiam a multis Patribus traditam habemus. Duo ergo nos in hoc capite præstabimus: 1. Angelos et esse substantias spirituales, et nullum corpus sibi unitum habere: non est enim idem quærere, utrum Angeli sint incorporei, et utrum habeant corpora sibi naturaliter unita, uti constat in anima humana, quæ est quidem incorporea, attamen habet corpus sibi naturaliter unitum: 2. non spectare ad fidem, seu certum tamquam de fide non esse tenendum, Angelos esse incorporeos.

Prop. I. Angeli sunt incorporei, et nullum habent corpus sibi naturaliter unitum.

Prob. prior pars prop. *Psal.* 103. 4. *Qui facis Angelos*

suos spiritus Hebr. 1. 14. *Omnes sunt administratorii spiritus: Ephes.* 6. 12. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Nomen spiritus aliquando quidem etiam illis rebus in sacris litteris tribuitur, quas aliunde etiam constat ex iisdem sacris litteris, esse corpora, de Angelis autem hoc nullo modo constat. Deinde Apostolus *Hebr.* cap. 1., in quo ostendit Christum Angelis longe præcellere, adeoque commemorat, quod in illis est magis singulare, v. 7. refert illud *Psal.* 103. *Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis*; iterumque v. 14. vocat Angelos spiritus administratorios. Profecto idem Apostolus, ut quod sibi proposuerat, perficeret, sicut revera perfecit, quod est præcipuum in Angelis attendere, immo ipsam naturam, prout est in se, indicare debebat: sed eos simpliciter spiritus iterum, iterumque vocavit, atque verba Psalmi, in quibus Angeli spiritus simpliciter dicuntur, in medium protulit: ergo quatenus spiritus opponitur corpori, Angelos esse incorporeos, dubitari non potest.

Prob. auctoritate Patrum: S. Ignatius M. in epistola ad Trallianos, num. 9. vocat Angelos *naturas incorporeas*; S. Gregorius Niss. lib. 11. *Cont. Eunomium incorpoream creaturam*, S. Gregorius Nazianz. Orat. 34. naturam *intelligibilem, et incorpoream*; S. Basilius Homil. in *Psal.* 44. num. 1. *substantiam simplicem, et immutabilem*; Eusebius Cæsar. lib. 7. *Præparat. Evang.* §. 16. *Spiritualem naturam*, S. Epiphanius *Hæresi* 26. num. 13. *spiritum corporis expertem*; S. Joan. Damas. lib. 2. *De Fide Orth.* cap. 3. *substantiam intelligentem, atque corporis expertem*; tandem S. Gregorius M. lib. 2. *Moral.* num. 8. *incorpoream* naturam. Hos ergo Patres enumerasse nunc sufficiat, alii apud Petavium lib. 1. *De Angelis* cap. 3. videri possunt. Auctoritati vero Patrum accedit etiam auctoritas Concil. IV. Lateran., in quo sicuti modo vidimus, constitutum fuit, *utramque creaturam spiritualem, et corpoream, Angelicam scilicet, et mundanam* a Deo conditam fuisse.

Prob. altera pars. Intelligere non est actus corporis, aut alicujus virtutis corporeæ: igitur habere corpus sibi unitum non spectat ad rationem substantiæ spiritualis, quatenus est hujusmodi, „Sed accidit (inquit Angelicus 1. part. quæst. 51. art. „1.) alicui substantiæ spirituali propter aliquid aliud: sicut hu„manæ animæ convenit uniri corpori, quia est imperfecta, et „in potentia existens in genere intellectualium substantiarum, non „habens in sui natura plenitudinem scientiæ. In quocumque „autem genere invenitur aliquid imperfectum, oportet præexis„tere aliquid perfectum in genere illo, Sunt igitur aliquæ subs„tantiæ perfectæ intellectuales in natura intellectuali non indi„gentes acquirere scientiam a sensibilibus rebus: non igitur om-

„ nes substantiæ intellectuales sunt unitæ corporibus, sed aliquæ „ sunt a corporibus separatæ, et has dicimus Angelos."

Dices. In Synodo VII. Oecumenica Act. 5. Joannis Thessalon. quidam Dialogus lectus fuit, in quo præter alia dicebatur (a): „ Sola enim, ut veraciter fateamur, Divinitas est in- „ corporalis, et incircumscripta. Porro intelligibiles creaturæ non „ omnino incorporales, et invisibiles, ut Divinitas, sunt." Perlecto hoc Dialogo Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus ita alloquutus fuit Patres: *Ostendit Pater, quod et Angelos oportet pingi, quoniam circumscripti sunt, et hominum specie multis apparuerunt.* Tunc vero ad hæc verba Tarasii: *Sancta Synodus dixit: etiam Domine.* Tarasius igitur, et tota Synodus probavit, Angelos non esse sine corpore.

R., Theologos hac in re uti variis explicandi modis, ac frustra sese torquere, quasi nodus difficultatis solvi non posset, sicut advertit etiam Petavius *De Angelis* lib. 1. cap. 2. num. 7. Verum paucis dici potest, et quidem conformiter ad verba Tarasii, eumdem ex verbis Dialogi Joannis Tessalon. hæc duo probasse, et Angelos esse circumscriptos, et humana specie quandoque apparuisse, ac propterea fas esse, pingere illos. Hoc vero est, quod probavit etiam Synodus. Ceterum de corporibus Angelorum nihil Tarasius dixit, nihilque Synodus statuit, sed solummodo Angelos pingi posse, Patres decrevere contra Iconomachos, quorum errores ut damnarent, inter se convenerant.

Sunt ergo Angeli spirituales, hoc est, expertes cujusvis materiæ, sed non omnino simplices: nam ornamenta gratiæ, scientiæ, atque virtutis non sunt quid idem cum substantia Angelorum, sed illi superaccedens, atque superinfusum. Est enim Dei proprium non solum ut sit bonus, justus, sanctus, sed etiam sit ipsa bonitas, justitia, atque sanctitas.

Prop. II. Dogma fidei non est, Angelos esse incorporeos.

Prob. prop. et quidem solutione illius difficultatis, ob quam nonnulli contra senserunt, videlicet quia in IV. Concil. Lateran. definitum habemus, *utramque creaturam spiritualem, et corpoream, Angelicam scilicet, et mundanam* a Deo conditam fuisse. Quandoquidem præter ea, quæ ex Angelico supra adnotavimus, recte animadvertit Estius in II. *Sent.* dist. 8. §. 4. „ Patrum „ intentionem in eo decreto constituendo non fuisse, ut defi- „ nirent, quasdam esse creaturas mere spirituales, et omnino „ corporis expertes, sed hoc: Deum esse auctorem, et creatorem „ omnium, quæ sunt in universo, tam eorum, quæ dicun- „ tur corporalia, et visibilia, quam eorum, quæ spiritualia, et „ invisibilia, sive hæc prorsus corpore careant, sive alia gene-

(a) Tom. IV. Concil. edit. Harduini col. 294.

„ raliore ratione spiritualia, et invisibilia dicantur." Hoc autem inde probat, quia, sicut ipse inquit: „ Videtur decretum illud „ factum contra hæresim Manichæorum illo tempore non parum „ grassantem, quæ unum verum Deum negabat omnium aucto- „ rem." Etiam Angelicus in supra cit. Expositione hujus Decretalis, ad hanc quoque hæresim Patres respexisse, affirmat. Et quæst. 16. *De Malo* art. 1. quærens, utrum dæmones habeant sibi naturaliter unita corpora, eos non habere, ipse quidem statuit, superaddit tamen: *Non multum referre ad fidei Christianæ doctrinam*, dicere, quod habeant, vel non habeant sibi naturaliter unita corpora.

Verum hæc quoque alia, quæ habet idem Estius, non minus, quam superiora, et nos probamus: „ At vero (inquit) quia „ Patres in eodem decreto satis videntur explicuisse mentem „ suam de Angelis, tamquam creatura pure spirituali, licet „ absque intentione definiendi, inde est, quod temere factnrus „ sit, qui post decretum ausus fuerit aliud dicere."

CAPUT QUARTUM.

De ea ratione, qua Angeli sunt in loco.

Duplex nunc dubium explicandum occurrit, videlicet et quomodo Angeli sint in loco, et qua ratione secundum sensum appareant hominibus, licet non sint corporei, et non habeant corpora sibi naturaliter unita: de utroque ergo agemus in hoc capite, et in sequenti. Angelum ergo in loco esse *per præsentiam substantialem*, seu ratione suæ substantiæ, tuentur Scotistæ, Vasquesius Disput. 188. cap. 7. in art. 1. quæst. 52. part. 1., mediante aliquo corpore, cui ipse Angelus uniatur libere, Thomistæ per applicationem virtutis Angelicæ, ad quam sequatur effectus, sicut aliqui volunt, ut vero alii putant, per solam applicationem virtutis: quod sane nos putamus esse probabilius, quum ad applicationem virtutis non semper sequatur effectus, tam bonorum, quam malorum Angelorum habita ratione.

Nunc adverti debet, tria concurrere ad hoc, ut aliquid sit in loco: 1. subjectum, quod est in loco: 2. ratio, qua tangit locum: 3. ipsa præsentia, quæ acquiritur, vel amittitur per motum. De 1. nulla dubitatio: nam substantia Angeli fit præsens loco: movetur enim de loco ad locum: de 3. quoque nulla difficultas: dari enim debet aliqua præsentia, seu modus, quo Angelus sit in loco: in 2. positus est difficultatis nodus, videlicet in quo consistat fundamentum hujus præsentiæ, seu ratio formalis, qua Angeli habeant contactum cum corpore. Nos dicimus consistere in applicatione virtutis, quæ quidem at-

tendi debet respectu initii operationis Angelorum: nam mediante virtute diffusa etiam in distans Angelus operari potest. Sicut autem advertit Angelicus 1. p. quæst. 52. art. 2. esse in loco diversa ratione convenit corpori, Angelo, et Deo: corpus est in loco circumscriptive, quia mensuratur a loco, Angelus definitive, quia non commensuratur a loco, sed est in hoc determinato loco, et non in alio: Deus neutro modo, quia est ubique.

Prop. I. Angelos aliquo modo esse in loco, constat ex sacris litteris.

Prob. prop. *Genes.* cap. 18. et 19. legitur, *Angelos venisse ad Abraham, et Lot:* 2. *Judicum* 1. *ascendisse de Galgalis ad locum flentium. Matth.* 28. 2. *Angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum.* Angelum de cælo descendisse, ut in aliquo determinato loco suam virtutem exerceret, etiam *Actor.* 12. 7., atque in aliis pluribus locis traditum habemus.

Prop. II. Angeli sunt in loco per applicationem suæ virtutis.

Prob. prop. Ratio, qua Angelus est in loco, talis esse debet, ut non contineatur a loco, sicuti corpus, sed ipse locum contineat, et quidem non circumscriptive, sed virtualiter: at hujusmodi ratio non in alio posita esse potest, quam in applicatione virtutis ad locum, quum per eam, fiat ut Angelus ipsum locum sua virtute quodammodo complectatur: ergo Angelus est in loco per applicationem suæ virtutis.

Dici autem non debere, Angelum in loco esse per suam substantiam, inde constat, quia quum substantia Angeli sit immutabilis, neque extendatur, vel constringatur, modo in ampliori, modo in minus amplo loco esse non posset.

Neque etiam dicendum est, Angelum esse in loco per assumptum corpus: tunc enim ipse indigeret corpore, ut suam in loco virtutem exerceret: quod sane virtuti, et dignitati Angeli repugnat.

Quæ diximus de applicatione virtutis intelligi debent, quatenus citra ullam violentiam sunt in loco, non vero quatenus per violentiam in certo loco Angeli detinentur, sicuti contingit in dæmonibus, qui patiendo sunt in loco.

CAPUT QUINTUM.

De ea ratione, qua Angeli appareant hominibus.

Quum Angeli neque sint corporei, neque habeant sibi naturaliter unita corpora, aliundeque nemo dubitare possit, illos hominibus quandoque apparuisse, inquirendum nunc est, qua

id tandem ratione fiat. Quidam putant, apparitiones Angelicas, de quibus mentio fit in Scriptura, fuisse phantasticas, quatenus quædam immutatio contigit in imaginatione illorum, quibus Angelos apparuisse, legitur: alii autem easdem ponunt in quadam immutatione sensuum exteriorum, qua fit, ut id, quod non existit, appareat. Assumptis autem corporibus, Angelos apparere hominibus, vera sententia est.

Prop. Apparitio Angelorum ad immutationem phantasiæ, vel sensuum exteriorum nullo modo referri potest, sed fit mediantibus assumptis corporibus.

Prob. prop. Profecto in nullius sani hominis mentem cadere potest, ut quis secundum quamdam immutationem factam vel in phantasiam, vel in sensus exteriores non solum colloquatur cum aliquibus, sed etiam illos hospitio recipiat, pascat, ipsique cibo sibi præstito vescantur. Hoc sane *Genes.* cap. 18. Abrahamo legimus contigisse, quando tres Angelos habuit sibi obvios. Lot quoque duos Angelos recepit hospitio, mensam iisdem apposuit, qui postquam manducaverunt, monuere illum, ut a civitate Sodomorum, quæ igne jam jam comburenda erat, abscederet (*Genes.* cap. 19.). His accedit, Angelos, qui apparuerunt Abrahamo, a tota familia ejus, qui autem apparuerunt Lot, et a tota familia ejus, et a civibus Sodomæ visos fuisse. In phantasia autem, vel in sensibus istorum omnium eodem modo, eodemque tempore mutationem contigisse, quisnam unquam confinxerit? Jacob cum Angelo luctatus quoque fuit, ab eo benedictionem petiit, atque intellexit, quo in posterum nomine vocari deberet (*Genes.* 32. 24. et seq.). Tobias longo spatio itineris habuit Angelum sibi comitem, qui fidelissimi custodis omnia erga illum munera gessit, quique rogatus ab utroque Tobia, ut dignaretur accipere, quod ipsi offerebant, eos monuit, se esse unum ex septem, qui adstant ante Dominum, propterea que benedicerent Deum, et narrarent omnia mirabilia ejus (*Tob.* 12.). Quid? Anne ad imaginationem, vel deceptionem sensuum exteriorum ea colloquutio, quam Angelus Gabriel habuit tum cum Zacharia, tum cum Beatissima Virgine, referri potest, atque tum ille, tum ista virtute phantasiæ divinarunt, quæ sibi postea præter naturæ ordinem secundum acceptam promissionem ab Angelo contigerunt, secundum promissionem, inquam, non revera factam ab Angelo, sed quam ab Angelo factam esse, per illusionem sensuum exteriorum ab illis putabatur? Verum hæc satis: semper autem magis, magisque nemo non videre debet, ad immutationem phantasiæ, aut sensuum exteriorum referri non posse Angelorum apparitiones, quas in Scriptura factas fuisse, legimus.

Ex his autem consequitur alterum, quod modo volumus, videlicet eas factas fuisse ope corporum assumptorum: nam An-

geli et incorporei sunt, et non habent corpus sibi naturaliter unitum, sicuti suprà ostendimus cap. 3. aliunde vero quæ in prædictis, similibusque apparitionibus peregerunt, sine corpore peragere non potuere: ergo ope corporum assumptorum illa ab eis peracta fuisse, superest, ut dicamus.

Dices. Si Angeli apparerent in corporibus assumptis, esset deceptioni locus, quia tunc non quales sunt in se, viderentur ab hominibus: sed hoc dicendum non est: ergo. 2. Qua virtute fiat, ut Angeli sibi uniant hujusmodi corpora, non potest intelligi: 3. Multo minus intelligitur, qua ratione edere possint opera vitæ ministerio assumpti corporis, quum illud non sit vivum: 4. In cælo esse tunc desinerent, indeque fieret, ut beatitudo eorum interrumperetur.

R. ad 1., nullum hac in re locum esse deceptioni, sicut nullus est, quando in Scriptura sub sensibilibus figuris intelligibilia describuntur. Angeli itaque non propter se, seu ad significandum, quod in se sunt, corpora assumunt, sed propter nos, videlicet ut nobis etiam exterius, atque sensibile auxilium præbeant, quod sane præstare non possent, semel ac sensibili corpore destituti essent. Hujusmodi autem auxilium est nobis valde opportunum, quia sensibili quoque natura constamus, et sensibilibus valde afficimur.

R. ad 2. certo definiri non posse, utrum Angeli corpora assumant sua virtute naturali, an vero virtute divina sibi data singulariter. Angelicus 1. p. quæst. 51. art. 2. ad 2. et 3. *virtute divina* id fieri affirmat: ceterum utrum sit virtus divina supernaturaliter addita, an vero Angelis naturaliter infusa divinitus secundum conditionem naturæ illorum, non definit. Quæst. 6. *De Potent.* art. 7. Angelos sua virtute assumere corpora simpliciter dicit. Illud hac in re debet animadverti, dæmones quoque vera corpora assumere: neque enim dici potest Evam et videre serpentem, et cum eo colloqui ob deceptionem phantasiæ, vel sensuum exteriorum sibi visam fuisse: aliunde autem probabile non videtur, Deum virtutem singularem Diabolo contulisse ad hujusmodi apparitionem, aliasque hujus generis, atque ita in eas simul cum dæmone quodammodo consensisse.

R. ad 3., corpus, quod Angeli assumunt, vivum dici non posse, quia ipsi in eo non sunt secundum illam rationem, qua anima est in corpore hominis: corporibus igitur assumptis uniuntur non solum uti motores illorum, sed etiam, sicuti inquit S. Thomas 1. part. quæst. 51. art. 2. ad 2., uti motoribus repræsentatis per corpus mobile assumptum: quod quidem spirituali contactu movent. Quare corpora assumpta ab Angelis habent quidem veram figuram corporis humani, attamen humanæ naturæ veram rationem non habent. Neque propter hoc est

locus fictioni, quia Angeli non assumunt corpora, ut homines esse credantur, sed ut auxilium illorum sese exterius secundum humanam rationem prodat. Quare comestio Angelorum non fuit vera comestio: neque enim, sicuti habet Angelicus 1. part. quæst. 51. art. 3. ad 5. „ Cibus assumptus ab Angelis convertebatur „ in corpus assumptum, neque corpus illud talis erat naturæ, in „ quod posset alimentum converti, unde non fuit vera comes- „ tio, sed figurativa spiritualis comestionis. Et hoc est, quod „ Angelus dicit *Tobiæ* 12. 19. *Quum essem vobiscum, videbar* „ *quidem manducare, et bibere, sed ego cibo invisibili, et potu* „ *utor.*" Etiam loquutio, quæ tribuitur Angelis in assumptis corporibus, non est naturalis, sicut advertit idem S. Doctor *De Potent.* quæst. 6. art. 8., sed propter effectum quamdam similitudinem cum naturali loquutione habet, quatenus quidam in aere sonus similes voci homines excitantur ab Angelis.

R. ad ult. cum S. Gregorio M. lib. 2. *Moralium* num. 3. „ Neque enim (inquit ipse) sic a divina visione foras exeunt; „ ut internæ contemplationis gaudiis priventur: quia si condito- „ ris aspectum exeuntes amitterent, nec jacentes erigere, nec „ ignorantibus vera nuntiare potuissent, fontemque lucis, quem „ egredientes ipsi perderent, cæcis nullatenus propinarent."

CAPUT SEXTUM.

De immortalitate Angelorum.

Repugnat sane, Deum cuivis enti creato tribuere, ut a se habeat semper posse subsistere. Conservatio enim est continuata creatio: unde sicuti, hæc est solius Dei, utpote effectus infinitæ virtutis, quæ enti creato communicari non potest, ita etiam illa solius tantum Dei esse potest. Secundum hanc ergo rationem, videlicet Angelos a se habere, ut semper possint subsistere, Angelos esse immortales, nemo dixerit. Est illud quoque certissime tenendum, nunquam futurum, ut Angeli desinant esse: id constat ex æterna beatitudine bonorum, et æterna miseria malorum Angelorum, quam utramque in sacris litteris traditam habemus. Nam *Lucæ* 20. 36. de illis, qui post hanc vitam recipientur in cælum, hæc legimus: *Neque enim ultra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, et filii sunt Dei*: de his autem, qui detrudentur in infernum: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus*, sicuti habetur *Matth.* cap. 25. 41.

Nunc ergo de eo tantum quærimus, utrum Angeli, habita ratione naturæ illorum, sint incorruptibiles, et immortales, ita ut id non solum ab extrinseco, sed etiam a principio intrinseco habeant.

Prop. Angeli sunt immortales, habita ratione naturæ illorum, seu ab intrinseco principio.

Prob. prop. Sicut ergo in animabus contingit, ut ad spiritualitatem immortalitas consequatur, ita etiam in Angelis: sunt enim ipsi omnino expertes materiæ, sicut cap. 3. hujus lib. jam ostendimus, ideoque nihil habent in se, quod dissolvi possit. Et re quidem vera, quod corrumpitur, aliquo modo patitur: nulla autem substantia intellectualis ita patitur, ut inde aliqua corruptio sequatur. Sicut enim habet Angelicus lib. 2. *Cont. Gent.* cap. 55. num. 8. „Pati recipere quoddam est: quod autem recipitur „a substantia intellectuali, oportet, quod recipiatur in ea per „modum ipsius, scilicet intelligibiliter. Quod vero sic in substantia intellectuali recipitur, est perficiens substantiam intellectualem, et corrumpens eam: intelligibile enim est perfectio intelligentis. Substantia igitur intelligens est incorruptibilis." Ex quo illud quoque constat, substantiæ intellectuali nihil adversari posse: nam etiam quæ in se spectata sunt sibi mutuo contraria, sibi esse contraria desinunt, quando, ut ita dicam, recipiuntur in mente entis intelligentis. Nam in ea album, et nigrum, sicut et cetera, nullam contrarietatem habent, immo mens substantiæ intelligentis ex cognitione unius contrarii devenit in cognitionem ulteriorem alterius. Profecto quod est corruptibile, oportet, ut habeat aliquod contrarium, a quo corrumpi possit: si ergo substantiæ intelligentes nullum contrarium habent, inde consequitur, eas ob hanc quoque rationem esse incorruptibiles, et immortales.

Dices. Apostolus I. *ad Timot.* 6. 16. de Deo ait: *qui solus habet immortalitatem*; ergo præter eum nulla substantia creata est immortalis ex sui natura.

R., velle Apostolum, solum Deum immortalem esse independenter a quavis alia causa, videlicet et quatenus a se habet immortalitatem, et quatenus non indiget conservatione alterius causæ, ut semper esse perseveret. Ceterum substantiæ intelligentes, sicuti Angeli, sunt quidem immortales secundum suam naturam, tamen id receperunt a Deo, et quia receperunt, sine conservatione illius ne momento quidem temporis perdurare possent. „Non autem dicitur (inquit Angelicus 1. p. quæst. 50. art. 5. „ad 3.) aliquid esse corruptibile per hoc, quod possit Deus illud in non esse redigere, subtrahendo suam conservationem; „sed per hoc quod in se ipso aliquod principium corruptionis „habet, vel contrarietatem, vel saltem potentiam materiæ."

C. S. Irenæus lib. 2. *Cont. Hæres.* cap. 39. num. 3. dicit: *Quod omnia, quæ facta sunt, initium quidem facturæ suæ habeant, perseverant autem quoad usque ea Deus et esse, et perseverare voluerit.* Hoc autem in numero spiritus quoque reponit. S. Ambrosius *De Fide* lib. 3. cap. 3. num. 19. inquit:

Nec Angelus immortalis est naturaliter, cujus immortalitas in voluntate est creatoris. S. Joan. Damascenus lib. 2. *De Fide Orth.* cap. 3. affirmat, quod „Angelus immortalis est non quidem natura, sed Dei munere, et gratia. Quidquid enim ortum habuit, „finem quoque suapte natura habiturum est." Idem sentiunt alii quoque Patres (a).

R., S. Irenæum hoc in capite refellere eos, qui dicebant, animas esse oportere *innascibiles*, hoc est, non creatas, ut forent immortales: „Discant (inquit num. 2. præced.) quoniam „sine initio, et sine fine, vere, et semper idem, et eodem „modo se habens, est solus Deus, qui est omnium Dominus. „Quæ autem sunt ab illo omnia.... initium quidem suum ac„cipiunt generationis... perseverant autem, et extenduntur in lon„gitudinem seculorum secundum voluntatem factoris Dei: ita „ut sic initio fierent, et postea ut sint, eis donat." Conservatio igitur est sane illa, ad quam respexit Irenæus, qua sane deficiente, spiritus quoque esse defecturos, supra monuimus.

S. Ambrosius in cit. loco illud præmittit, aliam esse immortalitatem Dei, aliam nostram. „Unde (inquit) et Apostolus „quum sciret, et animam, et Angelos immortales, quod solus „Deus immortalitatem habeat, prædicavit." Num. 20. post multa alia in hanc rem ita colligit: „alia ergo immortalitas, quæ „donatur, alia, quæ sine capacitate mutabilitatis est semper." Donatur utique a Deo immortalitas spiritui: 1. quia quam ipse immortalitatem habet, a Deo habet: 2. quia Deus sua conservatione facit, ut spiritus semper esse perseveret.

S. Joan. Damascenus in eodem cap. definiens animam inter cetera hæc habet: *Immortalitatem in natura munere Dei consequuta.* Hoc vero est, quod etiam de Angelis affirmat, videlicet esse quidem immortales, tamen non a se, sed munere Dei, quemadmodum etiam a munere Dei habent, ut sint. Quando vero superaddit: *Quidquid enim ortum habuit, finem quoque suapte natura habiturum est*; videtur respicere conservationem, sine qua quidquid ortum habuit, finem quoque suapte natura habiturum est.

Patres igitur quando asserunt, Angelos non esse immortales sua natura, vel illius immortalitatis, quæ Deo tantum convenit, rationem habent, vel conservationem respiciunt, quæ omnibus creatis necessaria est, ut esse perseverent.

(a) Apud Petavium lib. 1. *De Angel.* cap. 5., et Estium in II. *Sent.* Dist. 8. §. 5.

CAPUT SEPTIMUM.

De distinctis speciebus Angelorum.

Hac quoque de re nunc agendum est a nobis ad complementum cognitionis naturæ Angelicæ. Triplex ergo de hac distinctione, quam Angeli habent inter se, est opinio Theologorum: nonnulli volunt, omnes Angelos esse unius, ejusdemque speciei, sive ad eumdem ordinem, sive ad diversos spectent: alii censent, Angelos unius, ejusdemque ordinis esse omnes ejusdem speciei, alterius autem ordinis speciei diversæ: putant denique ceteri, singulos Angelos specie distingui inter se: ita Thomistæ cum suo Magistro 1. p. quæst. 50. art. 4., quæst. 75. art. 7., et *Cont. Gent.* lib. 2. cap. 94.

Prop. Angeli inter se distinguuntur specie.

Prob. prop. Unus Angelus numero distinguitur ab altero, alioquin esset idem, et non idem: ergo secundum speciem unus Angelus ab altero distinguatur, oportet. Prob. cons. Angeli et sunt incorporei, et nullum habent corpus sibi unitum: ergo secundum rationem substantiæ corpore numero inter se distingui non possunt: sed ut aliqua duo numero inter se distinguantur, substantia corporea, vel species numero distincta facit: ergo si non sit locus substantiæ corporeæ, neque, etiam distinctioni numericæ per se esse potest: ergo si Angeli distinguuntur numero, hanc distinctionem oportet ut a distinctione specifica habeant. Numericam distinctionem esse a sola substantia corporea, perspicuum est: nam Petrus, et Paulus sunt duo individua humanæ naturæ inter se distincta numero, quia substantia corporea Petri est distincta numero a substantia corporea Pauli. Quapropter si Angeli sunt incorporei, nullumque habent ordinem ad corpus, distinctio numerica inter illos non a substantia corporea, sed ab alio principio peti debet: sed hoc principium non potest esse aliud, quam distinctio specifica: ergo Angeli ob distinctionem specificam, quæ est inter singulos, distinguuntur inter se numero. Prob. min. Hujusmodi principium esse intrinsecum debet, quo fiat, ut iste numero Angelus non sit alius Angelus, non vero extrinsecum ab aliquo exteriori principio superveniens, vel pendens ab illis mutationibus, quæ in Angelo possunt contingere: sed duo sunt intrinseca principia, ob quæ hoc ens est tale ens determinatum, et non aliud, scilicet specificum, et materiale; per specificum enim distinguitur unum ens ab aliis, quatenus eamdem naturam ipsa non habent, per materiale ab aliis entibus, quatenus sunt ea distincta numero: ergo ubi deficit materiale, solum specificum debet efficere, ut sit tale numero ens, et non

aliud: ergo tunc quot sunt numero entia, tot principia specifica admitti debent: ergo Angeli, in quibus principum materiale non habet locum, non aliunde numero distincti inter se esse possunt, quam a distinctione specifica. Ipsa ergo distinctio specifica est illa, quæ unum Angelum distinguit ab altero, primo quidem secundum speciem, consequenter etiam secundum numerum, quia tunc Angelus hujus speciei non est idem numero Angelus alterius speciei.

Hoc autem inde magis confirmatur, si advertamus, multiplicationem individuorum unius, ejusdemque speciei ordinatam esse ad conservationem ipsius speciei, quæ in uno individuo non potest conservari: huic autem fini nullus amplius reliquus est locus, semel ac species conservari possit in uno individuo: conservari autem potest, quando individuum est incorruptibile, cujusmodi sunt Angeli: ergo etiam ex hoc capite constat, Angelos inter se distingui specie.

Dices. Plures Patres contra opinantur: ergo. Maximus Martyr in cap. 5. *De Cœlesti Hierarch.* asserit, Angelos esse *naturæ omnino ejusdem.* S. Gregorius Nyss. Oratione 6. *Cont. Eunomium* sub finem loquens de substantiis a Paulo enumeratis ait: *Quamobrem qui dicit, naturarum differentias in illis a Paulo collectis nominibus significari, se ipsum seducit.* S. Cyrillus Alexand. lib. 2. *in Joan. Angelus* (ait) *ab altero Angelo nulla re differt, secundum quod sunt Angeli: nempe quum omnes sint ejusdem speciei, in unam naturam colligantur.* Et in Dialogo 1. *De Trinit. An non similis est natura Angelus Angelo, et homo cuivis alteri homini?*

In hanc quoque rem faciunt istæ propositiones, quæ tom. 25. Bibliot. Patrum pag. 331. damnatæ leguntur a Stephano Episcopo Parisiensi de consilio Magistrorum Theologiæ: prima: *Dicere, quod quia intelligentiæ non habent materiam, Deus non potest plures ejusdem speciei facere*: *error*: secunda: *Dicere, quod Deus non potest multiplicare individua sub una specie sine materia*: *error*: tertia: *dicere, quod formæ non recipiunt divisionem nisi secundum materiam: error.*

R. ad hæc omnia: et primo dico, ex auctoritate Maximi Mart. nihil evinci contra nos: unum enim ipse affirmat, videlicet omnes Angelos esse unius naturæ. Id autem commode intelligi potest tum de spiritualitate, tum de immortalitate eorum, tum de ceteris omnibus, per quæ Angeli differunt ab hominibus.

S. Gregorius Nyssen. in cit. loco contendit, „A Paulo collectas voces virtutum transmundanarum (scilicet principatus, thronos, dominationes, potestates, et virtutes) naturas aliquas inter se differentes, et dispares non significare" sicut Eunomius contendebat. Unde post verba laudata in objectione, ait: *Apostolus per hæc nomina quarumdam dignitatum differentiam in in-*

tellectualibus virtutibus novit, non essentiarum proprietates ostendit. Hæc autem neque attingunt difficultatem, de qua nunc agimus, neque nostræ sententiæ aliquo modo adversantur.

S. Cyrillus lib. 2. *in Joan.* ita revera habet: *Nec Angelus, opinor, ab altero Angelo differat ratione Angelicæ substantiæ, omnibus, ex eo quod sunt ejusdem speciei, in unam naturam colligatis.* Hic autem loqui S. Cyrillum de his, quæ Angelicam naturam generatim constituunt, et constat ex verbis illius, et colligitur ex hoc altero, quod antea præmisit, videlicet homines alios aliis non esse majores.

Ad id, quod superadditur, de propositionibus ab Universitate Parisiensi damnatis (eas enim etiam quidam scriptor nostræ ætatis Thomistis opposuit) respondeo, neminem non videre, quæ tandem in illis auctoritas inesse possit: sed de hoc non est, cur solliciti simus. Nam Universitas Parisiensis latam a se censuram ann. 1274. revocavit ann. 1324. in epistola data ad Dominicanos in Comitiis Generalibus Lugduni congregatos. In ea autem post longiorem commendationem doctrinæ S. Thomæ hæc leguntur: „Articulorum condemnationem supradictam, et excommunicationis sententiam quantum tangunt, vel tangere asseruntur „doctrinam B. Thomæ prædicti, ex certa scientia tenore præsentium annullamus." Hæc apud Bouleum tom. 4. Hist. Univers. Parisien. Eamdem epistolam exhibet etiam Petrus Bergom. in *Tabula Aurea S. Thomæ.*

Tandem advertimus, nullius momenti esse, quod nobis opponitur de animabus separatis specie non distinctis: sunt enim individuæ, quatenus dicunt ordinem ad determinatum corpus, cui semel unitæ fuerunt, atque rursus sunt uniendæ.

LIBER SECUNDUS.

De Angelorum statu, in quo creati fuere.

De primo statu Angelorum, et primi hominis nunc una simul agemus, ne de hoc doctrinæ capite in seq. disputatione iterum agere debeamus. Septuaginta novem Baji propositiones proscripsit S. Pius V. in sua Constit. *Ex Omnibus*, quam Gregorius XIII. in altera: *Prævisionis nostræ*, et iterum Urbanus VIII. in altera: *In Eminenti Ecclesiæ* confirmarunt. In prædictis propositionibus contra diversa Catholicæ doctrinæ capita plures continentur errores: nos tamen eos tantum nunc refutabimus, in quibus Bajus naturam innocentem, et nondum vitiatam per peccatum nimium extulit, ipsique ea tribuit, quæ nullo modo possunt ei convenire. Tradidit igitur ille nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocari gratiam, quia sicut opus

malum ex sui natura est meritorium mortis æternæ ; ita opus bonum ex sui natura est meritorium æternæ vitæ. Hisce constitutis in duabus primis propositionibus, infert in 3. et 4. prop. in Angelis, et in primo homine, si in illo statu perseverassent, felicitatem, seu æternam vitam futuram mercedem, quum promissa illa fuerit eis intuitu bonorum operum, et bona opera ad eamdem consequendam ex lege naturæ per se sufficiant. Quare in promissione facta Angelo, et primo homini (dicit in 5. prop.) contineri naturalis justitiæ constitutionem, qua pro bonis operibus sine alio respectu vita æterna justis promittitur. Erat enim (superaddit in 6. prop.) naturali lege constitutum primo homini, ut si in obedientia perseverasset, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset. Hinc merita primi hominis integri (ita colligit in 7. prop.) fuisse primæ creationis munera, ideoque merita, non gratiam vocari debere. Hoc totum sane est, quod inculcat etiam in prop. 21. 23. et 24. in prima ex istis tradit exaltationem humanæ naturæ in consortium divinæ debitam fuisse integritati primæ conditionis, ac proinde dicendam esse naturalem, non supernaturalem: in altera uti absurdam rejicit sententiam illorum, qui dicunt: hominem ab initio dono quodam supernaturali, et gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, et caritate Deum supernaturaliter coleret: in tertia a vanis, et otiosis hominibus dicit excogitatam esse sententiam, quæ ad Pelagianismum rejicienda est: hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus, et in Dei Filium adoptatus. Voluit ergo Bajus, uti nemo non videt, 1. ut Adamus, et Angeli nullam in sui creatione supernaturalem gratiam acceperint, qua Deo unirentur, uti auctori supernaturali: 2. ut in hoc statu sine ullo supernaturali dono superaddito æternam beatitudinem assequi potuerint: 3. ut propter merita acquisita solis viribus naturæ integræ æternam beatitudinem assequuturi essent, et propterea ea dicenda sit merces, non gratia.

Hac in re etiam Quesnellius Baji vestigia pressit in 34. et 35. prop., quas a Clemente XI. damnatas fuisse, legimus in Constit. *Unigenitus*: in illa enim affirmat, quod *gratia Adami non producebat nisi merita humana*: in ista: quod gratia Adami *est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ, et integræ.* In duabus sequentibus propositionibus, videlicet 36. et 37. idem confirmat, aliumque simul errorem insinuat, de quo non est, cur modo verba faciamus.

Contra recensitos errores nos modo in hoc libro pugnabimus, unde in 1. cap. agemus de gratia, et sanctitate, quam Angeli, et primus homo in sui creatione receperunt: in 2. de actuali gratia, quæ illis necessaria fuit, ut sese converterent in Deum, uti auctorem supernaturalem: in 3. de merito, quo Angeli æternam

beatitudinem consequuti fuere. Postea ad pleniorem explicationem status Angelorum, in quo creati fuerunt, agemus de variis ordinibus illorum jam ab ipsa creatione sui.

Quoniam vero clarissimi viri, atque etiam plane orthodoxi, contendunt, non cadere sub Pontificia censura aliquas propositiones Baji: nunc paucis hac de re videamus, ut condemnationem aliquarum propositionum Baji ad confirmanda, prout res ipsa tulerit, quædam doctrinæ nostræ capita infra securius in medium afferre possimus.

1. Litem movent de virgula, seu commate interponendo inter aliqua, quæ S. Pius V. habet in sua Constit. *Ex omnibus*. Summus itaque Pontifex 79. propositionibus recensitis, eamdem Constitutionem, ita absolvit: „Quas quidem sententias stricto co„ram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pac„to sustineri possent, in rigore, et proprio verborum sensu ab „ assertoribus intento hæreticas, erroneas, suspectas, temera„rias, ac in pias aures offensionem immittentes, respective etc. „damnamus etc. „Volunt ergo inter illa verba: *Quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent*, et inter hæc alia: *In rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus intento* comma, seu virgulam tolli debere, ac propterea hunc esse sensum Pontificiæ definitionis: recensitas propositiones esse quidem hæreticas, erroneas, suspectas etc. tamen quasdam illarum aliquo pacto sustineri posse in rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus intento.

2. Ex hoc inferunt, aliquas illarum esse proscriptas, non prout eas Bajus, et asseclæ illius in rigore, et proprio verborum sensu intellexerunt, sed alio, ad quem Bajus non respexit.

3. Illud quoque opponunt, quasdam propositiones Baji proscriptas esse ob gravem censuram, quæ inuritur iis auctoribus, qui contra sentiunt, ac ipse Bajus sentit in iisdem propositionibus.

Primo itaque de commate videamus. Ripalda *De Ente* tom. 3. disput. 1. sect. 2. num. 10. hæc habet: „Apud me extat „Bulla originaria impressa Romæ ann. 1579. tradita P. Petro „de Arrubala Cardinali Toleto, qui ex commissione Gregorii „XIII. conclusit causam Michaelis Baji, et primum Bullam vul„gavit, in qua manifestum, et genuinum est comma dividens „verba illa Bullæ: *Aliquo pacto sustineri possunt*, a sequen„tibus: *In rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus „intento*, eoque rigorem et proprium verborum sensum re„ferens ad verba: *Damnamus, abolemus, et circumscribi„mus*." Idem Auctor cit. loco num. 11. hæc superaddit: „Quod „si ad originalem Bullam licet respicere: testatus est Emin. „Cardinalis de Lugo, vidisse se primum autographum origina„le Bullæ Pii V. non in Regesto, in quo a Scriptoribus Apos„tolicis Bullæ describuntur, in quo nullæ solent interpunctiones

„ apponi, sed in ipso autographo ipsius Cardinalis, qui jussu „ ejusdem Pii Bullam concepit, et extendit secundum mentem „ Pontificis, et inspexisse diligenter, quomodo se haberent in- „ terpunctiones in contextu ipsius censuræ, et deprehendisse, „ quod post illa verba: *Quamquam nonnullæ earum aliquo pac- „ to sustineri possent*, ante illa alia, quæ immediate sequun- „ tur: *In rigore, et proprio verborum sensu*, interpositum erat „ comma." His omnibus accedit, Urbanum VIII. precibus Aca- demiæ Lovaniensis inductum misisse ad eamdem exemplar Pianæ constitutionis, in quo prædictum comma interpositum erat, at- que jusisse, ut illi fides haberetur ab omnibus. Videatur Ri- palda loco citato, et Paludanus in Apologia constitutionis Ur- bani *In Eminenti* cap. 9. Non est, cur alia in hanc rem affe- ramus: sunt enim ista talia, ut ex iis nullam rationem eorum habendam esse, quæ Vasquesius in 1. 2. Disput. 199. cap. 18. in contrarium refert, manifeste pateat.

Solum ergo nunc commemorabimus, quæ Natalis ab Ale- xandro *Hist. Eccl.* sec. 15. et 16. cap. 2. art. 14. sapienter advertit: „Accedit, (inquit) quod si absque nota distinctionis, „ seu virgula in Pontificio Pii V. diplomate hæc sententia le- „ genda esset, sibi ipsi contradixisset Sapientissimus Pontifex: „ hoc enim posito, nonnullæ Baji propositiones non solum *ali- „ quo pacto*, sed simpliciter, et absolute sustineri possent: Si- „ quidem fieret sensus, illas in rigore, et sensu proprio etiam „ sustineri posse; quod sane idem est, ac posse absolute, et „ simpliciter sustineri. Propositio enim, quæ ex vi sua, et „ secundum sensum, quem reddit, propugnari potest, absolute „ et simpliciter defendi potest. Absurdissime etiam fingitur, Pon- „ tificem damnare sententias, quas ipsemet in rigore, et pro- „ prio sensu posse sustineri judicat." Tandem Toletus nomine Pontificis non postulasset a Baji, atque ab eo obtinuisset re- tractationem omnium propositionum, si aliquæ illarum in rigo- re et proprio sensu verborum intento ab assertoribus, videlicet a Bajo, et ab iis, qui eidem adstipulabantur, defendi potuis- sent. Ex his autem omnino refutatum remanet, quod secundo loco nostræ sententiæ opponitur.

Nunc de eo, quod tertio loco reponitur. Porro propositio- nes, in quibus Bajus contra se sentientibus Pelagianismi notam inurit, sunt 12. 17. 22. 24. 28. 37. 65. Nimis longum esset, nunc ostendere velle, manifestum errorem in iis contineri. Bre- vitatis gratia duas Baji propositiones expendamus, in quarum una non est annexa censura, in altera autem est annexa: prop. 27. *liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet.* 28. *Pelagianus est error dicere, quod libe- rum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum;* Porro quod non valet ad ullum peccatum vitandum, nonnisi ad peccandum

valet. Similiter tam in prop. 2., in qua nota Pelagianismi inuritur, quam in 25., in qua nulla hujusmodi nota occurrit, idem error proscribitur. Quare non negamus, aliquas propositiones esse quoque dignas proscriptione propter censuram, verum potissimum esse proscriptas propter errorem, hoc vero est, quod volumus.

CAPUT PRIMUM.

De gratia, et sanctitate, quam Angeli, et primus homo in sui creatione receperunt.

Illud nunc, prout ad rem nostram interest, animadverti debet, sub nomine gratiæ 1. generatim venire dona naturalia, uti creatio, et omnia ea, quæ, uniuscujusque naturæ habita ratione, ad illam vel ex se consequuntur, vel ipsi naturæ sunt superaddita singulariter, eamdem tamen ad supernaturalem ordinem non elevant: 2. Dona supernaturalia nullo modo debita naturæ intellectuali, quæ transferunt illam ad ordinem supernaturalem, et in statu viæ sanctitatem, et conjunctionem cum Deo, in statu patriæ beatitudinem æternam respiciunt. Hæc est illa gratia in proprio sensu accepta, quam Apostolus, Patres Ecclesiæ, Concilia, atque Theologi celebrarunt, deque ea nos modo loquimur. Pelagius omnium primus ad fucum faciendum aliis nomine gratiæ dona naturalia, atque ipsam legem intellexit, sicuti constat ex Augustino epist. 183. num. 3., alias epist. 143., ex epist. 186. num. 1., alias epist. 106., ex epist. 187. num. 9., alias epist. 57., qui illud quoque affirmat epist. 177. num. 2., alias epist. 95., Pelagium judicio Patrum Diospolitanorum absolutum fuisse, quia, dicente illo, se admittere gratiam, „Catholici Antistites nullam aliam gratiam intelligere potuerunt, „nisi quam in libris Dei legere, et populis Dei prædicare „consueverunt." Hac in re quoad statum, in quo Angeli, et primus homo creati fuerunt, Bajus, et Quesnellius Pelagium sequuti fuerunt, sicuti constat ex ipsis propositionibus illorum, quas supra recensuimus, atque etiam jam ostensum a pluribus (a). Nunc ergo in priori propositione contra errorem Baji, et Quesnellii, in altera vero apariemus, quid nobis videatur magis probabile quoad illam decentiam, seu congruentiam, secundum quam Angelis, et primo homini in sui creatione a Deo gratiam communicatam fuisse, nonnulli Theologi Catholici dicunt.

Prop. I. Angeli, et primus homo in sui creatione supernaturalem a Deo gratiam receperunt.

(a) Id præstiterunt omnes fere propugnatores Const. *Unigenitus*.

Prob. prop. S. Basilius in Psal. 32. num. 4. „ itaque (inquit) quod Angeli sunt, ab opifice Verbo universorum conditore habent: eis vero sanctitatem Spiritus Sanctus impertivit. Non enim infantes creati sunt Angeli, deinde paulatim exercitio perfecti, sic facti sunt digni, qui Spiritum reciperent, sed in prima constitutione, et substantiæ suæ quasi mixtura infusam habuere sanctitatem." S. Hieronymus in cap. 3. Oseæ, *sicut dæmones, qui lapsi de propria dignitate, et nihil antiquæ gratiæ possidentes, aridi sunt; et veteri siccitate marcentes.* S. Augustinus lib. 12. *De Civit. Dei* cap. 9. num. 1. tradit Angelos factos cum bona voluntate, ideoque, „ simul ut „ facti sunt, amore, cum quo facti sunt, adhæserunt... (num. „ 2.) Et istam quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærerent, creavit, simul eis et condens naturam, et largiens gratiam." Unde colligit, Angelos, qui ceciderunt, aut accepisse *minorem amoris divini gratiam*, aut, si æqualem cum aliis, qui steterunt, accepere; istos *amplius adjutos* fuisse. Hisce vero præhabitis ita concludit: „ Confitendum est igitur cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum „ etiam de sanctis Angelis posse dici, quod caritas Dei diffusa „ sit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis" (a). Eodem lib. cap. 13. num. 1. loquens de primo homine ait: „ Quoniam si voluntas in amore superioris immutabilis boni, a quo „ illustrabatur, ut videret, accendebatur, ut amaret, stabilis „ permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur." Lib. *De Corrept. et Grat.* num. 29. Adam habuisse *Dei gratiam* et quidem *magnam*, affirmat. S. Gregorius M. lib. 27. *Moral.* num. 63. „ Ut virtutes Angelicæ, quæ in divino amore fixæ perstiterunt, lapsis superbientibus Angelis, hoc in munere retributionis acceperunt." S. Joan. Damascenus lib. 2. *De Fide Orth.* cap. 3. „ Per Verbum omnes Angeli creati sunt, et Sancto Spiritu sanctificante, consummationem acceperunt, ut pro „ sua quisque dignitate, et ordine splendoris, gratiæque participes essent." S. Bernardus Serm. 22. in *Cant.* num. 6. „ qui „ erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur, „ sic illum de captivitate eruens, sicut hunc a captivitate defendens." Consonum ergo est dictis Sanctorum, sicuti Angelicus advertit 1. p. quæst. 62. art. 4., Angelos creatos in *gratia gratum faciente.*

Quoad primum hominem hæc debet Angelicus 1. p. quæst. 95. art. 1. „ dicendum (inquit) quod quidam dicunt, quod „ primus homo non fuit creatus in gratia, sed tantum postmodum gratia fuit sibi collata, antequam peccasset. Plurimæ autem auctoritates Sanctorum attestantur, hominem in statu in-

(a) Rom. 5. 5.

„ nocentiæ gratiam habuisse. Sed quod fuerit conditus in gratia, „ ut alii dicunt, videtur requirere rectitudo primi status, in „ qua Deus hominem fecit secundum illud *Ecclesiast. 7. Deus fe-* „ *cit hominem rectum.* Erat enim rectitudo secundum hoc, quod „ ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, et ani- „ mæ corpus. Prima autem subjectio erat causa et secundæ, et „ tertiæ... Manifestum est autem, quod illa subjectio corporis „ ad animam, et inferiorum virium ad rationem, non erat na- „ turalis, alioquin post peccatum mansisset; quum etiam in Dæ- „ monibus data naturalia post peccatum manserint, ut Diony- „ sius dicit 4. *De Div. Nomin.* Unde manifestum est, quod et „ illa prima subjectio, qua ratio subdebatur Deo, non erat so- „ lum secundum naturam, sed secundum supernaturale donum „ gratiæ: non enim potest esse, quod effectus sit potior, quam „ causa. Unde dicit Augustinus lib. 13. *De Civit. Dei* cap. 13. „ *quod postea unum præcepti facta est transgressio, confestim* „ *gratia deserente divina, de corporum suorum nuditate con-* „ *fusi sunt. Senserunt enim motum inobedientis carnis suæ,* „ *tanquam recprocam pœnam inobedientiæ suæ.* Ex quo datur „ intelligi, si, deserente gratia, soluta est obedientia carnis ad „ animam, quod per gratiam in anima existentem inferiora ei „ subdebantur." Adamum ergo supernaturalem a Deo gratiam re-cepisse, tradit Aug-licus uti rem certam, et solummodo quæ-rit, utrum hanc gratiam in prima creatione sui receperit, an vero postea, tamen ante peccatum; priorem ipse sententiam amplectitur; ejusque veritatem ostendit.

Dices. Cæcitas oculi dicitur vitium illius, quia oculo est na-turale videre lumen. Hinc S. Augustinus lib. 11. *De Civit. Dei* cap. 17. *non itaque esset vitium recedere a Deo, nisi naturæ, cujus id vitium est, potius competeret esse cum Deo.* Et lib. 12. cap. 1. num. 3. *Ut quum vitium auvium dicitur surditas, ad earum* naturam pertinere demonstratur auditus: Ita quum *vitium naturæ Angelicæ dicitur, quod non adhæret Deo, hinc apertissime declaratur, ejus naturæ*, ut Deo *adhæreat, convenire.* Hæc Bajus *De Prima homin. Justit.* lib. 1. cap. 4. ad ostendendum gratiam in primo homine, et Angelis esse natu-rale donum.

2. Ita pergit Bajus in cap. 5. ejusdem lib. Natura humana potest considerari dupliciter: 1. Secundum conditionem suæ pri-mæ institutionis: 2. Secundum corruptionem primæ transgressio-nis: Unde duobus modis potest dici, aliquid illi naturale esse, videlicet *simpliciter, et proprie* respectu prioris conditionis, et *improprie*, atque *analogice* respectu alterius conditionis, in qua *libido, mors, et reliqua mala, quæ per peccatum in naturam humanam invecta generatione trajiciuntur in posteros.* Hinc Aug. lib. 1. *Retract.* cap. 10. num. 3. explicans illud, quod dixerat

lib. 2. *De Genesi Cont. Manich.* num. 4. *nullum malum est naturale*, ait hoc dictum referri debere ad naturam, *qualis sine vitio primitus condita est.* Eodem lib. cap. 15. num. 6. quod dixerat lib. *De Duabus anim. cont. Manich.* num. 17. *natura esse mala animæ nullo modo queunt* dicit hac sua loquendi ratione intellexisse naturam, *in qua sine vitio creati sumus.* Et in lib. *De Nat. et Grat.* num. 81. affirmat, se *proprie* vocare eam naturam, in quo homo *primum in suo genere inculpabilis factus est.*

3. Idem Bajus cap. 6. cit. lib. justitiam primo homini naturalem fuisse colligit ex pluribus auctoritatibus SS. Patrum, qui affirmant, nihil esse tam naturale homini, quam obedire legi Dei, nihil tam contra naturam, quam a præscripta lege recedere.

4. Tandem cap. 7. justitiam in primis parentibus naturalem fuisse, contendit constare ex ipsis pœnis, quas illi receperunt. Nam hujusmodi pœnæ, non in supernaturalium, sed in naturalium donorum privatione consistunt.

R. ad 1. Neminem negare posse, vitium, peccatum, et transgressionem legis esse contra naturam hominis, secundum naturam vero illius, virtutem, actum virtutis, et observantiam legis: Sicuti enim advertit S. Thomas 1. 2. quæst. 71. art. 2. vitium opponitur virtuti, virtus autem uniuscujusque rei in eo posita est, ut sit bene disposita secundum convenientiam suæ naturæ: Natura autem rei uniuscujusque, sicut habet idem S. Thomas, „Potissimum est forma, „secundum quam res speciem sortitur: homo autem in specie „constituitur per animam rationalem: Et ideo id, quod est „contra ordinem rationis, proprie est contra naturam hominis, „in quantum est homo, quod autem est secundum ordinem ra„tionis, est secundum naturam hominis, in quantum est homo." Ex hoc tamen non consequitur, posse hominem viribus naturæ servare legem sibi impositam a Deo. Pelagianorum error iste fuit. Homo ergo ex se habet, ut operari possit contra suam rationem, propterea que contra suam naturam, quia est ex nihilo, et ex suis viribus, non habet, ut operetur secundum ordinem rationis, ideoque, et secundum suam naturam. Unde Augustinus dicit Angelo fuisse naturale adhærere Deo, quatenus hoc erat secundum naturam illius, non quatenus id posset viribus naturæ. Et cit. lib. 12. *De Civit. Dei* cap. 1. num. 2., quod natura, quæ beata esse potest, *non ex se ipsa potest, quæ ex nihilo creata est, sed ex illo, a quo creata est.*

R. ad 2. Sensum verborum Augustini a Bajo perverti. Profecto Augustinus in cit. lib. 1. *Retract.* cap. 10. num. 3. explicat nonnulla a se dicta in aliis libris, quæ, sicut ipse inquit, Pelagiani *ad suum dogma trahere* possent, videlicet peccatum originale non esse transfusum in genus humanum. Unde monet, in eo, quod dixerat, scilicet: *Nullum esse malum naturale*, Pelagianos,

posse quærere latebram, nisi hoc dictum ad naturam talem referatur, qualis sine vitio primitus condita est. Ea enim natura nullum malum sibi naturale habuit, quia integra erat, nostra autem nunc natura aliquod malum sibi naturale habet, quia est corrupta propter transfusionem originalis culpæ, quæ est vitium, et peccatum naturæ.

Eodem sensu explicat S. Augustinus cap. 15. num. 6. illud alterum: *natura esse mala animæ nullo modo queunt*: nam inquit: „Si quæritur, quomodo accipiamus, quod ait Apostolus: „*fuimus et nos filii iræ, sicut et ceteri:* respondemus, naturam „in his verbis meis intelligi voluisse illam, quæ proprie natura „dicitur, in qua sine vitio creati sumus." Nullum enim tunc ex parte naturæ in anima vitium erat, sicuti modo est propter labem originalem.

Demum S. Doctor etiam in cit. loco lib. *De Nat., et Grat.* sine gratia *naturam humanam jam contenebratam, et vitiatam illuminari non posse*, urget contra Pelagianos: unde distinguit naturam hominis, *in qua primum in suo genere inculpabilis factus est:* quæ sane natura neque contenebrata, neque vitiata erat, a natura, *in qua ex illius damnati pœna et ignari, et carni subditi nascimur*, quæque propterea, et vitiata, et contenebrata est propter culpam originalem. Ex his autem omnibus illud unum consequitur, nunc homines, habita ratione corruptionis naturæ, in malum præ primo homine facilius pertrahi posse.

R. ad 3. Dicta Patrum quo sensu accipi debeant, jam explicatum esse a nobis in prima responsione.

R. ad 4. Propter peccatum fuisse privatum primum hominem non solum gratia quoad animam, sed etiam aliis donis, quæ nespiciebant corpus, et ab ipsa gratia proficiscebantur: „Corpus „primi hominis (inquit Angelicus 1. p. quæst. 76. art. 5. ad 1.) „ante peccatum immortale fuit non per naturam, sed per gra„tiæ divinæ donum: alioquin per peccatum immortalitas ejus su„blata non esset, sicut nec immortalitas dæmonis." Idem confirmat quæst. 97. art. 1. ad 3.

Prop. II. Auctor *Theologiæ Supplicis* cap. 15. §. 1. non solum temere, et contra subjectionem debitam definitionibus Sedis Apostolicæ, sed etiam imperite quæsivit, utrum damnatio prop. 35. Quesnellii complectatur damnationem opinionis illorum Theologorum, qui *de congruo*, habita ratione bonitatis ipsius Dei, gratiam primo homini debitam censent, et divinæ providentiæ quam maxime arbitrantur congruere, ut primum hominem sua gratia extolleret ad ordinem supernaturalem.

Prob. prop. Quoad hanc alteram partem: nam de priori nunc non est disserendi locus, deque illa constare supponimus ex iis, quæ de Locis Theologicis disputavimus. Profecto inter

Bajum, Quesnelliumque, et illos Clar. Theologos, qui præcitatam opinionem tuentur, hoc quam maximum discrimen interest, ut illi gratiam voce tenus admiserint, eaque non aliter, ac Pelagius, intellexerint naturalia dona, sicut jam animadvertimus: contra vero isti volunt, infusam fuisse primo homini supernaturalem gratiam, qua ad supernaturalem ordinem elevaretur, eaque *non humana merita* producerentur, sed supernaturalia, quæ ad consequutionem æternæ vitæ conferrent. Hæc vero differentia, quæ sub oculos per se cadit, si advertatur, nemo non videt, Auctorem Theologiæ supplicis suum quæsitum imperite, atque præter omnem rationem proposuisse.

Prop. III. Nobis haud probabilis esse videtur opinio hujusmodi Theologorum (a).

Prob. prop. S. Augustinus rationem illorum, quæ fecit Deus, in absolutam bonitatem illius simpliciter refundit, habita etiam ratione supernaturalium. *De Civit. Dei* lib. 12. cap. 14. ait, Deum *sola bonitate fecisse, quod factum est;* et *Confess.* lib. 13. num. 2., quod *ex plenitudine bonitatis creatura subsistit;* lib. 11. *De Civit. Dei* cap. 21. affirmat, bonitatem Dei causam fuisse *ad bona creanda.* Eodem lib. cap. 24. ait, Deum *sola bonitate fecisse, quod factum est,* et ab hac eadem bonitate dicit esse Angelorum *originem, informationem, beatitudinem.* Tandem lib. 12. *De Civit. Dei* cap. 1. num. 2 postquam affirmavit, Deum in Angelis condidisse naturam, et simul gratiam largitum illis fuisse, hæc superaddit: „Confitendum est „igitur eum debita laude creatoris, non ad solos sanctos ho„mines pertinere, verum etiam de Sanctis Angelis posse dici, „quod caritas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum." Semel ac autem Deus quæcumque fecit, sola sua bonitate fecit, atque a bonitate illius est non minus origo, quam informatio, et beatitudo Angelorum, inde consequitur, ut sicuti dici non debet, Deum secundum peculiarem rationem congruenter ad suam bonitatem hæc, vel illa, hujus, vel alterius conditionis produxisse in ordine naturæ, ita etiam non est dicendum secundum peculiarem rationem congruenter ad suam bonitatem in ordine supernaturali donum gratiæ Angelis, et primo homini communicasse. Nullus ergo modus communicationis divinæ gratiæ est præscribendus bonitati Dei, etiam habita tantum ratione cujusdam congruentiæ peculiaris respectu ejusdem bonitatis. Hinc Augustinus ad bonitatem divinam simpliciter appellavit, quando indicavit rationem, ob quam Deus fecit, tam quæ ad naturalem, quam quæ ad ordinem supernaturalem pertinent.

Et re quidem vera semel ac duo sint homines et ab originali labe mundati, et habituali gratia præditi, illis sane in hoc

(a) Vid. Bertius in *August. Syst. vind.* Dissert. 2. cap. 1. num. 12.

statu constitutis beatitudo æterna debetur; nam concupiscentia, quæ remanet in eis, non est peccatum: quandoque ut perseveret, uni divinitus datur, non vero alteri; illi hoc dari secundum peculiarem rationem congruenter ad bonitatem divinam, dici non potest, alioquin Deus contra peculiarem rationem congruentem bonitati ejus alteri non daret. Sistendum ergo est quoad hanc rem in incomprehensibilitate divinorum judiciorum, et cum S. Augustino Serm. 53. *De Verbis Evangel.* num. 15: dicendum: *attende profundum: gratia Dei est in occulto voluntatis.* Angeli sane, et primus homo creati quidem supponuntur expertes cujusvis defectus; attamen si etiam supponantur destituti gratia supernaturali, eis æterna gloria nullo modo debetur: si ergo in electione unius præ alio, quorum uterque et cujusvis peccati est expers, et in habituali gratia constitutus, attendi non debet peculiaris ratio congruitatis in ordine ad divinam bonitatem, dum uni datur, ut perseveret, non alteri; multo magis ad eamdem peculiarem rationem attendi non debet quoad gratiam, quæ Angelis, et primo homini a Deo collata fuit.

Quare advertendum est, aliud esse dicere, Deum, quidquid facit, congruenter ad suam bonitatem facere, ita ut nihil faciat, quod non congruat bonitati ejus: aliud vero, secundum singularem rationem divinæ bonitati congruere, Deum hoc, vel illud facere, hoc, vel illud supernaturale donum enti rationali conferre. Prius simpliciter rectissime dicitur: alterum ne dicatur, prohibere videntur, et profunditas judiciorum divinorum, et bonitas ipsa Dei, quæ est nobis omnino imperscrutabilis, adeoque hoc, vel illud donum ab ea dimanare debere, neque etiam secundum quamdam congruentiam, quæ ad eamdem divinam bonitatem referatur, affirmare non possumus.

CAPUT SECUNDUM.

De gratia actuali, quæ Angelis, et primo homini necessaria fuit, ut sese converterent in Deum uti auctorem supernaturalem.

Utrum Angeli, et primus homo præter illam gratiam, quam in prima origine sui receperunt, indiguerint alia actuali gratia, seu adjutorio divino, quo sese converterent in Deum, uti auctorem supernaturalem beatitudinis, hoc vero est, quod nos modo quærimus: revera autem eos tali gratia indiguisse, nunc propugnabimus. De hujus ergo necessitate gratiæ tantum agemus: utrum vero oporuerit, eam ab intrinseco efficacem esse, quæ daret Angelis, atque primo homini, ut agerent, seque actu converterent in Deum, uti auctorem supernaturalem, modo non

discutiemus. De hoc doctrinæ capite disseremus in Disput. De Gratia, quoniam explicatio diversarum notionum gratiæ requiritur ad intelligentiam illius.

De conversione hic loquimur non in eo sensu, quatenus qui se convertit ad Deum, aut aversus ab illo antea sit, aut in medio quodam statu consistat, a quo sese convertat ad Deum. Angeli enim una cum primo homine creati in gratia ad Deum conversi erant; habitualique præditi gratia: unde non indigebant dono habituali gratiæ, quo se in Deum possent convertere, sed solummodo actuali auxilio, et motione Dei, qua se in Deum actu converterent, applicantes ad actum bene operandi potentiam proficiscentem a gratia habituali.

Prop. Angeli, et primus homo, ut sese converterent in Deum auctorem supernaturalem, auxilio gratiæ specialiter indiguere.

Prob. prop. Apostolus *1. Corint.* 4. 7. (inquit): „quis „enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? „Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?" Hæc profecto sententia complectitur etiam Angelos, et primum hominem: nam et ipsi quoque se discernere non poterant, quia nihil habebant a se, ac propterea quod habebant, se illud non accepisse gloriari non poterant. At Angeli non peccantes supra Angelos peccantes sese dissevissent, semel ac sine singulari auxilio gratiæ Dei sese convertissent in Deum auctorem supernaturalem, et in bono perstitissent, quia tunc quoad supernaturalia dona tam ipsi, quam Angeli deficientes a justitia Dei, fuissent æquales: dicendum ergo est, Angelos, ut sese converterent in Deum auctorem supernaturalem beatitudinis, speciali auxilio gratiæ indiguisse. S. Anselmus *De Casu Diaboli* cap. 1. quærit: utrum dictum Apostoli respiciat solum nunc homines, an etiam Angelos, et post multa ita colligit: *Vide, si non solum homini, sed et Angelo potest dici, quia non habet, quod non accepit.* Cap. 2. affirmat, Angelum, qui stetit, ideo stetisse, quia a Deo accepit, alium, qui non stetit in veritate, ideo non stetisse, quia a Deo non accepit. Augustinus lib. 12. *De Civit. Dei* cap. 9. quærit: *An Sancti Angeli, quem habent creatorem naturæ, eumdem habeant bonæ voluntatis auctorem per Spiritum Sanctum in eis caritate diffusa* respondet, atque ostendit, eos habere. Quærit deinde quomodo contigerit, ut quidam eorum, licet creati cum bona voluntate, peccaverint, alii autem perseveraverint in bono: respondet, eos, qui peccarunt, *aut minorem accepisse amoris divini gratiam*, videlicet in sui creatione, *quam illos, qui in eadem perstiterunt, aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem... pervenerunt.* Aliquid ergo singularis gratiæ Augustinus semper præsupponit in illis Angelis, qui æter-

nam beatitudinem assequuti fuerunt. Hinc lib. 12. *De Civit. Dei* cap. 9. „Et quum (inquit) id egit eorum voluntas bona, „ut non ad se ipsos, qui minus erant, sed ad illum, qui „summe est, converterentur..... quid aliud ostenditur, nisi vo„luntatem quamlibet bonam inopem fuisse in solo desiderio re„mansuram, nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capa„cem fecerat, ex se ipso faceret implendo meliorem, prius fa„ciens excitando avidiorem." Lib. *De Corrept. et Grat.* num. 32. illud constituit, tum Angelorum, tum primi hominis ad peccandum, vel non peccandum unam, eamdemque conditionem fuisse, potuisseque eos non peccare, quia *quum primum facti sunt*, ad id habuerunt adjutorium, alioquin *non utique sua culpa cecidissent.* Hujusmodi autem adjutorium, pergit S. Doctor, quibus nunc deest, in peccati pœnam deesse, quibus datur, dari secundum gratiam, qua fit in nobis *in bono recipiendo, et perseveranter tenendo, non solum posse, quod volumus, verum etiam velle, quod possumus.* Prius, scilicet posse, quod vellet, in primo homine fuisse dicit, non vero alterum, hoc est, velle, quod posset. Quare prius, et non alterum? *Namque ut reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdiderat: ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset.* Quapropter Augustinus dum affirmat in hoc loco, ad quem Adversarii semper appellant, primum hominem in bona voluntate permanere potuisse, si voluisset, similiter Angelos bonos stetisse per liberum arbitrium, per quod alii ceciderunt, de ea potentia liberi arbitrii, et de illo adjutorio loquitur, *quod si vel Angelo, vel homini, quum primum facti sunt, defuisset.... non utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Ceterum ut primus homo perseveraret in bono, (idemque dicendum est de Angelis) eguit sane *adjutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset.* Hæc ex Augustino, licet alia multa in medium producere possemus.

S. Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum cap. 2. loquens de Angelis: „profecto (inquit) cognoscitur, uniformi cunctos op„primi potuisse ruinæ consortio, nisi, quos vellet, a casu „pravitatis virtus divina defenderet." Et cap. 3. „non alia „virtus stantem Angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, „quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est „in utroque gratia operata, in hoc ut surgeret, in illo ne „caderet." S. Bernardus Serm. 22. in *Cantic.* num. 6. „qui „erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur, „sic illum de captivitate eruens, sicut hunc de captivitate de„fendens." S. Gregorius M. in *Ezech.* lib. 2. homil. 2. num. 5. tradit, quod Dei Filius Angelis fuit *fortitudo*, ne *caderent, nobis adjutorium, ut surgamus post casum.* Tandem Arausicanum

II. Concilium can. 19. ita statuit: „Natura humana etiamsi „in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo „modo se ipsam, creatore suo non adjuvante, servaret. Unde „quum sine Dei gratia salutem non possit custodire, quomo„do sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?" Hinc Angelicus 1. p. quæst. 62. art. 2. advertit, motum naturalem voluntatis ad ea esse, quæ sunt secundum naturam, atque ex hoc principio undequaque certo ita colligit: „Unde nulla crea„tura rationalis potest habere motum voluntatis ordinatum ad „illam beatitudinem (scilicet supernaturalem) nisi mota a super„naturali agente: et hoc dicimus auxilium gratiæ. Et ideo di„cendum est, quod Angelus in illam beatitudinem voluntate con„verti non potuit nisi per auxilium gratiæ."

Dices. S. Augustinus *De Corrept. et Grat.* num. 27. ait: *Deum sic ordinasse Angelorum, et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium*: atque superaddit: *Angelos bonos per liberum arbitrium in veritate stetisse*. Similiter de primo homine num. 28. affirmat, eum accepturum fuisse plenitudinem beatitudinis, semel ac per liberum arbitrium in statu recto ipse manere voluisset.

Num. 29. Illud inculcat, *disparem* esse gratiam Adami ab ea, quam nos recipimus, quum hæc sit *potentior*.

Num. 37. Advertit, perseverare, vel non perseverare, relictum in primi hominis arbitrio voluntatis, „Quæ sine ullo fue„rat constituta peccato, et nihil illi ex se ipso concupiscentia„liter resistebat, ut digne tantæ bonitati, et tantæ bene viven„di facilitati perseverandi committeretur arbitrium."

Hæc opponunt Hexaplarii in Const. *Unigenitus* part. 8. art. 3., qui etiam in medium afferunt auctoritatem Basilii in *Psal.* 29. et Clementis Alex. *Contr. Antropomorphitas* cap. 10., quorum prior affirmat, gratiam, quæ nunc datur, illa priori esse fortiorem, alter Adamum ea potentia præditum fuisse, ut virtuose agere posset.

R. S. Augustinum cit. num. 27. certissimi principii loco habere, nos saluberrime confiteri, et rectissime credere, omnia a Deo creata esse bona valde, eumque præscivisse, *mala ex bonis exoritura esse, vidisseque magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere etiam de malis bene facere, quam mala esse non sinere*. In hujus rei confirmationem superaddit) *sic ordinasse Angelorum, et hominum vitam etc.*, quatenus eos suo arbitrio abuti permisit, ut ipse deinde ostenderet, quid *posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium*. Unde Angelos malos, qui *per liberum arbitrium a Domino refugæ facti* fuere, Dei judicium effugere non potuisse, dicit: alios autem, qui *per liberum arbitrium in veritate steterunt*, affirmat, *eam de suo*

casu nunquam futuro certissimam scire meruisse. Nunc ergo explicandum est, Angelos per liberum arbitrium in veritate stetisse, qua ratione Augustinus voluerit. Hanc sane rationem idem Augustinus statim prodit, dum suum sermonem convertit ad diabolum, et Angelos illius. Licet ergo ipsi, superaddit Augustinus, beati essent, antequam caderent, et se in miseriam prolapsuros nescirent; „Erat tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, id est, ut, magna per Spiritum Sanctum data abundantia caritatis Dei, cadere ulterius omnino non possent, et „hoc de se certissimè nossent." His semel positis, adverti debet, S. Doctorem id discriminis ponere inter beatos Angelos, qui perseverarunt, atque alios Angelos, qui non perseverarunt, ut illi noverint, nunquam futurum, ut caderent, isti non noverint. Unde dicit: *Erat tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini.* Deinde vero explicat his verbis quid requirebatur, ut adderetur illorum beatitudini, quod deerat: *Ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia caritatis Dei, cadere ulterius omnino non possent, et hoc de se certissime nossent.* Sed hoc Angeli boni certissime noverunt: ergo illis magnam per Spiritum Sanctum datam abundantiam caritatis Dei, S. Doctor præsupponit.

Quapropter S. Doctor non eo sensu dicit, Angelos bonos per liberum arbitrium in veritate stetisse, quatenus et perseverantiam in gratia, et assequutionem beatitudinis illorum libero arbitrio tribuat, sed quatenus per liberum arbitrium recedendo a veritate *ad se ipsos, qui minus erant, sese non converterunt:* hoc enim solo libero arbitrio peragitur. Ceterum eorum bona voluntas *inops in solo desiderio* remansura fuit, *nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex se ipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem*, sicuti tradit S. Doctor in citato lib. 12. *De Civit. Dei* cap. 9.

Quæ autem de Angelis, eadem et de primo homine Augustini sententia fuit: nam sicut jam animadvertimus, in hoc eodem lib. *De Corrept. et Grat.* num. 32. simpliciter pronuntiavit, primum hominem, ut in bono permaneret, indiguisse *adjutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset.*

Ad alterum desumptum ex cit. num. 29. respondeo cum D. Thoma 1. p. quæst. 62. art. 2. ad 2. „Converti autem ad beatitudinem ultimam homini quidem est difficile, et quia est supra naturam, et quia habet impedimentum ex corruptione corporis, et infectione peccati: sed Angelo est difficile propter „hoc solum, quod est supernaturale." Hoc impedimentum singulare hominis etiam S. Augustinus in citatis num. lib. *De Corrept. et Grat.* sæpius inculcat, indeque dicit, gratiam, quæ nunc nobis confertur, esse potentiorem illa, quæ Adamo colla-

ta fuit, quoniam gratia in nobis impedimentum proveniens tam ex corruptione corporis, quam ex infectione peccati, vincere debet.

Ad 3. acceptum ex num. 37. cit. lib. *De Corrept. et Grat.*, in quo dicit S. Augustinus, primo homini in tanta bonitate, et in tanta bene vivendi facilitate constituto, perseverandi arbitrium commissum fuisse, ita ut perseverare, vel non perseverare relictum esset arbitrio ejus, respondeo, S. Doctorem affirmare quidem et non perseverare, et perseverare relictum in arbitrio primi hominis, sed tamen non eodem modo utrumque: non perseverare quidem simpliciter relictum in arbitrio primi hominis, quatenus ipse solus per se a bono recedere poterat, sicuti revera fecit: perseverare autem non simpliciter relictum in arbitrio ejus, quatenus ipse solus per se in bono persistere perseverando posset, sed quatenus in tanta bonitate, et tanta bene vivendi facilitate constitutus nullum ex parte sui habebat impedimentum. Hoc enim ut assequeretur, *et in bono permaneret*, Augustinus in hoc lib. num. 32. simpliciter pronuntiavit, eum *eguisse adjutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset.* Hoc autem, adhibito etiam exemplo, S. Doctor in *Enchirid.* num. 28. ita præclare confirmat: „Quia etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat „liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum „adjutorium præberetur. Sicut enim mori est in hominis potestate quum velit... ad vitam vero tenendam voluntas non satis „est, si adjutoria, sive alimentorum, sive quorumcumque tuaminum desint: sic homo in paradiso ad se occidendum relinquendo justitiam idoneus erat per voluntatem, ut autem ab „eo teneretur vita justitiæ, parum erat velle, nisi ille, qui „eum fecerat, adjuvaret."

In explicationem illorum, quæ tradunt S. Basilius, et Clemens Alex., non est, cur jam dictis alia superaddamus.

CAPUT TERTIUM.

De merito, quo Angeli æternam beatitudinem consequuti fuere.

Duo in hoc capite discutienda sunt a nobis, quorum unum spectat ad fidem, de altero a Theologis in utramque partem disputatur. Merita Angelorum naturalia fuisse, et non acquisita auxilio gratiæ supernaturalis, est error oppositus fidei: disputatur autem a Theologis de eo instanti, quo æternam beatitudinem meruere. In duobus §§. de hoc utroque majoris gratia distinctionis agemus.

§. I.

De Angelorum supernaturalibus meritis ad æternam beatitudinem.

Hujus lib. initio animadvertimus, Bajum, et Quesnellium in Angelis, et primo homine admisisse merita tantum naturalia, quæ nullum donum supernaturale prærequirerent: item ejusdem lib. cap. 1. constituimus, in hac disputatione contra illos nos loqui de gratia, quæ vere, et proprie dicitur Theologica. Hic ergo illud tantum advertimus cum S. Thoma 1. p. quæst. 62. art. 2. ad 3. ad eam conversionem in Deum, quæ est meritum beatitudinis, requiri habitualem gratiam, quæ est merendi principium.

Prop. Angeli non suis a se meritis, sed virtute gratiæ supernaturalis æternam beatitudinem consequuti fuerunt.

Prob. prop. omnium illorum auctoritate Patrum, quorum loca hujus lib. cap. 1. in medium protulimus, ut ostenderemus, Angelos, et primum hominem in sui creatione supernaturalem a Deo gratiam recepisse. Hæc enim fuit illa habitualis gratia, qua Angeli boni æternam beatitudinem meruerunt: quia in eadem gratia stantes, et actuali gratia Dei adjuti sese converterunt in Deum, uti in auctorem supernaturalem, quemadmodum ostendimus in præced. cap., Deus æterno præmio illos donavit. Adhuc tamen ulterius nostra propositio ita comprobatur: S. Basilius lib. *De Spir. Sanct.* cap. 16. num. 38. ita habet: „Nam puræ, et intelligentes, et supermundanæ virtutes sanc„tæ tum sunt, tum nominantur, ex gratia a Spiritu Sancto in„fusa sanctimoniam consequutæ... Sanctificatio autem non est „absque Spiritu. Neque enim cælorum virtutes sua apte natura,... „sed juxta proportionem, qua se invicem superant, a Spiritu „habent sanctificationis mensuram." S. Augustinus *Enarrat.* in *Psal.* 70. Serm. 2. num. 5. Angeli, inquit: „Tibi debent, quod „sunt, tibi debent, quod vivunt, tibi debent, quod juste vi„vunt, tibi debent, quod beate vivunt." Idem S. Doctor lib. 12. *De Civit. Dei* cap. 9. docet, Deum fuisse auctorem bonæ voluntatis Angelorum per Spiritum Sanctum in eis diffusa caritate, ac propterea: *Simulque ut facti sunt, ei, a quo facti sunt, amore, cum quo facti sunt, adhæserunt.* Unde ab Angelis malis Angelos bonos societate discretos fuisse tradit: *Quod hi in eadem voluntate bona permanserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt. Enchirid.* num. 28. „Illam (scilicet immortalitatem, in „qua poterat non mori) natura humana perdidit per liberum „arbitrium: hanc (videlicet immortalitatem, in qua non po„test mori) est acceptura per gratiam, quam fuerat, si non „peccasset, acceptura per meritum: quamvis sine gratia nec

„ tunc nullum meritum esse potuisset. Quia etsi peccatum in so-
„ lo libero arbitrio erat constitutum, non tamen justitiæ retinendæ
„ sufficiebat arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divi-
„ num adjutorium præberetur." Tandem *De Corrept. et Grat.* num. 31. loquens de primo homine ait: „Nec ipsum ergo Deus „ esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbi-„ trio. Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum „ autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Quod „ adjutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, „ semper esset bonus." Tandem S. Joan. Damascenus lib. 2. *De Fide Orth.* cap. 3. ait: Angeli *porro aliunde, quam ex natura, suam sanctitatem habent, nimirum a Spiritu Sancto.* Sicut ergo post multa recte colligit Angelicus 1. p. quæst. 62. art. 4. *Gratiam habuit Angelus, antequam esset beatus, per quam beatitudinem meruit.*

Dices. S. Augustinus lib. *De Corrept. et Grat.* num 37. loquens de homine, qualis nunc est, ait: „Unde autem non „ glorietur caro coram ipso, nisi de meritis suis? quæ quidem „ potuit habere, sed perdidit; et per quod habere potuit per „ hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitrium." Habere ergo primus homo potuit merita, quæ nunc perdidimus. In hanc eamdem rem S. Doctor ita habet in lib. *De Prædest. Sanct.* num. 31. *Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam.* S. Gregorius lib. 4. *Moral.* num. 54. dicit, primum hominem ita mortalem conditum fuisse: *Ut si non peccaret, etiam non mori posset, atque ex merito liberi arbitrii beatitudinem illius regionis attingeret, in qua vel peccare, vel mori non posset.*

Hæc loca Patrum opponunt Hexaplarii in Constit. *Unigenitus* part. 8. art. 4., qui illud quoque superaddunt merita in Adamo dici *humana*, non quia provenirent a voluntate, quæ omni gratia esset destituta, sed ob differentiam gratiæ respectu duorum statuum, naturæ scilicet integræ, et corruptæ: nam in priori statu gratia determinari poterat ab arbitrio Adami ea ratione, qua ipse volebat: in altero statu gratia, quæ est causa perseverantiæ, determinat ipsum liberum arbitrium. Unde, inquiunt, nihil magis rationi consentaneum est, quam merita vocari humana respectu principii determinatis, scilicet voluntatis.

R. ad 1., S. Doctorem in cit. loco ante prædicta verba ponere ob omnium oculos vires, quæ ad non peccandum in Adamo fuere singulariter, habita ratione naturæ illius. Ei enim nihil, sicut ipse inquit, *concupiscentialiter resistebat*, eratque propterea Adam singulariter in quadam *bonitate, et bene vivendi facilitate* constitutus. Nunc autem, superaddit, quoniam *est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas.* Ex his vero colligit,

carnem de nulla re minus gloriari posse, quam de meritis suis. Quo igitur sensu Augustinus deinde dicat, carnem per liberum arbitrium habere quidem merita potuisse, sed tamen ea per liberum arbitrium perdidisse, colligitur ex iis, quæ ipse præmisit, videlicet affirmavit, liberum arbitrium in statu naturæ integræ merita habere potuisse solummodo, quatenus nullum impedimentum habebat ex parte concupiscentiæ, præditumque erat quadam bonitate, et bene vivendi facilitate. Nam constat ex ejusdem locis, quæ non solum hoc in capite, sed etiam in duobus præcedentibus in medium protulimus, Augustinum certi principii loco semper habuisse, etiam in statu naturæ integræ necesse fuisse ad justitiam servandam, retinendamque, ut liberum arbitrium divina gratia adjuvaretur.

R. Ad alterum, in eodem libro S. Augustinum præcedenti num. 30. ostendere, quæ humana natura per incarnationem Jesu Christi singulariter accepit, nullis suis præcedentibus meritis accepisse. Unde num. 31. advertit, quemcumque hominem ea gratia Christianum fieri, qua Christus factus est homo, eodem spiritu renasci, quo Christus natus fuit, eodemque spiritu consequi remissionem peccatorum, quo factum est, ut Christus nullum peccatum haberet. *Sicut ergo* (inquit) *prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset; ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus*: statimque superaddit: *humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam.* Quibus sane ad magis magisque ostendendum, quod sibi proposuerat, videlicet prædestinationem omnino gratuitam esse, illud quoque inculcavit, haberi non debere rationem neque etiam illorum meritorum, quæ respectu integritatis naturæ attendi poterant. Ceterum etiam in statu naturæ integræ nullum vero merito locum esse potuisse sine gratia, atque adjutorio Dei, sæpius Augustinus docuit, sicuti nos supra palam fecimus.

R. ad 3., quemadmodum S. Augustinum, ita etiam S. Gregorium peculiariter habuisse rationem singularis tum bonitatis, tum bene vivendi facilitatis, quæ in Adamo innocente fuerunt, propterea que non solum ea ad bene agendum impedimenta non habuit, quæ post peccatum fuit expertus, sed habuit quoque singularia incitamenta, quum, uti inquit S. Gregorius *contentionem carnis proprie repugnans* non portaret, sed conditus *in silentio quietis* accepisset *contra hostem suum liberum voluntatis arbitrium.* Ad hanc ergo arbitrii libertatem et nullo impedimento detentam, et ad bene agendum expeditam Gregorius in loco cit. respicit, dum affirmat, primum hominem merito liberi arbitrii ad æternam beatitudinem pervenire potuisse. Ceterum sicuti lib. 2. in *Ezechiel.* homil. 2. num. 5. ipse affirmavit, Unigenitum Dei Sanctis Angelis fuisse *fortitudinem, ne caderent*, sicut nunc est nobis *adjutorium, ut surgamus post casum*, ita

etiam putandum est, idem sensisse etiam quoad primum hominem, qui sane nihil præcellentius supra eosdem Angelos habuit.

Qualis sit ea gratia, qua tum Angeli, tum primus homo indiguerunt, uti jam monuimus, nunc indefinitum relinquimus. Illud ergo tantum advertendum esse monemus, S. Augustinum tum in lib. *Cont. duas epist. Pelag.* num. 30., tum lib. *De Grat. et lib. arb.* num. 13., tum lib. *De Prædest. Sanct.* num. 10., tum in aliis prope infinitis locis, et cum ipso etiam alios Patres docere, omne meritum a gratia repetendum esse. Hæc doctrina complectitur juxta Augustinum etiam statum integræ naturæ, alioquin Angeli, quod beati essent, non Deo, sed sibi deberent, contra ac Augustinus tradidit, sicuti jam observavimus. Quapropter de meritis quoque Adami simpliciter dici non potest, quod fuerint humana, semel ac præsupponatur, ea profluere a supernaturali gratia debuisse, quia secundum communem notionem receptam apud omnes, id est humanum, quod non excedit vires hominis: quod autem a supernaturali gratia profluit, est supra vires illius. Neque etiam inde dici potest meri a Adami humana fuisse, quamvis gratiam a libero arbitrio ejus determinandam præsupponamus: nam auxilium sane gratiæ semper fuisset illud, a quo vera, et propria ratio meriti repetenda foret, ne quod Augustinus non vult de Angelis beatis, de Adamo dicatur, scilicet futurum, ut a se beatitudinem haberet.

§. II.

De eo instanti, quo Angeli æternam beatitudinem assequuti fuere.

Hac de quæstione sunt sane multæ, atque diversæ sententiæ Theologorum, quas nunc non est cur recenseamus. Nos sequimur opinionem illorum, qui tradunt, tria instantia in Angelis bonis attendi debere: unum creationis in gratia; alterum meritoriæ conversionis in Deum, uti auctorem supernaturalem: tertium glorificationis, et confirmationis in bono: in Angelis vero malis: unum commune cum bonis: secundum, in quo peccarunt, et beatitudine quidem indigni, pœna autem digni evaserunt: tertium, in quo detrusi fuerunt in gehennam. Ut ergo res ista in bono lumine ponatur, tria nos ostendemus, videlicet 1. omnes Angelos in primo instanti suæ creationis meruisse beatitudinem: 2. tria instantia distingui debere a creatione Angelorum usque ad statum, quem nunc habent.

Prop. I. Omnes Angeli in primo instanti suæ creationis meruerunt beatitudinem.

Prob. prop. auctoritate S. Augustini, qui antequam explicet lib. 11. *De Civit. Dei* cap. 15., qua ratione illud 1. *Joan.* 3. 8.

ab initio Diabolus peccat, ita habet: „Sed quid respondetur „ propheticis testimoniis, sive quod Isaias ait (a) sub figurata „ persona principis Babyloniæ diabolum notans: *quomodo cecidit „ lucifer, qui mane oriebatur*, sive quod Ezechiel (b): *In de- „ liciis paradisi Dei fuisti, omni lapide pretioso ornatus es?* Ubi „ intelligitur aliquando fuisse sine peccato. Nam expressius ei „ paulo post dicitur: *Ambulasti in diebus tuis sine vitio.* Quæ „ si aliter convenientius intelligi nequeunt, oportet etiam illud, „ quod dictum est: *In veritate non stetit*, sic accipiatur, quod „ in veritate fuerit, sed non permanserit. Et illud quod *ab ini- „ tio diabolus peccat*, non ab initio ex quo creatus est, pec- „ care putandus est; sed ab initio peccati, quod ab ipsius su- „ perbia cœperit esse peccatum. Nec illud, quod scriptum est „ in libro Job (c), quum de diabolo sermo esset: *Hoc est ini- „ tium figmenti Domini, quod fecit ad illudendum ab Angelis „ suis*; cui consonare videtur et Psalmus (d), ubi legitur: *Dra- „ co hic, quem finxisti ad illudendum ei*, sic intelligendum est, „ ut existimemus, talem initio creatum, cui ab Angelis illude- „ retur, sed in hac pœna post peccatum ordinatum. Initium er- „ go ejus figmentum est Domini." S. Thomas 1. p. quæst. 63. art. 5. ad 4. insistens Augustini auctoritati: „Dicendum (ait) „ quod Deus non discrevit inter Angelos ante aversionem quo- „ rumdam, et conversionem aliorum, ut Augustinus dicit 11. *De „ Civit. Dei*, et ideo omnes in gratia creati in primo instanti „ meruerunt. Sed quidam eorum statim impedimentum præstite- „ runt, suæ beatitudinis præcedens meritum mortificantes, et ideo „ beatitudine, quam meruerant, sunt privati." S. Augustinus au- tem cit. lib. 11. cap. 11. hæc habet: „Nullo quidem modo „ secundum aliquod temporis spatium prius erant illi spiritus te- „ nebræ, quos Angelos dicimus, sed simul ut facti sunt, lux fac- „ ti sunt... Ab hac illuminatione aversi quidam Angeli non ob- „ tinuerunt excellentiam sapientis, beatæque vitæ." His om- nibus necesse non est, ut alia superaddamus, quum ex iisdem soluta quoque maneant, quæ ex Scriptura contra op- poni possent.

Dices. Actus primi instantis ideo non potuit esse malus, quia fuit a Deo, qui simul dedit Angelis, ut essent, atque opera- rentur: ergo non fuit liber, et propterea neque meritorius.

R. neg. cons. Posse peccare simpliciter non spectat ad es- sentiam libertatis, sed est argumentum imperfectionis ejusdem libertatis, licet hominem æque liberum esse tam ad peccandum,

(a) Cap. 14. 12.
(b) Cap. 28. 13.
(c) Cap. 40. 14.
(d) Psal. 103. 26.

quam ad non peccandum, ex peccato illius recte colligatur. Angelus ergo fuit quidem liber in primo instanti suæ creationis, ita tamen, ut male agere non potuerit, quum nulla in eo potestas præcesserit, qua tam ad bonum, quam ad malum sese determinare posset. A quo enim habuit, ut esset, habuit quoque ut operaretur, sed tamen absque ulla læsione libertatis, quæ sibi tributa fuerat. Quapropter primus actus caritatis, omnibus Angelis æque communis, non fuit in eis liber quoad specificationem, quatenus æque ad bonum, ac ad malum sese determinare possent, sed quoad exercitium, quia à Deo creante simul et agente moti fuerunt. Post hujusmodi vero actum propria deliberatione, quum jam existerent, in objectum tendere potuerunt, ita ut tam bonum, quam malum possent eligere, ac propterea etiam quoad specificationem fuerunt liberi. Hoc in statu Angeli mali peccarunt, boni in dilectione Dei perstitere, statimque beatitudinem æternam receperunt. Quamvis autem libertas specificationis quoad bonum, vel malum ad meritum absolute non requiratur, tamen æquo jure ei, qui ex se habet, ut peccare possit, non confertur merces, quoad usque etiam ex prævia, atque propria deliberatione illius meritum non præcesserit, atque ita coronam accipiat, qui potuit facere malum, et non fecit.

Prop. II. Probabile est, statum Angelorum tam malorum quam bonorum tribus instantibus completum fuisse.

Prob. prior pars prop. Quot sunt inter se distinctæ operationes sibi mutuo succedentes, tot instantia admittenda esse videntur: sed Angeli mali status tribus distinctis operationibus, seu actibus completus fuit: ergo. Prob. min. In 1. instanti non aliter, ac boni, vitam æternam meruerunt: in 2. peccando a Deo sese averterunt: in 3. peccati pœnam receperunt. Hoc enim ultimum distinguitur a secundo, quum in isto sibi deordinate complacuerint, in illo autem summam pœnam senserint.

Prob. altera pars. In Angelis bonis non secus, ac in malis, fuerunt tres operationes, seu actus sibi mutuo succedentes usque ad beatificationem illorum: ergo et tria instantia. Ant. constat: fuit enim actus communis Angelis tum bonis, tum malis: 2. fuit actus caritatis, quo Angeli boni cum propria deliberatione sese converterunt in Deum, uti auctorem supernaturalem: 3. præmium recepere.

CAPUT QUARTUM.

De variis ordinibus Angelorum in prima origine sui.

De hoc doctrinæ capite nunc agimus, habita ratione tum donorum naturalium, tum gratiæ, quæ ab ipsa creatione sui An-

geli habuerunt: tam quoad illa, quam quoad istà Angelos inæquales fuisse voluimus, atque ab hujusmodi inæqualitate profectos fuisse varios illorum ordines. Sub nomine autem donorum naturalium, quæ Angeli habuerunt, primo venit cognitio ipsius Dei, quatenus est auctor naturæ, deinde cognitio, quam de se habebant, ceterisque spectantibus ad totam universitatem rerum, item moralis rectitudo voluntatis, et propensio in bonum cognitum.

Prop. Angeli fuerunt inæquales sibi invicem tam quoad naturæ, quam quoad gratiæ dona.

Prob. prior pars prop. Sive unusquisque Angelus ab altero secundum speciem distinguatur, sicuti nos supra propugnavimus, sive diversi ordines Angelorum inter se quoad speciem differant, quemadmodum nonnulli voluere, sive demum secundum sententiam aliorum nulla sit specifica distinctio inter omnes Angelos, semper rationi est valde consentaneum, dona naturæ in illis inæqualia fuisse. Nam Deus, qui est naturæ auctor, fuit creator Angelorum: sed ad perfectionem totius universitatis rerum, videmus in creatis corporeis tam cælestibus, uti in cælis, stellis, aliisque ad ordinem cælestem pertinentibus, quam in cunctis terrestribus, videmus, inquam, diversos ordines, et quemadmodum una stella ab alia differt in claritate, ita alia cælestia corpora differunt inter se, sicut etiam inter corpora terrestria differentia intercedit: immo vero etiam homines, quamvis sint omnes unius, ejusdemque speciei secundum diversa naturalia dona, conspicimus divisos in ordines diversos: igitur dicendum est, quamdam distributionem servatam fuisse etiam in communicatione naturalium donorum, quæ Angeli receperunt, atque per hoc inter illos distinctionem inductam in diversos ordines.

Prob. altera pars. S. Joan. Damascenus lib. 2. *De Fide Orth.* cap. 3. „Per Verbum (inquit) Angeli omnes creati sunt, ac „Sancto Spiritu sanctificante, consummationem acceperunt; ita tamen ut pro sua quisque dignitate, et ordine splendoris, gra„tiæque particeps esset." S. Basilius lib. *De Spir. Sanct.* cap. 16. num. 38. „Neque enim cælorum virtutes suapte natura sanctæ „sunt... sed juxta proportionem, qua se invicem superant, a „Spiritu habent sanctificationis mensuram." Hoc vero est, quod magis distincte explicat S. Thomas 1. p. quæst. 62. art. 6., in quo tum ex parte Dei, tum ex parte Angeli rationabile fuisse, ostendit, ut secundum gradum donorum naturalium data sint Angelis et dona gratiarum, et perfectio beatitudinis. Ex parte quidem Dei, quatenus ipse secundum suæ sapientiæ ordinem constituit diversos gradus in Angelica natura: nam quum ea facta sit ad gratiam, et beatitudinem consequendam, ita etiam gradus naturæ Angelicæ secundum eumdem ordinem divinæ sapientiæ ad diversos gradus gratiæ, et gloriæ ordinari videntur. Ex

parte autem Angeli, quatenus ipse non est compositus ex duabus inter se pugnantibus naturis, sicuti nos sumus. *Quando autem non est aliquid, quod retardet, aut impediat, natura in id secundum totam suam virtutem movetur. Et ideo rationabile est, quod Angeli, qui meliorem naturam habuerunt, etiam fortius, et efficacius ad Deum sint conversi... et habuerunt plus de gratia, et de gloria.*

Dices. Semel admissa nostra sententia de specifica distinctione unius Angeli ab altero, inde sequeretur, etiam in gloria nullum Angelum alteri æqualem esse futurum: quod inconveniens esse videtur. Deinde si admittatur, dona gratiæ respondere naturæ donis, illud consequitur, naturam in Angelis haberi debere loco cujusdam dispositionis ad gratiam: quod erroneum est.

R. Ex nostra sententia nullo modo sequi, gratiam, et beatitudinem esse diversæ speciei, quamvis admittatur, Angelos inter se specie differre: quum enim perfectio naturalis non habeat proportionem cum gratia, et gloria, non oportet, ut ad naturalem distinctionem specificam consequatur specifica distinctio respectu gratiæ, et gloriæ.

Neque enim (ut ad alterum respondeamus) eo sensu dicitur a nobis, dona gratiæ respondere donis naturæ, quasi ista illorum causa essent. Ideo ergo affirmamus, gratiam datam fuisse Angelis juxta quantitatem, et qualitatem donorum naturalium, quia quando Deus ex beneplacito suæ voluntatis Angelos sua gratia donavit; secundum suæ sapientiæ ordinem voluit habere rationem naturalium donorum, ita ut Angelis perfectioribus, atque altioris naturæ, uberiorem gratiam infuderit. *Sicut gratia* (inquit Angelicus 1. p. quæst. 62. art. 6. ad 1.) *est ex mera Dei voluntate, ita etiam et natura Angeli: et sicut naturam Dei voluntas ordinavit ad gratiam, ita et gradus naturæ ad gradus gratiæ.*

LIBER TERTIUS.

De statu Angelorum beatorum.

Hæc sunt, quæ ad explicationem hujusmodi status expendemus: in 1. cap. agemus de beatitudine Angelorum: in 2. de inæqualitate beatitudinis, quæ est in Angelis: in 3. de immutabilitate beatitudinis: in 4. de æternitate beatitudinis, quatenus ab ea ipsi Angeli non possunt excidere: in 5. de variis ordinibus illorum: in 6. de cognitione Angelorum.

CAPUT PRIMUM.

De beatitudine Angelorum sanctorum.

Prop. Angeli Sancti cælesti beatitudine perfruuntur.

Prob. prop. *Matt.* 18. 10. inquit Christus: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. Lucæ* 20. 35. et seq. affirmat eos, qui habebuntur *digni seculo illo*, hoc est, beatitudine, *æquales Angelis, et filios Dei* esse futuros. Hinc S. Augustinus lib. 1. *Retract.* cap. 14. num. 2. inquit: *Et Angeli quidem sancti quod ibi sint* (videlicet in possessione beatitudinis) *nulla quæstio est. Et De Genesi ad lit.* lib. 8. num. 45. *Fiunt ergo participes æternitatis, veritatis, voluntatis ejus semper sine tempore, et loco.* S. Gregorius M. lib. 18. *Moral.* num. 91. *Deum quippe Angeli et vident, et videre desiderant, et sitiunt intueri, et intuentur.* Sicuti vero inquit S. Joannes I. epist. cap. 3. 2. *Scimus, quoniam, quum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Huic rei adeo certæ, atque perspicuæ secundum auctoritatem Scripturæ, et Patrum non est, cur nunc alia superaddamus.

Illud tantum animadvertimus, sicuti etiam constat ex iis, quæ anteced. lib. cap. 3. §. 2. disseruimus, hanc beatitudinem post unum perfectum actum meriti Angelos fuisse consequutos. Nam sicuti advertit Angelicus 1. p. quæst. 62. art. 5., gratia perficit naturam secundum modum ipsius naturæ, sicuti et omnis perfectio recipitur in subjecto perficiendo secundum modum illius. Natura autem Angelica naturalem perfectionem, quam habuit, ab ipsa sua natura habuit, neque ratiocinatione eam acquisivit. Sicut ergo, inquit idem Angelicus, „Ex sua natura „Angelus habet ordinem ad perfectionem naturalem; ita ex me„rito habet ordinem ad gloriam; et ita statim post meritum in „Angelo fuit beatitudo consequuta" (a).

Per unum quidem actum caritatis etiam homo beatitudinem meretur: attamen sicut cit. loco ad 1. Angelicus advertere prosequitur: „homo secundum suam naturam non statim natus est „ultimam perfectionem adipisci, sicut Angelus: et ideo homi„ni longior via data est ad merendum beatitudinem, quam An„gelo."

Quod autem animæ justorum veteris Testamenti justitiæ præmium non acceperint prius quam per Christum janua cæli recluderetur, propriam rationem habet, quæ non complectitur Angelos, quoniam ipsi non indigebant redemptione.

(a) Vid. quæ advertimus præceden. lib. cap. 3. §. 2.

CAPUT SECUNDUM.

De inæqualitate beatitudinis Angelorum.

Uberiorem, amplioremque esse beatitudinem in nonnullis Angelis præ aliis, hoc vero est, quod modo volumus, ita ut in beatitudine Angelorum quidam gradus sint distinguendi.

Prop. Beatitudo Angelorum non est æqualis in omnibus.

Prob. prop. Sicuti beatitudo consequitur ad merita, ita etiam merita ad gratiam consequuntur : semel ac ergo sit diversitas in donis gratiæ, ea esse quoque debet et in meritis, propterea que et in ipsa beatitudine ; sed in Angelis fuit diversitas quoad dona gratiæ (a) : ergo fuit quoque in meritis, et etiam in ipsa beatitudine sit oportet. Unde S. Cyrillus Hierosol. *Catech.* 6. num. 6. *Vident igitur Angeli*, (inquit) *quantum capaces sunt, et Archangeli ut possunt, et Throni, et Dominationes excellentius, quam illi primi.* „S. Gregorius M. in *Evangel.* lib. 2. Ho„mil. 34. num. 14. *Sic quippe in illa summa civitate specia„lia quædam singulorum sunt, ut tamen sint communia omnium: „et quod in se ex parte quisque habet, hoc in alio ordine to„tum possidet.*" Est ergo dicendum, beatitudinem Angelorum non esse æqualem in omnibus.

Dices. In sacris litteris de omnibus Angelis æque dicitur, ab illis Deum videri : ergo quum in visione Dei beatitudo consistat, hanc in Angelis oportet æqualem esse.

R., Beatitudinem in Angelis tunc futuram esse omnino æqualem, si ipsi Deum videntes eumdem comprehenderent: tunc enim Angeli Deum undequaque cognoscerent, prout cognosci potest, indeque omnes æqualiter cognoscerent. Verum ad hoc se extendere non possunt vires cujusvis intellectus creati, sicut ostendimus, quando egimus de visione Dei. Qualemus tamen intellectus ad videndum Deum virtutem majorem habet, magis distincte illum videt, minus vero distincte, si minori sit virtute munitus. Hujusmodi autem virtus etiam quoad majorem, aut minorem extensionem sui pendet a lumine gloriæ. Unde licet omnes Angeli videant Deum, non tamen æquali ratione vident, ac propterea in beatitudine non sunt sibi invicem æquales.

(a) Lib. præced. cap. 4.

CAPUT TERTIUM.

De immutabilitate beatitudinis Angelorum, quatenus illa augeri non potest.

Beatitudo essentialis est ea, quæ habetur ex visione Dei, accidentalis autem, quæ habetur ex quacumque alia re præter Deum. Illam ergo augeri non posse, contra Magistrum sententiarum nunc tuemur: istam dicimus augeri posse, non ita tamen quasi hujusmodi augmentum proficiscatur ex merito illorum ministeriorum, quæ obeunt Angeli, sed ex virtute ipsius beatitudinis.

Prop. Essentialis beatitudo Angelorum augeri non potest, accidentalis vero potest.

Prob. prop. pars prior. II. *Corint.* 5. 10. hæc legimus: „omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat „unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive „malum." Hunc autem locum omnes Patres ita exponunt, ut homo de iis tantum sit redditurus rationem, quæ gessit in hac vita, ad recipiendum de iis præmium, vel pœnam. Quum ergo animæ beatorum nullam recipiant mercedem, quæ ad essentialem beatitudinem referri possit, licet nos adjuvent suis apud Deum precibus, est idem profecto dicendum etiam de Angelis, quamvis nostri custodiam gerant, atque alia obeant divinitus sibi commissa ministeria. „Movetur ad finem (inquit S. Thomas I. p. „quæst. 6. art. 9.) creatura rationalis non solum agendo, sed „etiam patiendo. Et si quidem finis ille subsit virtuti rationalis creaturæ, operatio illa dicetur acquisitiva illius finis: „sicut homo meditando acquirit scientiam. Si vero finis non „sit in potestate ejus, sed ab alio expectetur, erit meritoria „finis. Ei autem, qui est in ultimo termino, non convenit mereri, sed mutatum esse. Unde caritatis imperfectæ, quæ est viæ, „est mereri, caritatis autem perfectæ non est mereri, sed frui."

Prob. Altera pars. *Lucæ* 15. 10. ait Christus: *Ita dico vobis: gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Essentiali vero beatitudini Angelorum hoc gaudium superaccedit, in quo sane quædam accidentalis, et improprie dicta beatitudo consistit: ergo beatitudo accidentalis augeri potest in Angelis: non ita tamen, ut ipsam mereantur. Nam ii assequuti sunt suum terminum, et finem, ad quem sane meritum refertur. Quare dicendum est, sicut inquit S. Thomas loco cit., quod Angeli *prædictum gaudium magis acquirant ex virtute beatitudinis, quam illud mereantur.* Nam uti supra habet: *Melius est, ut dicatur, quod nullo modo aliquis beatus mereri potest, nisi sit simul viator, et comprehensor, ut Christus.*

CAPUT QUARTUM.

De æternitate beatitudinis Angelorum, quatenus ipsi peccando ab ea non possunt excidere.

Est in Angelis liberum arbitrium, licet propter peccatum non possint amittere eam beatitudinem, quam habent: nam sicut advertit Angelicus 1. p. quæst. 62. art. 8. ad 3. „quod liberum „arbitrium diversa eligere possit, servato ordine finis, hoc „pertinet ad perfectionem libertatis ejus; sed quod eligat aliquid divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis. Unde major libertas arbitrii est „in Angelis, qui peccare non possunt, quam in nobis, qui „peccare possumus." De Angelorum potentia peccandi, sententia veterum Scriptorum est quadruplex: prima, quæ tum Scripturæ, tum Patrum auctoritati nititur, eamque uti veram, atque certam habere debemus, est illorum, qui Angelos suo peccato a beatitudine excidere non posse tuentur. Secunda est Origenis inde putantis, Angelos bonos cadere posse, et fieri dæmones, quia est in eis liberum arbitrium. Offendere autem aliquem parvulorum, aut negligentius gerere curam hominum sibi commissorum, singulariter recenset inter peccata, quæ ab Angelis committi possunt. Ab hac autem sententia etiam S. Hieronymus lib. 2. in *Michæam* cap. 6. non alienus fuisse videtur. Tertia est opinio illorum, qui Angelos vel nondum, vel serius tandem in gratia confirmatos arbitrantur: ita putarunt omnes illi Scriptores quatuor primorum seculorum, qui diabolum quidem ab initio peccasse fatentur, tamen solum post diluvium Angelos bonos evasisse dæmones, quando capti amore mulierum statum suæ felicitatis amiserunt. Quod *Genes.* cap. 6. legitur de congressu *Filiorum Dei cum filiabus hominum*, huic errori causam dedisse videtur; eo vel maxime quia in quibusdam codicibus non filii Dei, sed *Angeli* Dei vocantur. Nullo autem habito respectu ad ista Genesis quidam senserunt Angelos ante adventum Christi peccare potuisse, alii et nunc quoque posse, vel saltem id in dubium revocant. Quarta demum sententia illorum est, qui arbitrati sunt Angelos cadere posse in peccata levia, quæ, servato statu felicitatis, a Deo illis facile dimittantur. Cælestes quoque virtutes peccare posse, isti senserunt, quia solus Christus peccare non potest, alioquin non attendentes ad diversam rationem, quam tum Christus, tum illæ peccare non possunt. Augustinus Touttee Monachus Maurinus Dissert. 3. quam prænisit Operibus S. Cyrilli Hieros. cap. 3. num. 30. et seqq. recensuit Scriptores, qui pro secunda, tertia, et quarta opinione steterunt, eorumque loca vel indigitavit, vel retulit.

Prop. Angeli, quum peccare non possint, excidere nequeunt ab eo statu beatitudinis, in quo sunt.

Prob prop. Justos ituros in æternam vitam *Matt.* 25. v. ult. Christus affirmat, et Petrus in I. epist. c. 5. 10. ait, Deum omnis gratiæ nos vocasse *in æternam suam gloriam in Christo Jesu*: sed de hominibus ad cælestem beatitudinem assumendis *Lucæ* 20. 36. dicitur, eos in eadem conditione futuros, ac Angelos Dei: ergo Angeli ita fruuntur æterna beatitudine, ut peccando ab ea excidere non possint. Hinc S. Augustinus lib. 11. *De Civit. Dei* cap. 13. „Quis enim (inquit) Catholicus Christianus ignorat, nullum novum diabolum ex bonis Angelis ulterius futurum; sicut nec istum in societatem bonorum Angelorum ulterius rediturum? Veritas quippe in Evangelio sanctis, fidelibusque promittit, quod erunt æquales Angelis Dei: quibus etiam promittitur, quod ibunt in vitam æternam. Porro autem si nos certi sumus, nunquam nos ex illa immortali felicitate casuros, illi vero si certi non sunt, jam potiores, non æquales eis erimus. Sed quia nequaquam veritas fallit, et æquales eis erimus, profecto etiam ipsi certi sunt suæ felicitatis æternæ." Et lib. 10. cap. 7. „Merito illi in cælestibus sedibus constituti, immortales, et beati, qui Creatoris sui participatione congaudent, cujus æternitate firmi, cujus veritate certi, cujus munere sancti sunt." Tandem *De Vera Relig.* num. 26. „Fatendum est enim, et Angelos natura mutabiles esse, si solus Deus est incommutabilis, sed ea voluntate, qua magis Deum, quam se diligunt, firmi et stabiles manent in illo." Legantur in hanc rem præter alios Patres S. Fulgentius lib. *De Fide ad Petrum* num. 65. S. Gregorius M. lib. 22. *Moral.* num. 11., et S. Bernardus lib. *De Grat., et lib. arb.* cap. 3. num. 12.

Neque est, cur dicatur, veniale peccatum non opponi æternitati beatitudinis: nam ipsum quoque ex sui natura simul cum beatitudine stare non potest. Quandoquidem *non intrabit in eam aliquid coinquinatum*, sicut Apocalyp. cap. 21. v. ult. legitur: veniale quoque peccatum aliquo modo coinquinat: si ergo Angeli venialiter peccare possent, licet coinquinati, æterna beatitudine, quæ excludit omnem coinquinationem, fruerentur.

Dices. Non posse peccare est proprium ipsius Dei, quum sit ipse sua natura summa bonitas: ergo id Angelis non potest convenire. Unde S. Gregorius M., sive quis alius in Exposit. 7. psal. pœnit. num. 7. ait: „Sine peccati macula solus invenitur homo Jesus Christus... de ipso solo legimus, quod non haberet quotidie necessitatem, quemadmodum sacerdotes, prius pro delictis suis hostiam offerre, deinde pro populo." Tandem „*Job.* 4. 18. hæc leguntur: „Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem."

R. Dici non posse, tam Deum, quam Angelos una, eademque ratione peccare non posse: id enim ille habet ex sui intrinseca natura, atque intrinseca oppositione ad peccatum: Angeli autem non ex intrinseca natura, sicuti constat in Angelis malis, sed ex gratia, quemadmodum Augustinus tradidit.

Christus quoque peccare non potuit, quia Deus simul et homo erat. Angeli autem quatenus erant ex nihilo, habebant, ut peccare possent, antequam ad beatitudinem æternam assumerentur.

S. Thomas in cap. 4. Job explicans præcitata verba ait: „ Quæ quidem sententia secundum doctrinam Catholicæ fidei pla„ na est: tenet enim fides Catholica, omnes Angelos bonos fuis„ se creatos, quorum quidam ceciderunt a statu rectitudinis, „ quidam vero ad majorem gloriam pervenerunt... Cavendum „ est autem, ne ex his verbis aliquis incidat in errorem Origenis, qui etiam quoscumque Spiritus creatos instabiles asse„ rit, et posse ad pravitatem perduci: hoc enim aliqui per gra„ tiam assequuti sunt, ut immobiliter Deo inhærerent, ipsum „ per essentiam videntes."

In intelligentia autem eorum, quæ Genesis cap. 6. leguntur, videlicet filios Dei captos fuisse amore filiarum hominum, plurimi quidem veteres Scriptores errarunt, putantes, nomine filiorum Dei esse Angelos intelligendos: verum hac in re illos hallucinatos fuisse, data opera ostendit S. Joan. Chrysostomus Homil. 22. in *Genes.* num. 3., et S. Augustinus lib. 15. *De Civit. Dei* cap. 33.

Quod autem legitur *Daniel.* 10. 13., hoc est, unum Angelum alteri Angelo restitisse, ex quo se invicem Angelos non diligere, nonnulli collegerunt, Angelicus sequutus S. Gregorium M. lib. 17. *Moral.* num. 17. ita explicat 1. p. quæst. 113. art. 8. „ Considerandum est, quod divina judicia circa diversa „ regua, et diversos homines per Angelos exercentur. In suis „ autem actionibus Angeli per divinam sententiam regulantur. „ Contingit autem quandoque, quod in diversis regnis, vel di„ versis hominibus contraria merita, vel demerita inveniuntur, „ ut unus alteri subdatur, vel præsit. Quid autem super hoc „ ordo divinæ sapientiæ habeat, cognoscere non possunt, nisi „ Deo revelante. Unde necesse habent super his divinam sapien„ tiam consulere. Sic igitur in quantum de contrariis meritis, „ et sibi repugnantibus divinam consulunt voluntatem, resistere „ sibi invicem dicuntur, non quia sint eorum contrariæ volun„ tates."

CAPUT QUINTUM.

De variis ordinibus Angelorum beatorum.

Tum de ordinibus, et Hierarchiis Angelorum, tum de singulorum ordinum proprietatibus, tum de prima origine hujusmodi ordinum, et Hierarchiarum in tribus distinctis propositionibus hoc in capite agemus.

Prop. I. Auctoritate comprobatum habemus, novem esse ordines Angelorum, gradu, atque dignitate inter se distinctos.

Prob. prop. Apostolus ad *Coloss.* 1. 16. hos quatuor ordines recenset, videlicet Thronos, Dominationes, Principatus, et Potestates. *Ephes.* 1. 21. ordini Principatus, Potestatis, et Dominationis superaddit ordinem Virtutis, et ne omnes ordines se complexum esse quispiam putet, superaddit: *et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Roman.* 8. 38. commemorat ordinem Angelorum, eumque distinguit ab ordine Principatus, et Virtutum. Ex quo sane colligitur, ordinem Angelorum esse distinctum ab aliis ordinibus, licet in sacris litteris nomen Angeli omnibus æque Angelis sive hujus, sive alterius ordinis, quandoque tribuatur. Archangeli mentionem facit idem Apostolus, eique munus singulare tribuit I. ad *Thessal.* 4. 15. Apud Isaiam autem cap. 6. 2. Seraphim nominatos legimus, eorumque apud Deum officium designatum, et Cherubim *Genes.* 3. 24., ac *Ezechiel.* 10. 3. Novem ergo esse ordines Angelorum, colligitur ex sacris litteris; non tamen omnino certo, atque evidenter. Nam quis dicere posset, unum, eumdemque ordinem pluribus nominibus fuisse designatum, propterea que unum, vel plures in alio contineri. Eo vel maxime quia nomen Archangeli numero singulari exprimitur in S. Scriptura.

Verumtamen, hisce non obstantibus, plures Sancti Patres consentiunt, novem esse ordines Angelorum, uti S. Gregorius Nazianz. Orat. 34. prope finem, S. Joan. Chrysost. in cap. 1. *Genes.* Homil. 4. num. 5., S. Hieronymus lib. 2. *Cont. Rufinum*, S. Joan. Damascenus lib. 2. *De Fide Orth.* cap. 3., S. Gregorius M. in *Evang.* lib. 2. Homil. 34. num. 7., S. Bernardus lib. 1. *De Considerat.* cap. 4. num. 7., et S. Thomas 1. p. quæst. 108. art. 5.

Prop. II. Angeli secundum quasdam proprietates distinguuntur in tres Hierarchias, quarum quælibet continet tres Ordines.

Prob. prop. Quum Angeli omnes sint substantiæ intelligentes ex sui natura, proprietates, quæ in iisdem attendi debent respectu diversarum hierarchiarum repetendæ sunt a diversa illorum intelligendi ratione, magis, minusque perfecta. Hæc autem, sicuti Angelicus advertit I. part. quæst. 108. art. 1. est tri-

plex. Quidam ergo Angelorum rationes rerum, de quibus illuminantur, percipiunt, prout eæ procedunt, a primo principio universali, quod est Deus: et iste modus cognoscendi convenit primæ Hierarchiæ. Alii vident hujusmodi rationes, quatenus pendent ab universalibus causis creatis, quæ sunt multiplices: et hujusmodi est modus cognoscendi secundæ Hierarchiæ. Demum nonnulli easdem rationes vident, prout pendet a propriis, singularibusque causis, et secundum hanc rationem Angeli tertiæ Hierarchiæ cognoscunt. Quare sicuti Angelicus prosequitur advertere in cit. art. ad 2. „quantum ad cognitionem ipsius Dei, „quem omnes uno modo, scilicet per essentiam, vident, non „distinguuntur in Angelis Hierarchiæ, sed quantum ad ratio„nem rerum creatarum."

Prob. altera pars. Hierarchia est ordinata multitudo sub gubernatione principis: ordinata autem esse non posset, si plures in ea ordines non continerentur: ipsa ergo ratio Hierarchiæ diversitatem ordinum requirit. In civitate autem, quæ continet ordinatam multitudinem, tres ordines recte distingui possunt, quibus diversa munera conveniant, videlicet optimatum, civium, et plebis: „Sic igitur (inquit S. Thomas 1. p. quæst. 108. art. 2.) „et in qualibet Hierarchia Angelica Ordines distinguuntur secun„dum diversos actus, et officia, et omnis ista diversitas ad tria „reducitur, scilicet ad summum, medium, et infimum." Cum maxima ergo probabilitate dicitur, tres Ordines in qualibet Hierarchia contineri.

Græci, et Latini Patres nonnihil inter se differunt, dum determinant, hos, et non alios Ordines ad hanc, vel illam hierarchiam pertinere. Nam secundum Nazianzenum, et Damascenum supra citatos prima Hierarchia complectitur Seraphim, Cherubim, Thronos, media Dominationes, Virtutes, Potestates, infima Principatus, Archangelos, Angelos. At secundum latinos Patres Gregorium, et Bernardum licet prima Hierarchia eosdem Ordines complectatur, secunda tamen Dominationes, Principatus, et Potestates, tertia Virtutes, Archangelos, Angelos continent.

Prop. III. Hierarchiæ, et Ordines Angelorum distinguuntur secundum dona tam naturalia, quam gratuita collata Angelis, qui componunt easdem Hierarchias, et Ordines.

Prob. prop. Lib. præced. cap. 4. ostendimus, Angelos creatos fuisse inæquales, habita ratione donorum tum naturæ, tum gratiæ: insuper beatitudinem non esse æqualem in omnibus Angelis, hujus lib. cap. 2. jam evicimus. Sed per divisionem Ordinum, et Hierarchiarum designatur major, vel minor præcellentia Angelorum, quæ procul dubio proficiscitur a majori, vel minori copia donorum tum naturalium, tum supernaturalium: igitur Hierarchiæ, et Ordines Angelorum distinguuntur secundum dona tam naturalia, quam gratuita collata Angelis, qui compo-

nunt easdem Hierarchias, et Ordines. „Complective quidem (sicut inquit Angelicus 1. p. quæst. 108. art. 4.) secundum dona gratuita, dispositive autem secundum dona naturalia, quia „Angelis data sunt dona gratuita secundum capacitatem naturalium."

LIBER QUARTUS.

De cognitione Angelorum beatorum.

De objecto Angelicæ cognitionis, de medio, et dotibus illius in tribus hujus lib. capit. nunc agemus.

CAPUT PRIMUM.

De objecto angelicæ cognitionis.

Objectum cognitionis angelicæ est id omne, circa quod Angelorum cognitio versatur. Distinctis propositionibus in hoc capite determinabimus: 1. utrum Angelus se ipsum cognoscat: 2. utrum alium Angelum: 3. utrum per sua naturalia Deum cognoscere possit: 4. utrum cognoscat res materiales, et singulares: 5. utrum futura: 6. utrum cogitationes cordis: 7. utrum mysteria gratiæ.

Prop. I. Angelus cognoscit se ipsum naturæ viribus.

Prob. prop. *Tobiæ* 12. 15. inquit Angelus comes Tobiæ: *Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Et quidem quum Angelus sit objectum non excedens capacitatem illius, ipsique Angelo proxime conjunctum, quin se ipsum cognoscat, dubitari non potest.

Prop. II. Unus Angelus cognoscit alterum Angelum.

Prob. prop. *Genesis* 18. v. 1. legimus, tres Angelos ad Abraham simul venisse, cap. 19. v. 1. venisse Sodomam. *Isaiæ* 6. 3. Seraphim *clamabant alter ad alterum. Apocalyp.* 7. 2. *clamavit voce magna quatuor Angelis.* Quia vero Angeli unam societatem, seu rempublicam constituunt, mirandum non est, si se invicem cognoscant.

Prop. III. Per suam naturam Angeli habere possunt aliquam cognitionem Dei, licet imperfectam.

Prob. prop. *Roman.* 1. 20. ait Apostolus: „invisibilia enim „ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur." Quum ergo Angeli vim majorem præ hominibus ad cognoscendum habeant, si homines per suam naturam ex rebus visibilibus aliquo modo Deum cognoscunt, multo magis Angeli possunt cognoscere.

Prop. IV. Angeli naturaliter cognoscunt res sensibiles, seu corporea, etiam singulariter.

Prob. prop. Quidquid potest virtus inferior, potest etiam superior: at homines, qui sunt quoad vim intelligendi longe inferiores Angelis, cognoscunt res corporeas, atque materiales etiam singulariter: ergo multo magis Angeli; et quidem modo longe perfectiori; quoniam quæ in inferioribus deficienter, in superioribus sunt absque ullo defectu.

Prob. altera pars. Angeli *sunt administratorii Spiritus in ministerium missi*, sicut dicit Apostolus *Hebr.* 1. 14. esse autem non possent spiritus administratorii, et mitti in ministerium, ut hic in mundo obirent diversa munera, si non nossent singula singillatim. Unde cum Angelico 1. p. quæst. 57. art. 2. dicendum: „Quod sicut homo cognoscit diversis viribus cognitivis „diversa rerum genera, intellectu quidem universalia, et immaterialia, sensu autem singularia, et corporalia; ita Angelus „per unam intellectivam virtutem utraque cognoscit. Hoc enim „rerum ordo habet, quod quanto aliquid est superius, tanto „habeat virtutem magis unitam, et ad plura se extendentem."

Prop. V. Angeli naturæ viribus cognoscunt futura, quæ a causis necessariis proficiscuntur, quæ autem a contingentibus, et quidem plerumque proveniunt, cognoscunt per conjecturam, nullo autem modo quæ proveniunt a causis indifferentibus ad utrumlibet.

Prob. prop. quoad omnes partes. Futura enim prioris generis cognoscunt etiam homines, sicuti etiam futura alterius generis: ergo multo magis Angeli ob ampliorem cognitionem, quam habent de causis tum necessariis, tum contingentibus. Cognoscere autem quæ sunt omnino contingentia, est proprium solius Dei: *Isaiæ* enim 45. 9. et seq. hæc legimus: „quoniam ego „sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei, an„nuntians ab exordio novissimum, et ab initio quæ necdum „facta sunt."

Prop. VI. Angeli naturaliter non cognoscunt cogitationes cordis nullo signo exteriori manifestatas.

Prob. prop. *Jerem.* 17. 9. et seq. *Pravum est cor omnium, et inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda, et probans renes.* Hujus autem rei ea ratio est, uti habet Angelicus 1. p. quæst. 57. art. 4. „Quia voluntas rationalis creaturæ soli Deo subjacet, et ipse solus in eam operari potest, qui est principale ejus objectum, et ultimus finis... „Et ideo quæ ex voluntate sola dependent, vel quæ in voluntate sola sunt, soli Deo sunt nota."

Prop. VII. Angeli cognitione naturali non intelligunt mysteria gratiæ.

Prob. prop. Angeli viribus naturæ cognoscere non possunt quod cum intellectu eorum nullam proportionem habet: sed talia sunt mysteria gratiæ: sicut enim mysteria gratiæ sunt sim-

pliciter supernaturalia, ita etiam simpliciter sunt ordinis supernaturalis: ergo Angeli viribus naturæ non possunt cognoscere mysteria gratiæ.

CAPUT SECUNDUM.

De medio Angelicæ cognitionis.

Medium cognitionis est illud, in quo cognoscitur, quidquid cognoscitur. Tribus nunc propositionibus aperiemus, quid sentiendum sit de medio cognitionis Angelorum.

Prop. I. Angelus non intelligit omnia per suam substantiam.

Prob. prop. Si Angelus intelligeret omnia per suam substantiam, oporteret, ut cuncta, quæ intelligere potest, in substantia illius continerentur; sed hoc dici non potest, quia substantia illius est finita: ergo. Maj. prop. constat: medium enim continere in se ea omnia debet, quæ in illo cognoscuntur.

Prop. II. Angeli non cognoscunt per species acceptas ab ipsis rebus, sed per species a Deo in creatione sui sibi inditas, atque connaturales.

Prob. prop. *Ezechiel.* 28. 12. de Lucifero dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore*: quum ergo Angeli pleni sapientia sint creati, species rerum intelligibilium eos in sui creatione oportet accepisse. Eo vel maxime quia Angeli nullam affinitatem habent cum corpore, rebusque sensibilibus: igitur utpote substantiæ sua natura intelligentes perfectionem intelligendi non mutuantur a corpore, seu a rebus sensibilibus, propterea que species, quibus intelligunt, sibi sunt innatæ, atque congenitæ; Angelis autem superioribus inditas magis universales, quam inferioribus, advertit Angelicus 1. p. quæst. 55. art. 3.

Prop. III. Angeli non vident Deum per aliquam speciem creatam.

Prob. prop. Lib. 3. cap. 1. ostendimus, Angelos frui æterna beatitudine, quæ consistit in visione Dei. Id vero discriminis inter cognitionem intuitivam, et abstractivam intercedit, ut quod per illam videtur, in se ipso absque ullo medio videatur: quod vero per istam, non in se ipso, sed ope alicujus medii videatur. Quum ergo Angeli Deum in se ipso videant, eum per aliquam creatam speciem non vident.

CAPUT TERTIUM.

De dotibus cognitionis Angelorum.

Isto in cap. hæc expendemus: 1. utrum Angelus semper actu cognoscat: 2. utrum multa simul cognoscat: 3. utrum ejus cog-

nitio pendeat a ratiocinatione : 4. utrum falsa esse possit: 5. quid sit Angelorum cognitio matutina , et vespertina.

Prop. I. Angelus semper actu videt et ipsum Verbum, et quæ cognoscit in Verbo : quæ autem naturaliter videt , non semper actu videt, licet semper habeat ea videndi potestatem.

Prob. prior pars prop. Angelorum beatitudo consistit in visione Verbi : ergo si ab hac visione actu recederent , eorum beatitudo actu deficeret : sed hoc repugnat perfectioni beatitudinis : repugnat ergo etiam , ut a visione Dei recedant : semper ergo Angelus videt et ipsum Verbum , et quæ cognoscit in Verbo. Ad illa tamen cognoscenda , quæ eis successu temporis revelantur , potentiam solummodo habet.

Prob. altera pars. Esse in potentia ad intelligendum dupliciter sumi potest: 1. quatenus quis non habet scientiam eorum, quæ potest intelligere : 2. quatenus licet habeat, ad eam tamen non advertit : secundum priorem rationem Angelus non est in potentia ad ea intelligenda , ad quæ ejus cognitio naturalis sese extendere potest , quum habeat semper species sibi inditas, atque connaturales : secundum alteram , Angelus esse potest in potentia ad ista intelligenda. Neque enim in actuali cognitione istorum beatitudo consistit.

Prop. II. Angelus plura , quæ una specie intelligibili repræsentantur , simul cognoscit , non vero quæ repræsentantur diversis speciebus.

Prob. simul utraque pars prop. Intellectus noster simul intelligit prædicatum , et subjectum , solum quatenus sunt partes unius propositionis. Ex quo constat , multa , quatenus sunt inter se distincta , non posse simul intelligi , sed quatenus uniuntur sub una ratione , id fieri posse , atque revera fieri. „ Angeli igitur (ita S. Thomas 1. p. quæst. 58, art. 2.) ex cognitione , qua cognoscunt res per Verbum , omnia cognoscunt „ una intelligibili specie , quæ est essentia divina , et ideo „ quantum ad talem cognitionem omnia simul cognoscunt... Ea „ vero cognitione , qua cognoscunt res per species innatas , omnia illa possunt simul intelligere , quæ una specie cognoscuntur.”

Prop. III. In intellectione Angelorum nullus est locus ratiocinationi.

Tunc est simpliciter ratiocinationi locus , quando quis ex cognitione unius rei cognitæ devenit in cognitionem alterius sibi antea ignotæ : ceterum si unum cognoscatur post aliud , vel in alio , non intervenit aliqua ratiocinatio.

Prob. prop. Supremus gradus nostræ cognitionis est infimus Angelicæ juxta illud : supremum infimi attingit infimum supremi : sed supremus gradus nostræ cognitionis est ille , quo prima principia sine ulla ratiocinatione cognoscimus : ergo infimus

gradus cognitionis Angelorum est, ut sine ratiocinatione intelligant illa omnia, ad quæ eorumdem cognitio naturalis sese extendere potest. Hoc vero est, quod etiam perfectio intellectus Angelici postulat.

Prop. IV. Cognitio Angeli non potest esse falsa, neque in iis, quæ cognoscit naturaliter, neque in aliis, quæ objecto conveniunt supernaturaliter: in istis tamen cognitio dæmonis potest esse falsa.

Prob. Quæ Angeli cognoscunt naturaliter, cognoscunt per naturales species a Deo sibi inditas in creatione: igitur istis speciebus falsum repræsentari non potest. Angeli autem sicut inquit S. Thomas 1. part. quæst. 58. art. 5. „habentes rectam voluntatem per cognitionem quidditatis rei non judicant „de his, quæ supernaturaliter ad rem pertinent, nisi salva „ordinatione divina. Unde in eis non potest esse falsitas, seu „error. Dæmones vero per voluntatem perversam subducentes intellectum a divina sapientia absolute interdum de rebus „judicant secundum naturalem conditionem. Et in his, quæ „naturaliter ad rem pertinent, non decipiuntur, sed decipi „possunt quantum ad ea, quæ supernaturalia sunt."

Prop. V. Est in Angelis cognitio tum matutina, tum vespertina.

Prob. prop. Cognitio matutina dicitur, qua Angeli in divino verbo cognoscunt res, prout sunt in se, vespertina autem, qua res, earumque naturam cognoscunt per species naturales, atque sibi inditas. Hæc cognitio, si comparetur cum priori, est imperfecta: utraque tamen est in Angelis. Sicut enim jam ostendimus, per species sibi congenitas intelligunt res, ad quas extenditur illorum cognitio naturalis: intelligunt quoque in Verbo, quatenus illius clara visione perfruuntur. Quum igitur distinctio cognitionum petenda sit ex diversitate mediorum, quibus ducimur in illas, et nemo dubitare possit, clarius rem eamdem videri in Verbo, quod est fons totius luminis, quam per species inditas, quæ sunt quædam participatio divini luminis, inde consequitur tum matutinam, tam vespertinam cognitionem in Angelis admitti debere.

LIBER QUINTUS.

De missione Angelorum.

De ea nunc Angelorum missione loquimur, qua ipsi ad aliquod ministerium, hic in terris obeundum, mittuntur a Deo. In 1. cap. generatim ostendemus, constare ex sacris litteris mit-

ti Angelos ad exterius ministerium obeundum: in 2. agemus de illorum ministerio, quatenus ipsum respicit custodiam hominum.

CAPUT PRIMUM.

De exteriori ministerio Angelorum.

Prop. Nemo negare potest mitti Angelos a Deo ad munus exterius obeundum.

Prob. prop. *Genesis* 19. duo Angeli a Deo missi fuisse dicuntur, ut perderent Sodomitas. *Exodi* 33. 2. ita Deus ad Moysem: *Mittam præcursorem tui Angelum.* Et *Tobiæ* 12. 14. hæc Angelus ad utrumque Tobiam: *Et nunc misit me Dominus, ut curarem te, et Saram uxorem filii tui a dæmonio liberarem:* v. 20. *Tempus est ergo, ut revertar ad eum, qui me misit.* Cap. 13. *Matt.* 41. *Mittet filius hominis Angelos suos.* Cap. 1. *Lucæ* 26. *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ.* Alia plura in hanc rem tum ex veteri, tum ex novo Testamento recensere possemus: verum hæc sufficiunt, ut, Angelos mitti a Deo ad munus exterius obeundum unusquisque sibi persuasum habeat. Hac vero de causa, videlicet, quia mittuntur a Deo, sicut advertit Angelicus 1. p. quæst. 112. art. 1. „Actio, quam Angelus missus exercet, procedit a Deo, sicut a „primo principio, cujus nutu, et auctoritate Angeli operantur, „et in Deum reducitur, sicut in ultimum finem.... Minister „est sicut instrumentum intelligens. Instrumentum autem ab alio „movetur, et ejus actio ad aliud ordinatur. Unde actiones Angelorum ministeria vocantur, et propter hoc dicuntur in ministerium mitti."

Hujusmodi autem in exercitio Angeli nihil amittunt ejus dignitatis, quam habent. Sicut enim advertit Angelicus loco cit. ad 4. „Angeli in suis actionibus exterioribus ministrant principaliter Deo, et secundario nobis: non quia nos sumus superiores eis simpliciter loquendo, sed quia quilibet homo, vel Angelus in quantum adherendo Deo fit unus Spiritus cum Deo, „est superior omni creatura."

CAPUT SECUNDUM.

De ministerio, quod obeunt Angeli in beneficium hominum.

Licet Angelorum sit præcipuum munus stare ante thronum Dei, atque sine intermissione grates illi persolvere, sicuti legitur *Daniel.* 6. 10. *Isaiæ* 6. 3., *Apocalyp.* 4. 8.; hoc tamen

non impedit, quin ad aliquod munus obeundum mittantur in hunc mundum, quum sint *omnes administratorii spiritus in ministerium missi*, sicut *Hebræor.* 1. v. ult. legitur. Hoc autem ministerium, de quo loquimur, attendi potest vel universe, atque generatim, quatenus custodia hominum commissa sit Angelis, vel singulariter, quatenus singuli homines unum Angelum in sui custodiam deputatum habent: (quod negavit Calvinus in Psal. 9., eumque inter alios sequutus fuit Heideggerus in *Corp. Theologico* loco 8. De Angel. §. 35.) item non solum immediate, sed etiam mediate, ut dicunt, quatenus custodia Angelorum ea quoque complectatur, quæ cedunt in beneficium hominum. De his omnibus agemus in distinctis propositionibus.

Prop. I. Angeli custodiam hominum sibi a Domino commissam habent.

Prob. prop. *Genes.* 48. 16. Jacobus mentionem facit cujusdam Angeli, cujus virtute se a pluribus malis liberatum dicit: „Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris is„tis." *Judith* cap. 13. 20. se euntem, et redeuntem ab Angelo custoditam dicit. Psal. 33. 8. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.* Christus *Matt.* 18. 10. *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. Apocalyp.* 8. 4. *Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Domino.* Hæc vero omnia, et alia multa similia, quæ in medium afferri possent, Angelis commissam a Deo custodiam hominum, neminem dubitare sinunt.

Prop. II. Singulis hominibus deputati sunt singuli Angeli ad custodiam illorum.

Prob. prop. Auctoritate *Psal.* 33. 8., et *Genes.* 48. 16. S. Basilius lib. 3. *Cont. Eunomium* num. 1. probat, *Quod unicuique fidelium adsit Angelus velut pædagogus quidam, et pastor vitam dirigens.* Ex illo *Matt.* 18. *Angeli eorum semper vident etc.* Origenes Homil. 20. in *Numer.* num. 3. *Adest* (inquit) *unicuique nostrum etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui muniat, qui gubernet.* Et S. Gregorius Nyssenus in lib. 1. *De Vita Moysis* rem esse istam dicit, quæ, *ex majorum traditione* fidem sibi vindicat. S. Hieronymus in cit. cap. Matthæi colligit, *Magnam esse dignationem animarum, ut unaquæque ab ortu nativitatis habeat in custodia sui Angelum delegatum.* Lib. 18. Comment. in cap. 60. Isaiæ idem confirmat aliis Scripturæ testimoniis: quod sane facit etiam S. Bernardus Serm. 12. in *Psal. Qui habitat* num. 3., atque etiam Beda tom. 8. lib. qq. variarum quæst. 8., ac tandem Theodoretus quæst. 3. in *Genes.* aucto-

ritate Scripturæ confirmat, *singulos homines subesse singulorum Angelorum procurationi.*

Dices cum Hedeiggero cit. loco: 1. ipse opponit, ex *Matt.* cap. 18. 10. colligi tantum, Angelos quidem datos in custodiam puerorum, non vero unumquemque puerum habere Angelum custodem sui: 2. Ex *Actor.* cap. 12. 15. inferri non debere, Judæos existimasse, Petrum habuisse *Angelum custodem, et tutelarem* sui. Potuerunt enim intelligere, nuntium ad se missum a Petro fuisse, sicut *Angeli Joannis*, uti habetur *Lucæ* 7. 24. nuntii ad Christum ab eodem Joanne misi fuerunt: 3. Dici posse, arbitratos fuisse Judæos, Angelum Dei *extra ordinem* missum a Deo in auxilium Petri. Hinc Petrus *Act.* 12. 11. ait: *Nunc vere novi, Dominum Angelum suum misisse, et liberasse me ex manu Herodis.* Quibus verbis innuit, *nullum se Angelum tutelarem ordinarium sibi datum agnoscere:* 4. Ex illis verbis *Psal.* 90. 11. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, inferri pluribus Angelis deputari custodiam unius: 5. Officere beatitudini Angelorum, si non solum impiorum quoque custodiæ deputarentur „Sed etiam hominum passibus, et „fortunis perpetuo affixi in mundo, velut extorres e cælo oberrare, et nascentibus novi semper destinari necesse haberent."

R. ad 1. nimis evidenter constare ex *Matth.* loco cit., unicuique datum Angelum in custodiam, si ad ipsa verba, illorumque connexionem attendatur. Præcepit ergo Christus, ut non contemneretur ne unus quidem ex illis pusillis, de quibus loquebatur: præceptum ergo Christi non respicit generatim pusillos, sed unumquemque illorum. Ad servandum autem hoc præceptum, ut omnes induceret, dixit: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui est in cælis.* Hic igitur est verus, atque per se obvius verborum sensus: nullus, ne unus quidem, puerorum est, cujus Angelus faciem Patris non videat, atque ita ratio non contemnendi pueros est conformis præcepto, sive complectitur ipsum præceptum, etiam unius pueri habita ratione.

R. ad 2. dubitari non posse de sententia Judæorum, si attendamus ad factum Petri; nam ipse Petrus solutus a vinculis, et e carcere eductus ab Angelo ad Mariæ domum se contulit: igitur (Act. 12. 13. et seqq.) „Pulsante eo ostium januæ, pro„cessit puella ad audiendum nomine Rhode:" quæ, agnita voce Petri, et ostio non aperto „Intro currens nuntiavit, stare „Petrum ante januam. At illi dixerunt ad eam: insanis. Illa „autem affirmabat: sic se habere: illi autem dicebant: Angelus „ejus est." Profecto ad Angelum, qui apparuerat Petro in carcere posito, respicere non poterant: neque enim illis compertum erat, quod Petro contigerat. Superest ergo, sicut ex ipsa loquendi ratione colligitur, eos ad illum Angelum respexisse, quem Petrus in sui custodiam singularem a Deo receperat, propterea-

que Angelus Petri recte dicebatur. Vicos autem, non vero Angelos Joannem Baptistam ad Christum misisse, tam in nostra Vulgata, quam in textu Græco legitur *Lucæ* 7. 20.

R. ad 3. ad libitum confingi, Judæos respexisse ad Angelum *extra ordinem* missum: nam Judæi nescientes, quæ Petro contigerant, atque credere renuentes illum, qui pulsaverat domus suæ januam, esse Petrum, simpliciter dixerunt: *Angelus ejus est.* Qua loquendi ratione profecto significarunt, Angelum, ut ita dicam, proprium Petri, adeoque et custodem singularem illius. Petrus autem quum in iis omnibus, quæ sibi antea contigerant, existimasset, se *visum videre*, tandem discedente Angelo, *ad se reversus dixit: nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum*, hoc est, advertit, nulla se illusione deceptum, sed revera Angelum sub humana figura tunc singulariter ad se missum a Deo fuisse. Ea autem, quæ jam animadvertimus, suadent, eumdem Angelum, qui Petrum custodiebat invisibiliter, visibili ministerio eidem Petro adstitisse, indeque dici, illum missum a Deo.

R. ad 4. illis verbis *Psal.* 90. 11. *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, non ostendi, curam singulorum hominum singulis Angelis commissam esse: nam ea referuntur ad Christum, qui, sicut ait Augustinus *Enarrat.* in *Psal.* 90. serm. 2. num. 8., „Sublatus est in manibus Angelorum, quando assumptus est in cælum, non quia, si non portarent Angeli, ruiturus erat, sed quia obsequebantur „Regi."

R. ad ult. cum S. Aug. *De Genesi ad litt.* lib. 8. num. 45. moveri Angelos a Deo „Temporaliter, illo non temporaliter moto. Nec ita, ut ab ejus contemplatione resiliant, aut defluant: „sed simul et illum sine loco, ac tempore contemplantur, et ejus „in interioribus jussa perficiunt, moventes se per tempus." Legatur in eamdem rem S. Gregorius M. lib. 2. *Moral.* num. 3. „Quod Angelus dicitur discedere a Deo (inquit Angelicus in II. „Sent. dist. 10. quæst. 1. art. 4. ad 1.) non per intermissionem contemplationis, aut locum... sed per hoc, quod ab invisibilitate recedens, visibilis apparet, sicut Filius exivit a Patre, et venit in mundum, visibilis hominibus factus, *Joan.* „16. et simpliciter dicuntur reverti ad Deum, quando, deposita visibili specie, ad pristinam invisibilitatem revertuntur."

Prop. III. Non soli prædestinati, sed etiam omnes alii habent Angelum custodem sui.

Prob. prop. Nam quemadmodum advertit Angelicus 1. p. quæst. 113. art. 4., licet hæc custodia non efficiat, ut reprobi vitam æternam consequantur, nihilominus per eam a multis, aut etiam gravioribus malis retrahuntur. Deinde id providentiæ divinæ conforme esse, inde constat, quia Deus permittit, prædestinatos a

dæmone tentari: quæ sane tentatio eo tendit, ut prædestinatos inducat in malum: itaque par est quoque, ut etiam ceteri omnes non prædestinati Angelum in sui custodiam deputatum a Deo habeant, cujus sit, eosdem avertere a malo. Hinc Patres, sicut superius advertimus in duabus præced. proposit., universe, ac generatim et hominibus, et singulis hominibus Angelum ad custodiam illorum deputatum esse, docuerunt.

Patres nonnulli ea quidem loquendi ratione quandoque usi fuisse videntur, ut custodiam Angelorum excluserint a malis hominibus: verum eo sensu ita loquuti fuerunt, quatenus mali non bonorum Angelorum, sed dæmonum consilia sequantur, illorumque propterea custodia quodammodo destituti videantur. Præterea hujusmodi loquendi ratione Patres illud quoque præseferunt, singulari quodam modo Angelum deputatum esse in custodiam bonorum, et quidem jure merito, quum in bonis hujusmodi custodia omne suum complementum habeat.

Illud quoque adverti debet, ab Angelo non deseri hominem sibi in custodiam traditum a Deo, quamvis ille incidat in grave peccatum. Contra quidem nonnulli Patres sensisse videntur: attamen non id illi voluerunt, ut homines peccantes Angeli omnino desererent, sed solummodo ut suæ custodiæ exercitium, ita Deo disponente, remitterent: „Angelus custos (inquit Angelicus 1. p. quæst. 113. art. 6.) nunquam dimittit hominem, „sed ad aliquid eum dimittit, prout scilicet non impedit, quin „subdatur alicui tribulationi, vel etiam quin cadat in peccatum, secundum dispositionem divinorum judiciorum. Et secundum hoc Babylon, et domus Israel derelictæ dicuntur, quia „Angeli earum custodes non impediverunt, quin tribulationibus subderentur."

Duobus autem generatim modis Angeli sua nobis custodia prosunt: unus est per remotionem illorum, quæ nobis possunt nocere, alter per disciplinam, interioremque suasionem, qua nos conantur inducere tum ad fugienda mala, tum ad bona prosequenda: pia quoque desideria excitant in nobis, et sicut Ambrosius ait epist. Clas. 1. epist. 1. Serm.*cont. Auxentium* num. 11. *servulos Christi magis custodiunt ipsi, qui non videntur, quam qui videntur.* Et S. Augustinus *Enarrat.* in *Psal.* 62. num. 6. *Attendunt nos peregrinos, et miserentur nos, et jussu Dei auxiliantur nobis, ut ad illam patriam communem aliquando redeamus.* A Patribus autem illud quoque traditum habemus, non solum singulariter de hominibus, sed etiam de Ecclesiis, civitatibus, et regnis Angelos custodiam gerere. Qua de re inter alios videatur Petavius *De Angelis* lib. 2. cap. 8.

LIBER SEXTUS.

De Angelis malis.

Ad complementum totius disputationis in hoc libro agemus de Angelis malis, sive dæmonibus: in cap. 1. videbimus, quodnam fuerit peccatum illorum: in 2. disseremus de conditione, et numero Angelorum, qui peccaverunt: in 3. de iis malis, quibus Angeli propter peccatum evaserunt obnoxii: in 4. universe, et generatim de ea potestate, quam nunc Angeli mali habent supra corpora: in 5. de potestate illorum super homines.

CAPUT PRIMUM.

De peccato Angelorum.

Illud cum Angelico 1. p. quæst. 63. art. 1. advertimus, etiam Angelum peccare posse, si attendatur ad naturam illius: peccare enim est declinare ab illa rectitudine, quam agens servare debet in sua actione: unde ille agens non potest declinare ab hujusmodi rectitudine, qui pro sui regula habet ipsam virtutem agentis. Hæc regula quoad Deum est ipsa voluntas divina, quia ad finem superiorem ipse non ordinatur. Voluntas autem cujuslibet entis creati in sua actione non habet rectitudinem, nisi quatenus regitur a voluntate divina. „Sic igitur in „sola voluntate divina peccatum esse non potest; in qualibet „autem voluntate creaturæ potest esse peccatum secundum con„ditionem suæ naturæ."

Angelorum primum peccatum fuisse superbiam, nos modo tuebimur: id enim traditum habemus in sacris litteris, et confirmatum a Patribus: varias autem, multiplicesque hac de re opiniones Scriptorum, quas refert Estius lib. II. *Sentent.* dist. 2. §. 2. modo non morabimur.

Prop. Superbia fuit primum peccatum Angelorum.

Prob. prop. *Tobiæ* 4. 14. ita Tobias ad suum filium: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Apud *Isaiam* 14. 11. ita Lucifer increpatur; *Detracta est ad inferos superbia tua.* Apostolus I. *ad Timot.* 3. 6. hæc de neophyto habet: *Ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli*, hoc est in pœnam, quæ lucifero inflicta fuit propter superbiam illius. *Lucæ* 10. 18. ait Christus: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Quum autem Christus hoc dixerit ad reprimendam superbiam suorum discipulorum, inde sibi

placentium, quod etiam dæmonibus dominarentur, manifestum est ad superbiam luciferi ipsum appellasse.

Auctoritate quoque Patrum nostra propositio confirmatur. S. Augustinus lib. 12. *De Civit. Dei* cap. 6. loquens de Angelis malis ait: *Ab illo, qui summe est, aversi, ad se ipsos conversi sunt, qui non summe sunt: et hoc initium, quid aliud, quam superbia nuncupatur?* S. Gregorius M. lib. 28. *Moral.* num. 11. *Prima stultitia Angeli elatio cordis fuit.* Hoc ipsum antea docuerat S. Basilius Hom. 9. *Quod Deus non est auctor malorum* num. 8. S. Gregorius Nazianz. Orat. 38. *De Nativitat. Christi*, S. Hieronymus in cap. 14. *Isaiæ*. Hinc Angelicus 1. p. quæst. 63. art. 2. postquam præmonuit, Angelos bonis spiritualibus, non vero corporeis, affici potuisse, quia ista disconveniunt illorum naturæ, ait: „In spiritualibus autem bonis „non potest esse peccatum, dum quis ad ea afficitur, nisi per „hoc, quod in tali affectu superioris regula non servatur: et „hoc est peccatum superbiæ, non subdi superiori in eo, in „quo debet. Unde peccatum primum Angeli non potest esse „aliud, quam superbia."

Angeli autem æqualitatem cum Deo sua superbia non respexerunt: fieri enim non posse, ut evaderent Deo æquales, naturæ lumine cognoverunt, sicuti cum S. Gregorio M. lib. 29. *Moral.* num. 18. Angelicus in cit. loco art. 3. monet, sed similitudinem. Licet autem non peccet, qui expetit evadere similis Deo in iis, in quibus ipsi Deo potest assimilari; tamen si hanc similitudinem non Dei, sed propria virtute quærat adipisci, gravissimum sane superbiæ peccatum committit. Hac vero ratione similes Deo se fieri, Angeli mali expetierunt.

Quamvis autem de Lucifero potissimum legatur, eum peccasse propter superbiam; tamen idem quoque fuisse peccatum ceterorum Angelorum, sentiendum est: nam etiam ipsi, sicuti modo cum Augustino advertimus, ab illo, qui summe est, aversi, ad se ipsos conversi sunt, qui summe non sunt. Utrum autem unusquisque Angelus per se, nullo suadente, in superbiæ peccatum inciderit, an vero unus Angelorum ceteris tanti mali auctor fuerit, res est in disputatione posita. Unum tamen induxisse ceteros ad hoc peccatum, et Patres multi tradunt, et ex sacris litteris colligitur. Nam *Matt.* 25. 41. Christus dicturus legitur: *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus*, et in *Apocalyp.* 12. 7. traditum habemus, quod *draco pugnabat, et Angeli ejus.* Ex his autem id consequi videtur, Angelos inferiores unius cujusdam, qui diabolus, et draco singulariter dicitur, partes fuisse sequutos, eique adhæsisse.

Enim autem, qui primus omnium peccavit, atque alios ad peccandum induxit, fuisse etiam dignitate primum inter omnes Angelos, plures Patres censuerunt, sicuti legere est apud Es-

tium in lib. II. *Sentent.* dist. 6. §. 10., et Petavium *De Angelis* lib. 3. cap. 3. num. 7. et seqq. In hanc autem rem advertit Angelicus 1. p. quæst. 63. art. 7. duo considerari posse, et *pronitatem, et motivum* ad peccandum: „Si considerretur (inquit) motivum ad peccandum, majus invenitur in „superioribus, quam in inferioribus: fuit enim dæmonum peccatum superbia, cujus motivum est excellentia, quæ fuit major in superioribus." Superaddit vero: „Peccatum Angeli non „processit ex aliqua pronitate, sed ex solo libero arbitrio."

CAPUT SECUNDUM.

De conditione, et numero Angelorum, qui peccaverunt.

Utrum quidam Angeli ex omnibus ordinibus, vel plures Angeli peccaverint, quam qui in veritate steterint, quæritur a Theologis: de hoc utroque nunc sententiam nostram aperiemus.

Prop. I. Valde probabile est, peccasse aliquos Angelos cujusvis ordinis.

Prob. prop. *Roman.* 8. 38. inter hostes humanæ salutis recenset Apostolus Angelos, Principatus, atque Virtutes. I. *Corint.* 15. 24. illis superaddit Potestates. Ex ordine autem Seraphinorum aliquos peccasse, dicendum erit, semel ac statuatur, sicuti revera statutum fuit a nobis, eum, qui alios ad peccandum induxit, fuisse primum inter omnes Angelos. Item ex Cherubinis aliquos e cælo cecidisse, constat ex *Ezechielis* cap. 28. 14., nam nomine Cherubim appellatur ille, in quo malitia inventa fuit. Quum vero Archangeli etiam sub nomine Angelorum veniant, et Throni, atque Dominationes Seraphinis sint inferiores, ex illis quoque peccasse nonnullos, existimare par est. Quare, sicut inquit S. Thomas 1. p. quæst. 63. art. 9. ad 3. „In Sacra Scriptura nomina quorumdam ordinum, ut Sera„phim, et Thronorum, dæmonibus non attribuuntur, quia hæc „nomina sumuntur ab ardore caritatis, et inhabitatione Dei, „quæ non possunt esse cum peccato mortali."

S. Joan. Damascenus lib. 2. *De Fide Orthod.* cap. 4. distinxit generatim Angelos in *supercœlestes*, quibus rerum cœlestium, et *mundanos*, quibus custodia mundi commissa sit, et ex hoc tantum posteriori genere Angelos aliquos peccasse, statuit.

Prop. II. Angeli prævaricatores fuerunt minori numero præ Angelis, qui in veritate steterunt.

Prob. prop. *Apocalyp.* cap. 12. 4. de dracone legitur, quod *Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli, et misit eas in terram.* Hæc autem esse intelligenda de Angelis prævaricatoribus, qui exemplum draconis sequuti fuerunt, inde cons-

fat, quia statim v. 7. describitur prælium magnum in cælo factum, in quo *Michael, et Angeli ejus prœliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et Angeli ejus.* Ad designandam autem inæqualitatem numeri, non vero ad eam singillatim determinandam, dictum fuisse, draconem traxisse secum tertiam partem in terram, inde probabiliter conjicitur, quia in Scriptura numerus Angelorum longe major describitur præ numero dæmonum. Hinc S. Augustinus lib. 11. *De Civit. Dei* cap. 23. num. 1. affirmavit, quod *bonorum longe major numerus in cœlestibus suæ naturæ ordinem servet.* S. Thomas 1. part. quæst. 63. art. 9. hoc idem inde confirmat, „Quia peccatum est contra naturalem inclinationem: ea vero, quæ contra naturam „fiunt, ut in paucioribus accidunt: natura enim consequitur „suum effectum vel semper, vel ut in pluribus." Neque huic rationi obstat, plures inveniri homines malos, quam bonos: nam peccatum est quidem etiam contra naturam hominis, quatenus est homo; tamen homines, et naturam corruptam habent, et inordinata delectatione rerum sensibilium facile alliciuntur; quod sane non erat in Angelis.

CAPUT TERTIUM.

De iis ærumnis, quibus Angeli mali propter peccatum evaserunt obnoxii.

In hoc capite de hisce tribus, videlicet de obcæcatione intellectus, de obstinatione voluntatis, et de pœna malorum Angelorum, agemus in tribus distinctis §§.

§. I.

De obcæcatione intellectus malorum Angelorum.

Hic cum Angelico 1. p. quæst 64. art. 4. adverti debet, cognitionem veritatis proficisci posse tum a lumine rationis, tum a superiori lumine gratiæ. Veritas, quæ proficiscitur a lumine gratiæ, est duplex, videlicet speculativa, quæ per revelationem divinorum mysteriorum acquiritur, et practica, seu affectiva, quæ secum fert amorem Dei.

Prop. Cognitio naturalis neque sublata, neque diminuta fuit in Angelis malis, supernaturalis autem speculativa fuit diminuta, practica vero prorsus sublata.

Prob. prior pars prop. Hæc enim cognitio consequitur ipsam naturam Angeli, quum sit ipse secundum naturam quidam intellectus, vel mens. Propter simplicitatem vero substantiæ nihil subtrahi potest a natura illius, indeque neque puniri subtractio-

ne naturalium, sicuti punitur homo per subtractionem manus, vel pedis. Cognitio ergo naturalis in Angelis malis neque sublata, neque diminuta fuit, propterea que ii hujusmodi cognitione complectuntur omnia, quæ Angeli boni naturaliter cognoscunt. Tamen isti, sicut inquit S. Augustinus lib. 9. *De Civit. Dei* cap. 22. „Ideo certius etiam temporalia, et mutabilia ista „noverunt, quia eorum principales causas in Verbo Dei cons„piciunt... Dæmones autem non æternas temporum causas, et „quodammodo cardinales in Dei sapientia contemplantur; sed „quorumdam signorum nobis occultorum majori experientia mul„to plura, quam hominos, futura prospiciunt... Denique sæpe „isti, nunquam illi omnino falluntur."

Prob. altera pars. Nam sicuti advertit S. Augustinus in cit. lib. cap. 21., Christus modo voluit innotescere dæmonibus, modo non voluit. Nam dixerunt dæmones *Marci* 1. 24. *Quid nobis, et tibi, Jesu Nazarene: venisti perdere nos?* voluit innotescere. „Clarum est in his verbis (inquit S. Augustinus) quod „in eis et tanta scientia erat... Innotuit ergo dæmonibus non „per id, quod est vita æterna, et lumen incommutabile, quod „illuminat pios... sed per quædam temporalia suæ virtutis ef„fecta, et occultissima signa præsentiæ, quæ Angelicis sensi„bus etiam malignorum spirituum, potius quam infirmitati ho„minum, possent esse conspicua." Non voluit autem innotescere dæmonibus, quando, sicut S. Augustinus prosequitur, „Ea „paulu'um supprimenda judicavit, et aliquanto altius latuit, du„bitavit de illo dæmonum princeps, eumque tentavit, utrum Chris„tus esset, explorans."

De tertia parte non est, cur dicamus aliqua: nam dæmones non essent in eo statu, in quo revera sunt, si affectivam erga Deum cognitionem haberent.

§. II.

De obstinatione voluntatis malorum Angelorum.

Hac de obstinatione duo expendi debent: unum adversatur fidei, alterum est in disputatione positum. Fidei adversatur falsa opinio Origenis, qui, sicut ait S. Augustinus lib. 21. *De Civit. Dei* cap. 17. *Et ipsum diabolum, atque Angelos ejus, post gravioïa pro meritis, et diuturniora supplicia, ex illis cruciatibus eruendos, atque sociandos Sanctis Angelis, credidit.* Id autem cum obstinatione in malo simul stare non potest. Est vero in disputatione positum, utrum sit in Angelis malis causa intrinseca obstinationis, quatenus scilicet ipsi immobiliter illi fini adhæreant, cui cum plena deliberatione semel adhæserunt. Hoc vero est, quod tenet Angelicus 1. p. quæst. 64. art. 2. et. alibi.

Prop. I. Rectæ fidei adversatur, Diabolum, et Angelos ejus aliquando esse eruendos ab iis ærumnis, quas patiuntur.

Prob. prop. Sicut enim advertit S. Augustinus in cit. lib. cap. 23., sancti sacris veteribus et novis litteris eruditi beatitudinem regni cælorum post qualiacumque, et quantacumque supplicia qualibuscumque, et quantiscumque Angelis non invideruntsed potius illud viderunt, divinam vacuari, vel infirmari non posse sententiam, quam se Dominus prænuntiàvit in judicio prolaturum, atque dicturum *Matt.* 25. 41. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus.* Et *Apocalip.* 20. 9. et seq. *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, ubi et bestia, et pseudo-propheta, cruciabuntur die, ac nocte in secula seculorum.* Quod autem, inquit S. Augustinus. „ Ubi dictum est *æternum*, „ hic dictum est: *in secula seculorum*: quibus verbis nihil Scrip„ tura divina significare consuevit, nisi quod finem non habet „ temporis." Unde infert, *verissima pietate* teneri, Diabolum, et Angelos ejus nullum regressum esse habituros ad justitiam, et vitam sanctorum. Post nonnulla vero alia ita acute urget contra Origenistas: „ Deinde quale est, æternum supplicium pro „ igne diuturni temporis æstimare, et vitam æternam credere „ sine fine, quum Christus eodem ipso loco in una, eademque „ sententia dixerit utrumque complexus: *Sic ibunt isti in sup„ plicium æternum: justi autem in vitam æternam.* Si utrum„ que æternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum, aut „ utrumque sine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relate „ sunt: hinc supplicium æternum, inde vita æterna. Dicere autem in „ hoc uno, eodemque sensu vita æterna sine fine erit, supplicium „ æternum finem habebit, multum absurdum est. Unde quia vita „ æterna sanctorum sine fine erit, supplicium quoque æternum qui„ bus erit, finem procul dubio non habebit."

His per se quidem evidentibus alia non superaddimus, quia de æternitate pœnarum suo tempore agemus contra nonnullos recentiores, illorumque objectiones diluemus.

Prop. II. Causa obstinationis Angelorum malorum in peccato peti etiam debet ab illorum intrinseco principio, quo illi objecto immobiliter adhærent, cui semel cum plena deliberatione adhæserunt.

Prob. prop. Vis illa, quæ dicitur appetitiva quoad omnia est conformis vi apprehensivæ, a qua movetur. Apprehensio autem Angeli in eo differt ab apprehensione hominis, quod Angelus, sicut ostendimus lib. 5. cap. 3. apprehendit immobiliter per intellectum absque ulla ratiocinatione; sicut et nos hac ratione immobiliter apprehendimus prima principia: homo autem ut ratiocinatione ex uno pergat ad alterum mobiliter, atque sua ratiocinatione ad utrumque oppositum æque ferri potest.

„ Unde (inquit Angelicus) et voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere, et contrario adhærere, voluntas autem Angeli adhæret fixe, et immobiliter. Et ideo si consideretur ante adhæsionem, potest libere adhærere et huic, et opposito, in his scilicet, quæ non naturaliter vult; sed postquam jam adhæsit, immobiliter adhæret." Rem istam fusius explicat Angelicus quæst. 24. *De Verit.* art. 10.

Dices. Omnium fere Patrum sententia est, divinæ gratiæ tribuendum, quod Angeli sancti Deo immobiliter uniti consistant, itemque quod dæmones immobiliter obstinati perseverent, quia Deus subtractione suæ gratiæ in suis desideriis dereliquerit illos: ergo falso dicitur, dæmones in se habere principium intrinsecum suæ obstinationis.

R. non negari a nobis, neque ullo modo negari posse, Patres ita sensisse, quum illorum de re ista sint nimis perspicua testimonia. Ex hoc autem consequi, illud principium internum admitti non debere, hoc vero est, quod negamus. Nihil enim vetat, ut plures sint causæ unius, ejusdemque rei. Primam itaque, præcipuamque inculcare, Patres non desiterunt; inde tamen colligi non debet, contra ac Petavius facit *De Angelis* lib. 1. cap. 11., eos negasse aliam minus præcipuam ejusdem rei causam intrinsecam, quam quidem etiam Damascenus, ipso Petavio fatente, insinuavit. Angelicus sicuti erat in doctrina Patrum versatissimus in cit. loco *De Verit.* paucis complexus fuit, quæ Patres hac de re tradiderunt: „Patet igitur (inquit) ex prædictis, quod „causa confirmationis dæmonum in malo ex tribus dependet, „ad quæ omnes rationes a Doctoribus assignatæ reducuntur. Primum est, et principale divina justitia; unde pro causa obstinationis eorum assignatur, quod quia per alium non cecidерunt, nec per alium resurgere debent, vel si quid aliud est „hujusmodi, quod ad congruitatem divinæ justitiæ pertineat. Secundum est indivisibilitas appetitivæ virtutis: unde quidam dicunt, quod quia Angelus simplex est, ad quod se convertit, totaliter se convertit, quod intelligi oportet non de simplicitate essentiæ, sed de simplicitate, quæ divisionem potentiarum unius generis tollit. Tertium est intellectiva cognitio: et hoc „est, quod quidam dicunt, quod ideo Angeli irremediabiliter „peccaverunt, quia peccaverunt contra intellectum deiformem."

§. III.

De pœna Angelorum malorum.

Ut quæ hac de re tum in sacris litteris, tum in Patribus tradita habemus, recte intelligantur, cum Angelico 1. p. quæst.

64. art. 4. adverti debet, duplicem usque ad diem judicii esse locum Angelorum tum sanctorum, tum malorum: unus respondet illorum meritis: qua ratione locus sanctorum Angelorum est cælum, malorum infernus: alter propter homines est singulari dispositione Dei constitutus, secundum quem Angeli boni ad custodiam, et juvamen nostri hic nobiscum commorantur in terris, mali autem in hoc caliginoso aere vagantur ad exercitationem nostram: qua in re ipsi quoque divinæ voluntati, et justitiæ deserviunt. Sicut autem non omnes Angeli boni deputati sunt in nostram custodiam: ita et non omnes Angeli mali divinæ voluntati, et justitiæ deservient ad exercitationem nostram.

Prop. I. Tenendum est, saltem aliquos illorum Angelorum, qui ab æterna felicitate propter suum peccatum exclusi fuerunt, hic in terris versari.

Prob. prop. *Job.* 1. 7. Satan interrogatus a Deo unde veniret, respondit: *circuivi terram, et perambulavi eam.* S. Petrus I. epist. cap. 5. 7. et 8. monet omnes, ut vigilent, *quia adversarius.... diabolus, tamquam leo rugiens, circuit, quærens, quem devoret.* Paulus *Ephes.* 2. 2. appellat dæmones *principes, et potestates, mundi rectores tenebrarum harum.* Id ipsum innuunt et Petrus in II. epist. cap. 2. 4., et Judas in epist. v. 6., quando dicunt, dæmones vinculis quibusdam sub caligine detentos ad extremum judicium reservari. Unde S. Augustinus *De Genes. ad litt.* lib. 3. num. 15. loquens de dæmonibus ait: *Nec aeris saltem spatia superiora, atque puriora, sed ista caliginosa tendere permissi sunt, qui eis pro suo genere quidam quasi carcer est usque ad tempus judicii.* Et *Enchirid.* num. 9. ait, Angelos Deum deserentes, *In hujus aeris imam caliginem de superna cælesti habitatione dejectos.* In hac re Patres fere omnes consentiunt, et S. Hieronymus lib. 3. in cap. 5. epist. Ephesiorum tradit, *omnium Doctorum* opinionem esse, in aere, qui est medius inter cælum, atque terram, inhabitare contrarias fortitudines.

Senserunt plures sane Patres, et ut aliquos commemorem, Origenes lib. *De Exhortat. ad Martyrium* num. 45., Tertullianus in *Apolog.* cap. 22., Athenagoras in *Legat. pro Christ.* num. 27., dixere, dæmones *indigere cibo, attrahere nidores, satiari sanguine*, iisque de dæmonibus loquuti fuerunt, qui hic versantur in terris. Ita autem opinati sunt, quatenus putavere, dæmones habere corpora, quibus actiones vitales convenirent. Hæc opinio a Platone manavit, qui, sicuti Augustinus lib. 8. *De Civit. Dei* cap. 16. ex Apulejo Platonico refert, docebat: *Dæmones esse genere animalia, animo passiva, mente rationalia, corpore aeria, tempore aterna.* Illud quoque Plato censuit, sicuti Augustinus tradit in eodem lib. cap. 14., passiones eodem modo dominari in dæmonibus, ac in hominibus. Hac au-

tem absurditate opinionis semel posita, a vero non abhorret, dæmones indigere cibo, atque delectari iis, quæ corpus afficiunt. Verum licet Angelos esse corporeos, senserint nonnulli Patres, contra putarunt alii plures, sicuti ostendimus hujus Disput. lib. 1. cap. 3., in quo illud quoque animadvertimus, sententiam istorum Scripturæ, et definitioni Ecclesiæ conformem esse, atque scholarum communi consensione receptam.

Græci recentiores in Florentino Concilio, quum ageretur de igne purgatorii, dixerunt, quod Angeli mali (a): „Pæne carnem sumpserunt, et qui immateriales erant, aliqua ex parte materiales facti sunt... sunt ex parte corporei, et reservantur ad pœnas, futurumque est, ut materia, quam sumpserunt, igne comburatur æterno." Verum id ab eis ad libidinem confictum fuisse, nemo non videt.

Prop. II. Ignis æternus est pœna peccati, quod Angeli commiserunt.

Prob. prop. *Matt.* 25 41. legimus, Christum dicturum esse iis, qui erunt a sinistris illius: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus.* Et v. 45. *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.*

Hæc sunt ita perspicua, ut, ea confirmari traditione Patrum, opus non sit. Illud sane non est adeo perspicuum, utrum videlicet Angeli mali statim a suo peccato non solum deciderint ab illo statu felicitatis, in quo creati fuerant, sed etiam ignis æterni pœnam subierint. Nam plures SS. Patrum in ea sententia fuerunt, dæmones post diem judicii in infernum esse detrudendos, toto autem intermedio tempore ab ejectione illorum e paradiso usque ad diem judicii in hoc caliginoso aere, tamquam in carcere, inclusos detineri. Petavius *Dogm. Theol.* de Angelis lib. 3. cap. quorumdam tum Græcorum, tum Latinorum Patrum loca in medium adducit ad rem istam confirmandam. Tamen Patres, qui in hac opinione fuerunt, id universe, et generatim non asseruere de cunctis dæmonibus, sed plures ex illis de iis potissimum dæmonibus, quos post peccatum usque ad diem judicii pro carcere hunc tenebrosum aerem habere sibi deputatum dixerunt. Quæ vero habet tum S. Petrus II. epist. cap. 2. v. 4., tum S. Judas in sua epist. v. 6. explicant, et sibi contraria non esse tuentur isti Patres, qui vel omnes æque dæmones, vel eorum tantum aliquos inferni pœnas post diem judicii laturos affirmant. Hac de re legatur etiam Massuetius Dissert. 3. prævia ad Opera Irenæi art. 8. num. 168. et seq.

Non uno modo, sed multiplici explicantur ab aliquibus loca Patrum, in quibus ab iisdem traditur, dæmones pœnæ ignis

(a) Tom. IX. Concil. edit. Harduini col. 22.

æterni nondum subjacere: verum illa sunt adeo perspicua, ut nullam hujusmodi explicationem patiantur. Id ostendere non aggredimur, quia instituti nostri ratio non patitur. Cajetanus opinionem istorum Patrum sequutus fuit in Comment. ad II. epist. Petri cap. 2.

Hæc tamen opinio quorundam Veterum a Theologis plerisque recepta non est: ea tamen uti hæretica, vel erronea non debet haberi, sicut etiam Petavius advertit in cit. loco num. 20. Angelicus 1. p. quæst. 64. art. 4. ad 3. refert sententiam aliquorum, qui dixerunt: „Usque ad judicii diem differri pœnam sensibilem tam dæmonum, quam animarum, et similiter „ beatitudinem Sanctorum differri usque ad diem judicii, quod „ est erroneum (inquit), et repugnans Apostoli sententiæ, qui „ dicit II. *Corint.* 5. 1. *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, domum habemus in cælo.*" Deinde vero sermonem reassumit de sententia illorum, qui ajebant, usque ad diem judicii differri pœnam sensibilem tam dæmonum, quam animarum, et quoniam ipsius intererat in hoc articulo disputare tantum de pœna dæmonum, hæc superaddit: *Alii vero licet hoc non concedant de animabus, concedunt tamen de dæmonibus.* Quid ad hæc ipse pronuntiat? *Sed melius* (ait) *est dicendum, quod idem judicium sit de malis animabus, et de malis Angelis.* Quando autem dicitur melius unum, quam alterum, hoc alterum neque hæresim, neque errorem sapit. Unde nos etiam cum Bannesio in 1. p. D. Thomæ quæst. 64. uti *temerariam, et periculosam in fide* non audemus asserere prædictam opinionem, sicut nonnulli asseruerunt, contrariam tamen cum eodem Bennesio uti probabiliorem tuemur.

Prop. III. Probabilius est, et melius dicitur, ab eo tempore, quo Angeli mali ceciderunt a statu felicitatis, in quo creati erant, ad ignem æternum eos fuisse damnatos.

Prob. prop. Dæmones sunt obstinati in suo peccato, sicuti in præced. §. jam ostendimus: ergo pœna æterna peccati statim a suo peccato illis debita fuit. Deinde quemadmodum Angelis, qui in veritate steterunt, merces æterna statim retributa fuit; ita quoque pœna æterna, Angelis, qui a veritate defecerunt, statim retribuenda erat. Tandem nos post hanc vitam, si gravi peccato obnoxii ab ea decedamus, æterna pœna statim afficimur. At Angeli, sicut advertit Angelicus quæst. 16. *De Malo* art. 5. „Ex parte extrinseca immutabiles sunt vel in bono, „ vel in malo post primam electionem, quia tunc finitur in eis „ status viatoris: unde non pertinet ad rationem divinæ sapien„ tiæ, ut ulterius dæmonibus gratia infundatur." Sicut igitur hominibus, ita etiam Angelis malis æterna pœna post statum viæ debetur. Unde S. August. lib. 6. *Op. Imperf. cont. Julianum* ad 22. object. „Ideo (inquit) Angelus irreparabiliter ceci-

„ dit ; quoniam cui plus datur , plus exigitur ab eo: tanto ita-
„que plus debebat obedientiæ voluntariæ , quanto plus habebat
„ in bonitate naturæ : unde sicut punitus est non faciendo,
„ quod debuit , ut nec velle jam possit , æternis etiam crucia-
„ tibus destinatus."

Dices. Saltem dæmones , qui in hoc caliginoso aere ad nostram exercitationem , Deo permittente , vagantur , æterno igni non esse alligatos , dicendum erit. Eo vel maxime quia *Lucæ* 8. 31. legimus, Christum rogatum fuisse a dæmonibus , ne sibi imperaret , ut in abyssum irent.

R. cum S. Thoma 1. p. quæst. 64. art. 4. ad 3. „ Quod sicut
„ locus cælestis pertinet ad gloriam Angelorum ; tamen gloria eo-
„ rum non minuitur , quum veniunt ad nos , quia considerant
„ illum locum esse suum, eo modo quo dicimus, honorem Epis-
„ copi non minui , dum actu non sedet in cathedra ; similiter
„ dicendum est, quod licet dæmones non actu alligentur gehen-
„ nali igni , dum sunt in aere isto caliginoso ; tamen ex hoc ip-
„ so quod sciunt , illam alligationem sibi deberi , eorum pœna
„ non minuitur... Nec est contra hoc quod rogaverunt Domi-
„ num , ut non mitteret eos in abyssum , ut dicitur *Lucæ* 8.,
„ quia hoc petierunt reputantes sibi pœnam , si excluderentur a lo-
„ co , in quo possunt hominibus nocere." Quæ hic habet Angelicus , leguntur etiam apud Bedam in Comment. in v. 6. epist. Jacobi.

LIBER SEPTIMUS.

De potestate dæmonum.

Hoc in libro universe , et generatim de potestate dæmonum primo loco agemus , deinde vero peculiariter de ea potestate, quam ipsi supra nos exercent.

CAPUT PRIMUM.

De potestate Dæmonum universe , atque generatim.

Illud uti certum est tenendum , tam habita ratione eorum, quæ universe , et generatim dæmones possunt supra corpora , quam illius potestatis singularis , quam supra nos exercent , agere eos non posse , sicut S. Augustinus affirmat *De Civit. Dei* lib. 18. cap. 18. *Nisi quod ille permisserit , cujus judicia occulta sunt multa , injusta nulla*: Dæmonum priorem illam potestatem nunc explicabimus.

Prop. Virtus naturalis dæmonis vel extraordinario motu re-

rum corporalium, vel applicatione extraordinaria causarum naturalium ad plura patranda prodigia sese extendit; quædam tamen ipse solummodo illudendo sensibus nostris sæpissimæ operatur.

Nomine prodigii intelligimus effectum, cujus naturalem causam inde ignoramus, quia secundum consuetum ordinem illa non agit, utpote mota, vel applicata a virtute superiori secundum quamdam singularem rationem. Hoc semel præmisso.

Prob. prop. Prodigii sane loco haberi debet, virgam verti in colubrum, aquas in sanguinem, infinitam propemodum ranarum multitudinem ab aquis quodam fere momento tempore educi, et circumquaque terram ab illa operiri. Hæc vero non solum Moyses virtute Dei, sed etiam Magos patrasse suis incantationibus, *Exodi* cap. 7. legimus. Ista autem ab illis revera effecta fuisse, cum S. Augustino lib. 2. *quæst. in Exodum*, et S. Thoma 1. p. quæst. 114. art. 4. ad 2. nos putamus. Deinde uti habet S. Augustinus lib. 20. *De Civit. Dei* cap. 19. num. 4. „Non „enim quando de cælo ignis cecidit, et tantam familiam cum „tantis gregibus pecorum Sancti Job uno impetu absumpsit, et „turbo irruens, et domum dejiciens filios ejus occidit, phantasmata fuerunt: quæ tamen fuerunt opera Satanæ, cui Deus „dederat hanc potestatem." Quare, sicut tradit Angelicus 1. p. quæst 114. art. 2. consentanee ad ea, quæ habet S. Augustinus tum in cit. lib. 2. *Quæst.*, tum lib. 3. *De Trinit.* num. 13. „Dicendum est, quod omnes transmutationes corporalium „rerum, quæ possunt fieri per aliquas virtutes naturales, ad „quas pertinent prædicta semina, possunt fieri per operationem „dæmonum, hujusmodi seminibus adhibitis, sicut quum aliquæ „res transmutantur in serpentes, vel ranas." Hinc S. Augustinus lib. 3. *De Trinit.* num. 17. „Quid ergo mirum, si quemadmodum potest nosse quilibet nequissimus homo, unde illi, „vel illi vermes, muscæque nascantur; ita mali Angeli pro subtilitate sensus in occultioribus elementorum seminibus norunt, „unde ranæ, serpentesque nascantur, et hæc per certas, et „notas temperationum opportunitates occultis motibus adhibendo faciunt creari, non creant."

Neque est, cur quispiam miretur, hæc ab Angelis malis tam citissime præstari. Subdit enim S. Augustinus: „Quod si quispiam celeritates incrementorum forte miretur, quod illa animantia tam cito facta sunt; attendat quemadmodum et ista pro „modulo facultatis humanæ ab hominibus procurentur... sed hæc „ab hominibus tanto difficilius adhibentur, quanto desunt sensuum subtilitates, et corporum mobilitates in membris terrenis, et pigris. Unde qualibuscumque Angelis vicinas causas ab „elementis contrahere, quanto facilius est, tanto mirabiliores „in hujusmodi operibus existunt celeritates." Dubitari ergo non potest, quin virtus naturalis dæmonis vel extraordinario motu

rerum corporalium, vel applicatione extraordinaria causarum naturalium ad plura prodigia patranda sese extendat.

Ludificant vero dæmones sensibus nostris, quando facere videntur hujusmodi rerum naturalium transmutationes, quæ virtute naturæ fieri non possunt. Quare sicut inquit S. Thomas 1. p. quæst. 114. art. 4. „ Si aliquando aliquid tale operatione dæmonum fieri videatur, hoc non est secundum rei veritatem, sed „ secundum apparentiam tantum; quod quidem potest dupliciter contingere: uno modo ab interiori, secundum quod dæmon potest mutare phantasiam hominis, et etiam sensus corporeos, ut aliquid videatur aliter, quam sit... et hoc etiam „ interdum fieri dicitur virtute aliquarum rerum corporalium. „ Alio modo ab exteriori, quum enim ipse possit formare corpus ex aere cujuscumque formæ, et figuræ, ut illud assumens „ in eo visibiliter appareat, potest eadem ratione circumponere „ cuicumque rei corporeæ quamcumque formam corpoream, ut in „ ejus specie videatur." Hæc eadem Angelicus explicat magis fuse quæst. 16. *De Malo* art. 11. Illudendo ergo nostris sensibus quædam prodigia dæmones aliquando operantur, atque id tunc potissimum contigit, quando facere videntur quasdam transmutationes, quæ virtute naturæ nullo modo fieri possunt.

Si quando autem Sancti viri eadem, ac Magi, fecerunt, diversa virtute, ac fine tum illi, tum isti fecerunt, sicut advertit S. Augustinus lib. 10. *De Civit. Dei* cap. 8. inquiens: „ Illa vero quæ, et quanta sunt, quæ jam per Moysem pro populo „ Dei de jugo servitutis eruendo in Ægypto mirabiliter gesta „ sunt? Ubi Magi Pharaonis, hoc est, Regis Ægypti, qui populum illum dominatione deprimebat, ad hoc facere quædam „ mira permissi sunt, ut mirabilius vincerentur. Illi enim faciebant beneficiis, et incantationibus magicis, quibus sunt Angeli mali, hoc est, dæmones dediti: Moyses autem tanto potentius, quanto justius in nomine Domini."

CAPUT SECUNDUM.

De potestate Dæmonum super homines.

Passione Christi liberati quidem sumus a diaboli potestate, quatenus ab ea est in nobis tum remissio peccatorum, tum reconciliatio cum Deo, et in dæmone diminutio illius dominii, quod exercebat super homines. Tamen, sicut advertit Angelicus 3. p. quæst. 49. art. 2., „diabolus etiam nunc potest quidem, Deo „ permittente, homines tentare quantum ad animam, et vexare „ quantum ad corpus." Modo ergo et de tentatione animæ, et de vexatione corporis, prout utraque a diabolo procedit, in duobus distinctis §§. agemus.

§. I.

De ea tentatione, qua diabolus inducere nos conatur ad peccandum.

Etiam ab hominibus ad peccandum quandoque inducimur; verum ad ipsi faciunt, quatenus diaboli partes agunt. Tentationem, quæ est a diabolo, pluribus nunc propositionibus explicabimus.

Prop. I. Probabile esse non putamus, unum singulariter dæmonem operari in perditionem uniuscujusque singulariter hominis; sicuti unus singulariter Angelus singulariter in uniuscujusque salutem operatur.

Prob. prop. Nihil ex sacris litteris etiam longe petitum contra hanc propositionem nostram colligi potest. Legimus quidem in eis *Ephes.* 6. 12. nobis colluctationem esse *adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum*: novimus ex Apostolo Petro epist. I. cap. 5. 8. diabolum, tamquam leonem, circuire, et quærere, quem devoret: perspectum quoque habemus ex cap. 11. *Lucæ* 18. satanam habere suum regnum: verum ex hisce omnibus unum singulariter dæmonem operari in perditionem cujuslibet singulariter hominis nullo modo colligi potest. Quin immo contrarium colligitur ex Apostolo II. *Corint.* 12 7. in quo affirmat, Angelum Satanæ, qui se colaphizeret, sibi a Domino datum fuisse, ne magnitudine revelationum extolleretur. Non erat autem, cur iste Angelus illi daretur, semel ac alter singulariter contra eumdem agere conaretur.

Nonnulli quidem Patres, uti Origenes, et S. Gregorius Nazianzenus, libri Hermæ, seu *Pastoris* auctoritate ducti, dixerunt Angelum tam bonum, quam malum penes unumquemque esse. Verum testimonium Pastoris esse *nullius auctoritatis* in lib. *Cont. Collatorem* cap. 13. num. 6., alias cap. 30. S. Prosper affirmavit. Aliunde autem novimus, primis Ecclesiæ seculis eum librum habitum a quibusdam uti canonicum. At quæcumque tandem sit auctoritas illius (a), quum ab aliis Patribus nullo modo traditum habeamus, sicut unum Angelum bonum, ita etiam unum malum penes unumquemque hominem singulariter esse, quamvis ii de tentatione, qua dæmones conantur nos seducere, et sæpe, et copiose egerint, argumento, ut dicunt, negativo, sed eo quidem tali, quod ad persuadendum suam efficaciam habet, colligitur ex eis, quod nos modo volumus.

Prop. II. Dæmones tentant homines, ut eos ad peccatum inducant.

Prob. prop. Apostolus *Ephes.* 6. 11. (inquit): *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Ver. 16. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia*

(a) Vid. Natalis ab Alex. Hist. Eccl. sec. 1. cap. 12. art. 9.

tela nequissimi ignea extinguere. His conformia sunt illa Petri I. epist. cap. ult. 8. *Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret.* Hæc tam perspicua sunt, ut iis nihil aliud addi necesse sit.

Illud sane cum Angelico 1. p. quæst. 114. art. 1. observandum est, in tentatione duo considerari posse, videlicet et ipsam tentationem, et ordinem tentationis: illa procedit ex malitia dæmonis nitentis propter invidiam impedire bonum hominis: iste autem est a Deo, *qui ordinate novit malis uti ad bona ea ordinando.* Quare sicut prosequitur idem Angelicus cit. loco ad 2., est attendendum, „quod mali Angeli impugnant homines „dupliciter: uno modo instigando ad peccatum; et sic non mit„tuntur a Deo ad impugnandum, sed aliquando permittuntur „secundum Dei judicia. Aliquando autem impugnant homines „puniendo; et sic mittuntur a Deo, sicut missus est spiritus „mendax ad puniendum Achab Regem Israel, ut dicitur III. „*Reg.* ultimo 22." Tamen dæmones sua tentatione, quæcumque tandem illa sit, nihil aliud possunt, *nisi quantum, et quando permittuntur alta, et secreta Dei providentia*, sicut inquit S. Augustinus *De Civit. Dei* cap. 24. num. 3. *Multos autem, exigentibus meritis, ferire permittitur, ut, quum Deum deserunt, damnato hosti famulentur*, ait S. Gregorius. M. lib. 32. *Moral.* num. 50., qui illud superaddit lib. 1. num. 7. loquens de tentatione Job: *Fieri Dominus benigne permisit, quod diabolus inique postulavit... tentando enim egit, ut ejus merita augeret.*

Prop. III. Diabolus non potest inducere in nobis necessitatem ad peccandum.

Prob. prop. 1. Petri ult. 8. ita omnes monemur: *Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide.* Frustra autem ita moneremur, si diabolus in nobis peccandi necessitatem posset inducere. Hinc S. Augustinus lib. 1. *De Lib. Arb.* num. 21. *Nulla res alia* (inquit) *mentem cupiditatis comitem facit, quam propria voluntas, et liberum arbitrium.* Quum ergo solus Deus habeat in sua manu voluntates hominum, easque, quocumque voluerit, inclinet; aliunde autem fieri nullo modo possit, ut inclinet ad malum, inde consequitur, unumquemque electione propriæ voluntatis induci ad peccandum.

Sicuti vero advertit S. Thomas 1. 2. quæst. 80. art. 3. „diabolus propria virtute, nisi refrænetur a Deo, potest aliquem indu„cere ex necessitate ad faciendum aliquem actum, qui de suo ge„nere peccatum est. Quod patet ex hoc, quod homo motivo ad „peccandum non resistit nisi per rationem, cujus usum totaliter „impedire potest, movendo imaginationem, et appetitum sen-

„ sitivum, sicut in arreptitiis patet. Sed tunc ratione sic ligata, „ quidquid homo agat: non imputatur ei ad peccatum. Sed si „ ratio non sit totaliter ligata, ex ea parte, qua est libera, „ potest resistere peccato... Unde manifestum est, quod dia- „ bolus nullo modo potest necessitatem inducere homini ad „ peccandum."

Prop. IV. Interius instigante dæmone, homines ad peccatum quandoque inducuntur.

Prob. et simul explicatur prop. In homine est vis intellectiva, atque sensitiva: intellectiva complectitur intellectum, et voluntatem. Supra voluntatem autem nihil potest diabolus, sicuti jam ostendimus. Intellectus autem per se quidem movetur ab eo principio, a quo sibi lumen affulget ad cognitionem veritatis. Diabolus, qui veritati semper adversatur, in intellectum nostrum contendit immittere non lumen, sed tenebras. Hanc vero obtenebrationem mediante phantasia, et appetitu sensitivo inducit. Mediante quidem phantasia: quia sicut ait Angelicus *De Malo* quæst. 16. art. 12. „ Angeli boni, vel mali possunt quodam- „ modo disponere, et ordinare species imaginarias, secundum „ quod competit ad aliquid intelligibile aprehendendum. Quod „ quidem Angeli boni ordinant ad hominis bonum, dæmones „ autem ad hominis malum:" Disponi autem a dæmone posse species imaginarias, prout requiritur ad aliquid intelligibile aprehendendum, inde constat, et quia etiam naturaliter ex motione locali spirituum, et humorum hujusmodi species imaginariæ excitantur, sicut in somno contingit, et quia dæmon, sicuti hujus lib. cap. 1. ostendimus, potest esse causa illorum omnium, quæ provenire possunt ex motu locali inferiorum corporum.

Mediante etiam appetitu sensitivo diabolus inducit obtenebrationem. Nam, sicuti advertit S. Thomas 1. 2. quæst 80. art. 2. „ etiam appetitus sensitivus concitatur ad aliquas passiones „ secundum quemdam determinatum motum cordis, et spirituum. „ Unde ad hoc etiam diabolus potest cooperari... Contingit etiam „ ex hoc, quod passio est concitata, ut id, quod proponitur „ imaginationi, judicetur prosequendum: quia ei, qui a pas- „ sione detinetur, videtur esse bonum id, ad quod per pas- „ sionem inclinatur. Et per hunc modum diabolus interius in- „ ducit ad peccandum."

Prop. V. Non omnia peccata proficiscuntur a tentatione diaboli.

Prob. prop. Jacobus in sua epist. cap. 1. 14. et seq. ait: *Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus: deinde concupiscentia, quum conceperit, parit peccatum.* Cap. 4. 1. *Unde bella, et lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Ex quibus constat, concupiscentiam in se habere vim, semel ac

illi non resistamus, nos inducendi ad peccatum, licet aliunde non incitemur.

Et re quidem vera si Angeli creati in gratia, nemine illos instigante, peccaverunt; mirandum sane non est, si homo conceptus in peccato, suamque semper secum corruptionem ferens, ab ea ad peccatum incitetur. Hinc *Genes.* 8. 21. legimus: „Sensus enim, et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab „adolescentia sua." Non omnia ergo peccata a tentatione diaboli proficiscuntur.

Adverti tamen debet cum Angelico 1. part. quæst. 114. art. 3., causam et indirecte, et directe spectari posse: indirecte ea spectatur, quando ad aliquem effectum dispositionem producit: directe autem, quando ipsum effectum directe operatur. Secundum priorem rationem diabolus est causa omnium peccatorum, qui instigavit primum hominem ad peccandum, et ex peccato illius quædam pronitas ad peccatum in toto humano genere profluit. Et hoc causæ genus respiciunt Patres, quando in diabolum refundunt causam omnium peccatorum. Secundum vero alteram rationem diabolus non est causa omnium peccatorum.

§. II.

De potestate diaboli supra corpora hominum.

Ea nunc de potestate loquimur, qua dæmones, permittente Deo, in aliquorum corpora dominantur, iique propterea energumeni, seu dæmoniaci dicuntur, qui sane non sciant, quid loquantur, quando dæmon loquitur in eis, sicut advertit S. Augustinus *De Genes. ad litt.* lib. 11. num. 35. Fuisse aliquando dæmoniacos, aut nunc esse, quidam negarunt, et inter alios Richardus Mead Anglus in *Medica Sacra*, sive: *De Morbis insignioribus, quæ in Bibliis memorantur.* Affirmat ergo cap. 7. dæmoniacos in Evangelio memoratos *morbo revera naturali, et illo quidem difficili laborasse*, atque in dæmoniacis nihil occurrere, *quod ex male affecta sanitate oriri non possit.* Eumdem errorem tuetur etiam alius Anglus (a), qui singillatim ad duo principia naturalia, scilicet amentiam, apoplesiam refert infirmitatem illorum, qui vexati a dæmone in Evangelio leguntur. Divinam Revelationem isti quum recipiant, ea nos nunc eosdem refutabimus.

Illud autem advertimus, ut omnis ambiguitati locus tollatur, etiam defectu naturæ contingere in hominibus potuisse ea mala, quæ potestate dæmonum in illos inducta in historia Evan-

(a) Vid. Opusculo inscripto: *Traité sur les demoniaques.*

gelica legimus. Quia vero non desunt, qui existentiam dæmonum negant, hanc propositionem primo loco ostendendam aggredimur.

Prop. I. Dæmones esse entia, quæ revera existunt, ex novo Testamento evidentissime compertum habemus.

Prob. prop. *Matt.* 25. 41. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus. Lucæ* 10. 18. *Et ait illis: videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Hæc autem dixit Christus, quando reversi septuaginta duo cum gaudio dixerunt (a): *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Actor.* 10. 38. Christus dicitur sanasse omnes *oppressos a diabolo.* Apostolus II. *Corint.* 11. 14. *Ipse enim Satanas se transfigurat in Angelum lucis.* Et *ad Ephes.* 6. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Alia non est, cur in medium afferamus: ex istis enim nemo non videre debet, dæmones esse entia, quæ revera existunt.

Quare inane est effugium illud, ad quod etiam duo supradicti auctores confugiunt, videlicet Judæos si quid mirum in natura contingeret ad Angelorum Supremi Dei ministrorum operam referre consuevisse, indeque facile in animum induxisse suum, ut quædam ægritudines, quarum ipsi causas ignorarent, ab Angelis malis originem haberent. Unde quod dicitur *Matt.* 12. 22. de homine dæmonium habente oblato ipsi Christo, et *Lucæ* 13. 16. de filia Abraham, quam dæmon alligaverat, *more loquendi tunc communi* dictum fuisse volunt. Ob prædictam opinionem semel imbutam tradunt, Judæos affirmasse de Christo *Matt.* 12. 24. *Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.*

Inane, inquam, effugium est istud, quod paucis ostendimus. Christus, sicuti *Matt.* 12. legitur, quum ejecisset dæmonium ab homine cæco, et muto, atque iste statim vidisset, fuissetque loquutus, Pharisæi id audientes per summam calumniam dixerunt: *Hic non ejicit dæmonia nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Ad hæc vero Christus ut veritatem a se patrati miraculi confirmaret, anne reposuit, falso putare eos quasdam ægritudines, quarum causas ignorarent, ab Angelis malis suam originem habere? Profecto detegendo hunc errorem illorum non solum agnovissent veritatem miraculi, sed etiam fieri non potuisse, ut infirmitas, quæ malignitate inferiorum spirituum inducta fuerat, potestate superioris spiritus tolleretur. In sua ergo Christus responsione supponit, malignitate dæmonis eum, quem sanaverat, videndi, loquendique facultate privatum, et suos calumniatores ita evidentissime redarguit: v. 20. et seq. „Si Satanas

(a) Ibid. v. 17.

„ Satanam ejicit, adversus se divisus est: quomodo vero stabit „ regnum ejus?.... quomodo potest quisquam intrare in domum „ fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem." Fortasse ne dicetur, quod Christus hisce verbis in errorem communem Judæorum consenserit? Item quando septuaginta duo discipuli redeuntes ipsi Christo cum gaudio retulerunt, in nomine illius etiam dæmonia sibi subjecta fuisse, Christus illos reprehendit, non quia hinc commentitiam subjectionem sibi fingerent, sed quia de ea, in se quidem vera, atque reali gloriarentur, sicuti *Lucæ* 10. 18. legitur. Verum de commentitia inventione hujusmodi effugii satis.

Prop. II. Falso confingitur, ad naturalem causam referri oportere infirmitates illorum, quos a dæmone liberatos fuisse, in Evangelica historia legimus.

Prob. prop. Semel ac constet, depulso dæmone ab obsessis corporibus, statim illa sanata fuisse ab ea infirmitate, qua detinebantur, infirmitas refundi debet in dæmonem corpora obsidentem. Res ista est per se perspicua. Nam licet causa etiam naturali cæcitas v. g. depelli possit, tamen sine applicatione illius non depellitur. Sed dæmoniaci, qui a variis infirmitatibus liberati leguntur in historia Evangelica, pulso ab eis dæmone, et nulla interveniente applicatione causæ naturalis, liberati fuerunt: igitur falso confingitur, ad causam naturalem referri oportere curationem infirmitatis illorum, quos a dæmone liberatos fuisse in historia Evangelica legimus. Prob. min. Christum *verbo* ejecisse dæmones ab hominibus, eosque *curasse Matt.* 8. 16. dicitur. Cap. 9. 32. et seq. legimus, quod quum Christo oblatus fuisset homo mutus dæmonium habens: *ejecto dæmonio, loquutus est mutus.* Cap. 15. quum mulieri roganti, ut filiam suam male a dæmonio vexatam sanaret, Christus dixisset: (v. 28.) *fiat tibi sicut vis: Et sanata est mulier ex illa hora.* Cap. 17. 17., Christo præcipiente, *exiit dæmonium* ab illo puero, quem eidem Christo oblulerat pater illius, *et curatus est puer ex illa hora. Marci* cap. 1. 26. legitur, præcepisse Christum spiritui immundo, ut exiret ab homine, quem obsidebat, *et discerpens eum Spiritus immundus et exclamans voce magna exiit ab eo.* Ex cap. 5. hoc idem contigisse novimus in altero, qui a Spiritu immundo similiter detinebatur, atque ab eo sævissime torquebatur: nam dicente Jesu (v. 8.) *exi Spiritus immunde ab homine*, exiit ipse sane, (v. 13.) et qui, hoc audito, ad Jesum venerant, viderunt (v. 15.) *illum, qui a dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, et sanæ mentis.*

Ne autem ex hoc facto de ejectione dæmonis ab hoc homine, semper magis inde constaret, quia, Christo permittente, dæmones (vocabatur enim legio ille dæmon, quia multi erant) irruerunt in sues, qui circa illa loca pascebantur, ipsique tunc

sese in mare præcipites dederunt; non defuere, qui confinxerint, vel ut melius dicam, confingere non erubuerint, phrænesim hominis in sues eo modo transiisse, quo lepra Naamani communicata fuit Giezi, sicut legitur IV. *Reg.* cap. 5. 27. (a). Verum semel ac omnino manifesta veritas, qualis est hæc nostra, oppugnatur, oportet, ut talia confingantur. Constat ergo ex his omnibus, quæ in medium usque modo protulimus, dæmoniacos, qui a variis infirmitatibus liberati leguntur in Evangelica historia, pulso ab eis dæmone Christi virtute, nulla interveniente causa naturali, fuisse liberatos.

Dices et quidem 1. Postquam Jesus cœpit, facere miracula, inter alios infirmos etiam dæmoniaci oblati illi fuerunt, ut eosdem curaret, *Matt.* 4. 24. legitur: sicut ergo alii, ita et dæmoniaci quadam naturali infirmitate detinebantur: 2. Insanire, et dæmonium habere, secundum existimationem Judæorum esse unum, atque idem; inde constat, quia quidam illorum, quum audivissent Christum, dixerunt *Joan.* 10. 20. *dæmonium habet, et insanit*: 3. Ex eo quod Joannes non manducaret, neque biberet, dæmonium in eo esse turbæ dixerunt *Matt.* 11. 18. Stulte enim agere Joannem, quia ipse non manducaret, neque biberet, iisdem videbatur: 4. Tandem (quod sane præter ista superiora uterque citatus auctor urget) I. *Reg.* cap. 16. 23. hæc leguntur: „ Quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, „ David tollebat citharam, et percutiebat manu sua, et refo„ cillabatur Saul, et levius habebat: recedebat enim ab eo Spi„ ritus malus." Ex his vero constat, eam infirmitatem, quæ a spiritu malo inducta dicitur, virtute causæ naturalis fuisse depulsam, proptereaque etiam inductam a naturali causa.

R. ad 1. In cit. loco distincte recenseri inter eos, qui Christo oblati fuerunt, ut eosdem curaret, etiam dæmoniacos, quia ipsi quoque ob malignitatem spiritus insidentis infirmitate laborabant. A Christo autem curatos dæmoniacos ejectione dæmonis, et ad hanc consequutam fuisse sanitatem illorum, satis, superque est ostensum a nobis.

R. ad 2. et 3. Etiam infirmitatem insaniæ, et quidem vehementioris, cum qua furor quoque conjungeretur, a dæmone fuisse, ex *Lucæ* cap. 5. novimus. Unde mirandum non est, si Judæi cum summa impietate simul de utroque Christum calumniati fuerunt, videlicet et quod dæmonium haberet, et quod insaniret. Etiam in Joanne esse dæmonium Judæi inde dixerunt, quia quoad cibum, et potum summam abstinentiam ipse servabat, falso putantes Joannem ductum Spiritu dæmonis in suum corpus tantopere sævire. Verum ex hoc utroque colligitur, quod nos volumus, hoc est, Judæis

(a) Ita Auctor Opusc. inscripti: *Traites sur les demoniaques.*

persuasum fuisse, a dæmonibus obsideri corpora hominum, a quibus tunc nonnulla fierent, quæ inusitata essent.

R. ad ult. Infirmitatem Saulis a dæmone in illo insidente productam sono citharæ aut omnino depulsam, aut diminutam hoc modo fuisse. Sonus, atque cantus inde animum demulcent, quia humores leniter afficiunt, inordinatum æstum in iisdem compescunt, vaporesque refrænant, qui protruduntur usque ad cerebrum, atque tædium, et dolorem in corde producunt. Concentus ergo instrumentorum licet per se nihil possit supra dæmones, tamen corrigit illam humorum perturbationem, qua dæmon abutitur ad eam in homine affectionem excitandam, quæ suam ab humore melancholico originem habet, atque diversimode facit, hominem male se habere. Hac ratione dum David citharam sua manu percuteret *refocillabatur Saul, et levius habebat* (a).

Quærit Auctor cit. Opusculi, cur tam multi sub potestate dæmonis essent eo tempore, quo Christus vixit hic in terris: 2. cur post mortem Christi tam raro mentio fiat infirmitatum, quæ sint ab insidente dæmone: 3. qua de causa Christus, dum viveret in hoc mundo, permiserit dæmonibus tantam male faciendi potestatem.

Verum hæc quæsita, semel posita facti veritate, quæ sicut ostendimus, a nemine negari potest, non minus inutiliter, quam præsumptuose fiunt. Ad 1. tamen respondemus cum Joanne I. epist. cap. 3. 8. „ in hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera „ diaboli." Dissolutionem autem operum diaboli in ejectione illius a corpore hominum Christus aperte, atque visibiliter manifestavit omnibus. Ad 2. respondemus, nos in initio hujus cap. jam animadvertisse, passione Christi potestatem diaboli licet non omnino sublatam, tamen esse valde diminutam: quare etiamsi demus, in plures tunc homines, quam modo, dæmonem sæviisse, mirandum non esset. Verum id quoque debet adverti, Christum non uno tantum in loco, sed hac et illac peragrando ejecisse dæmones ab obsessis corporibus: unde multitudo dæmoniacorum non fuit adeo magna, si, prout debet, diversorum locorum ratio habeatur. Pro responsione 3. quæsiti non est, cur aliqua superaddamus iis, quæ in præced. §. prop. 2. ex Ss. Patribus in hanc rem delibavimus.

(a) Vid. Interpretes in hunc locum.

DISPUTAT. VIII.

DE PRIMO HOMINE.

Inter cetera creata a Deo Angeli primum, homines secundum locum tenent: unde post disputationem Angelorum nunc de primo homine agere instituimus. In gratia habituali hominem creatum fuisse, indiguisseque singulari auxilio Dei ad perseverandum, et vitam æternam consequendam, nunc supponimus, quum utrumque in præcedenti disputatione ostenderimus. Quod nunc volumus in quatuor libris explicabimus: in 1. sermonem habebimus de primo homine, quatenus factus fuit ad imaginem, et similitudinem Dei: in 2. de eodem homine, habita ratione singularium donorum, quæ recepit a Deo: in 3. de conditione prolis generandæ in statu innocentiæ: in 4. ad complementum hujus disputationis de statu naturæ puræ.

LIBER PRIMUS.

De primo homine, quatenus factus fuit ad imaginem, et similitudinem Dei, et spiraculum vitæ in eo inspiratum fuit.

Primum hominem ad imaginem, et similitudinem Dei factum fuisse legimus, et spiratum in eo spiraculum vitæ: de hac imagine, et similitudine in 1. cap., in 2. de spiraculo vitæ agemus.

CAPUT PRIMUM.

De ea imagine, et similitudine, secundum quam primus homo factus fuisse legitur.

Inter imaginem, et similitudinem id discriminis intercedit, ut imago non sit sine similitudine, similitudo autem sine imagine esse possit: multa enim sunt similia aliis, quorum tamen non sunt imagines: similitudo autem ad rationem imaginis necessario requiritur. Non oportere esse æqualitatem inter imaginem, et inter id, cujus imago est, advertit Angelicus 1. p. quæst. 93. art. 1., sicuti constat ex imagine hominis, quæ in speculo exhibetur: si vero hujusmodi æqualitas habeatur, tunc imago erit perfecta. Quare licet in homine sit imago, et similitudo Dei, tamen ea non est perfecta, indeque in Genesi legimus, hominem factum ad imaginem, et similitudinem Dei: „Præpositio enim ad (in-

„ quit Angelicus cit. loco) accessum quemdam significat, qui „ competit rei distanti." Unde inquit in eodem art. ad 2. „ quia similitudo perfecta Dei non potest esse nisi in identitate na- „ turæ, imago Dei est in Filio suo primogenito... in homine au- „ tem sicut in aliena natura." Hinc Filius Dei dicitur simpliciter imago Dei: homo autem et propter similitudinem vocatur ima- go, et propter imperfectionem similitudinis ad imaginem fac- tus dicitur.

In quo hæc imago Dei constituenda sit, singillatim deter- minari non posse videtur, si ad diversas, multiplices hac de re opiniones Patrum attendatur. Petavius eas distincte recensuit *De Opific. sex dierum* lib. 2. et 3. nos modo easdem brevitatis gratia non commemoramus. Rejecta itaque hæresi illorum, qui, si- cut ex Augustino novimus lib. *De Hæresibus* cap. 76., effutiebant, corpus hominis, non animam esse imaginem Dei, cum quibus idem sen- serunt etiam Anthropomorphitæ, qui Deum et esse corporeum, et humana figura præditum, sibi confinxerunt. In anima nos dicimus esse reponendam imaginem Dei, quæ est in homine. Quum ergo Patres pro sua quisque opinione eamdem imaginem posuerint vel in ratione hominis, vel in voluntate, et libero arbitrio, vel in virtutibus animi, vel in dominio, quod homo supra sibi inferio- ra habet, hac nostra sententia tam multiplicem diversitatem sen- tentiarum quodammodo complectimur, quum omnia modo re- censita ab ipsa anima sint in homine.

Prop. Homo secundum animam dicitur factus ad imaginem, at- que similitudinem Dei.

Prob. prop. *Genesis* 1. 26. hominem creatum legimus ad imagi- nem, et similitudinem Dei, ut præesset *piscibus maris, et volatilibus cæli, et bestiis, universæque terræ*: profecto virtute animæ id po- testatis exercendum fuit ab homine: secundum animam ergo di- citur homo factus ad imaginem, et similitudinem Dei. „Hinc „ etiam illud (inquit Augustinus lib. 3. *De Genes. ad litt.* num. „ 30.) non est prætereundum, quia quum dixisset: *ad imaginem* „ *nostram*, statim subjunxit: *et habeat potestatem piscium maris,* „ *et volatilium cæli*, et ceterorum animantium rationis exper- „ tium: ut videlicet intelligamus in eo factum hominem ad ima- „ ginem, et similitudinem Dei, in quo irrationabilibus anima- „ tibus antecellit."

Illud nunc advertimus cum Angelico 1. part. quæst. 93. art. 4. ad 1., tam in viro, quam in muliere esse imaginem Dei „ quantum ad id, in quo principaliter ratio imaginis consistit, „ scilicet quantum ad intellectualem naturam. Unde *Genesis* 1. „ 27. quum dixisset: *ad imaginem Dei creavit illum*, scilicet ho- „ minem, subdit. *masculum, et fœminam creavit eos.* Et dixit „ pluraliter *eos*, ut Augustinus dicit lib. 3. *De Genesi ad litt.* „ num. 34., *ne in homine singulari uterque sexus exprimeretur.*

„ Sed quantum ad aliquid secundarium imago Dei invenitur in „ viro, secundum quod non invenitur in muliere. Nam vir est „ principium mulieris, et finis, sicut Deus est principium, et finis „ totius creaturæ. Unde quum Apostolus dixisset I. *Corint.* 11. 7. „ quod *vir quidem.... imago, et gloria Dei est, mulier autem glo-* „ *ria viri est*, ostendit, quare hoc dixerit, subdens v. 8. et „ 9. *Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro. Etenim* „ *non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter vi-* „ *rum.*"

Dices. Plures Patres tradiderunt, propter peccatum in hominem deleri imaginem Dei: sed ea non deleretur, semel ac expressa foret in anima: ergo.

R. cum Angelico in cit. art. 4., imaginem Dei in homine considerari posse tripliciter: 1. „ Secundum quod homo habet „ aptitudinem naturalem ad intelligendum, et amandum Deum, „ et hæc aptitudo consistit in natura mentis, quæ est com- „ munis omnibus hominibus:" 2. Quatenus „ homo actu, vel „ habitu Deum cognoscit, et amat, sed tamen imperfecte: „ et hæc est imago per conformitatem gratiæ:" 3. Quatenus „ homo Deum actu cognoscit, et amat perfecte: et sic at- „ tenditur imago secundum similitudinem gloriæ.... Prima ergo „ imago invenitur in omnibus hominibus: secunda in justis „ tantum: tertia vero solum in Beatis." Quando ergo Patres asserunt, propter peccatum in homine deleri imaginem Dei, ea de imagine loquuntur, quæ habetur per conformitatem gratiæ.

CAPUT SECUNDUM.

De spiraculo vitæ, quod Deum in Adamum inspirasse, legimus.

Illis verbis *Genesis* 2. 7. *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, significari Spiritum Sanctum infusum primo homini fuisse, nonnulli Patres putarunt: attamen sententia Augustini affirmantis lib. 13. *De Civit. Dei* cap. 24. nomine spiraculi vitæ intelligi debere animam, quam plerique tuentur, est sane præferenda. Animam spiritualem, et immortalem esse, nunc supponimus demonstratum rationibus metaphysicis: Itaque: 1. ostendemus, animam Adami a Deo factam fuisse per creationem: 2. eam, sicut etiam animam omnium hominum, dici non posse partem substantiæ divinæ, contra ac Gnostici, Manichæi, atque etiam Priscillianistæ somniarunt (a): 3. animas creatas non fuisse ante corpora, et in ea postea propter peccatum causa

(a) Vid. S. Aug. in lib. De Hæres. cap. 6., S. Thomas 1. part. quæst. 90. art. 1., item S. August. cit. lib. cap. 70.

supplicii immissas, sicuti effutiunt Origenistæ (a). 4. tandem animam rationalem non esse ex traduce, sed a Deo per creationem infundi corporibus.

Prop. Anima Adami creata fuit a Deo.

Prob prop. *Genesis* cap. 1. quando describitur et generatio reptilium, in quibus erat anima vivens, et productio animæ viventis juxta genus suum, videlicet jumentorum, reptilium, bestiarum etc. hæc legimus v. 20. *Producant aquæ reptile animæ viventis*, et v. 24. *producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, reptilia, et bestias etc.* At quando venitur ad productionem hominis, ea ita describitur cap. 2. 7. *Formavit igitur Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.* Homo igitur factus fuit in animam viventem propter spiraculum, quod ipse Dominus inspiravit in faciem illius. Non minus autem tunc Adam vixit propter animam, quam nunc vivant omnes homines: igitur anima Adami creata fuit a Deo. Unde S. Joan. Chrysost. Homil. 12. in *Genes.* num. 12. affirmat in spiraculo reponendam *constitutionem animæ humanæ.* Quare in productione Adami duo distingui debent, videlicet, et productio illius quoad corpus, et spiraculum vitæ, quo ipse evasit anima vivens: illa ex limo terræ a Deo facta dicitur, istud a Deo inspiratum, nullo supposito subjecto, ex quo inspiraretur: sed quod hac ratione producitur, per creationem producitur: ergo spiraculum vitæ, quo Adam factus fuit in animam viventem, fuit a Deo per creationem.

Neque obstat legi in cit. loco Genesis, hominem formatum a Deo fuisse de limo terræ; per sinecdochem enim pars sumitur pro toto, hoc est, pars illa, quæ est corpus organizatum de limo terræ pro toto homine juxta illud *Genesis* 46. 26. *Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum.* Et *Lucæ* 16. dives in inferno sepultus dicitur, et Lazarus delatus in Abrahæ sinum, licet de sola anima divitis, et Lazari sermo sit.

Prop. II. Anima non est portio substantiæ divinæ.

Prob. prop. In Divinam substantiam nullo modo cadere ea possunt, quæ in sacris litteris tribuuntur animæ: nam animam et esse tristem, et conturbari *Psal.* 41. 6. et seq. legimus: *Ezechiel.* 18. 4. mori animam, quæ peccaverit; et, ut alia multa omittamus, *Psal.* 40. 5. eam sanari a peccato. Hæc in substantiam Dei cadere posse, non sine maxima impietate diceretur. Hinc S. Augustinus lib. 7. *De Genesi ad litt.* num 3. „ Nos enim credimus Dei naturam, atque substantiam.... omni„ no esse incommutabilem. Porro autem animæ naturam vel in

(a) Vid. Natal. ab Alex. Hist. Eccl. seccul. 3. cap. 3. art. 12. §. 2.

„ deterius, vel in melius commutari posse, quis ambigit? Ac „ per hoc sacrilega opinio est, eam, et Deum credere unius es- „ se substantiæ." Hoc argumenti genus urget etiam Angelicus 1. p. quæst. 90. art. 1. In Concilio autem Toletano I. can. 11. ita hac de re sancitum legimus: *Si quis dixerit, vel crediderit, animam humanam Dei portionem, vel Dei esse substantiam, anathema sit* (a). Et in Bracarensi can. 5. *Si quis animas humanas, vel Angelos ex Dei credit substantia extitisse, sicut Manichæus, et Priscillianus dixerunt, anathema sit* (b).

Dices. Deus inspiravit in faciem Adami spiraculum vitæ: sed qui spirat, aliquid sui emittit: ergo anima est aliquid substantiæ Dei.

R. dist., inspiravit Deus modo corporeo per aliquam divisionem sui, neg., inspiravit creans animam, conc. *Inspirare* (ait S. Thomas 1. p. quæst. 90. art. 1. ad 1.) *non est accipiendum corporaliter: sed idem est Deum spirare, ac spiritum facere. Quamvis et homo corporaliter spirans non emittat aliquid de sua substantia, sed de natura extranea* S. Augustinus Vincentio Victori hanc difficultatem objicienti ita respondet lib. 3. *De Anima, et ejus Orig.* num. 3. „Nunquidnam ipsum „ halitum naturæ Dei, cujus halitus est ista particula, negas „ ejusdem, cujus Deus est, esse substantiæ? Si negas: ergo de „ nihilo et istum halitum fecit Deus, cujus halitus animam vis „ esse particulam. Aut si non de nihilo, dic unde illum fecerit „ Deus. Si de se ipso: ergo ipse est, quod absit, materies ope- „ ris sui."

C. Lumen rationale animæ est quædam participatio divini luminis: sed in participatione fit communicatio partis: ergo anima est pars divini luminis, sicut Manichæi dicebant (c).

R. dist. min. in participatione corporea, conc., in participatione, quæ est ab ipsa creatione, neg. Lumen ergo rationis ex divino lumine profluit in nobis, atque etiam sumus genus Dei, sicuti *Actor.* 17. 28. et seq. legitur: verum in receptione animæ, quæ creatur a Deo, ipsius animæ habita ratione, hujusmodi luminis evadimus participes: „Dicimur (inquit Ange- „ licus lib. II. *Sent.* dist. 17. quæst. 1. art. 1.) nos esse ge- „ nus Dei quantum ad animam, non ita quod anima sit de es- „ sentia divina, sed quia participat naturam intellectualem, quæ „ etiam in Deo est, secundum quod etiam dicitur ad imagi- „ nem Dei."

Prop. III. Animæ neque ante corpora extiterunt, neque in

(a) Tom. I. Concil. edit. Hard. col. 993.
(b) Tom. III. Concil. ejusdem edit. col. 348.
(c) Videatur S. T. 1. part. quæst. 90. art. 1.

ea, uti in quemdam carcerem in pœnam admissi sceleris detrusæ fuere.

Prob. prop., atque eam ostendendam aggredimur non contra Platonicos, qui animas esse æternas posuerunt, sed contra Originem, qui animas creatas esse constituit vel simul cum mundo, vel ante ipsum mundum, easque alligari corporibus ob peccata patrata ab illis in statu priori. Quæ Deus, sicut advertit Angelicus lib. II. *Cont. Gent.* cap. 83., in cunctorum prima institutione disposuit, bene, rectissimeque disposuit: nam ipse videns cuncta, quæ fecerat, erant valde bona: igitur si creavit animas separatas a corpore, dicatur oportet, quam maxime conveniens fuisse, ut animæ existerent sine corpore: est enim contrarium ordini divinæ bonitatis, res productas detrudere in ordinem inferiorem illi, quem in sui prima productione habuerunt: ut anima ergo uniretur corpori, divina dispositione contingere non potuit.

Neque est, cur dicatur, id non repugnare, semel ac animæ peccaverint, antequam corpori unirentur, indeque pro majori, vel minori gravitate peccati in corporibus vel nobilioribus, vel ignobilioribus inclusas fuisse.

Nam, ut nunc contra non urgeamus, quo in statu animæ creatæ fuerint, et quid a Deo receperint, quale fuerit peccatum illarum, quo tempore commissum, utrum simul ab omnibus animabus, an citius ab aliquibus, ab aliis tardius, utrum subito inflicta pœna, an dilata, utrum demum simul unitæ corpori sint adhuc obnoxiæ culpæ peccati prioris, vel non sint, ut hæc, inquam, omittamus, quibus quidquid responderetur, ad libidinem illud esse confictum oporteret: profecto, sicuti S. Thomas cit. loco pergit advertere, pœna adversatur bono naturæ, indeque mala dicitur: si igitur unio animæ cum corpore fit in pœnam, non est bonum naturæ, quod repugnat: nam tunc esse hominem, dici non posset esse bonum secundum naturam, propterea affirmandum foret, Deum vidisse cuncta, quæ fecerat, esse valde bona, excepto tamen homine, quem formaverat ad imaginem, et similitudinem sui.

Immo vero semel ac cum Origene ponatur, animas esse creatas ab initio, easque, quæ in amore Dei perstiterunt, ad ordinem Angelorum fuisse promotas, alias autem, quæ magis, minusve a Deo sese averterunt, alligatas diversis corporibus secundum qualitatem admissi criminis, inde consequeretur, sicuti colligit Angelicus 1. p. quæst. 47. art. 2. mundum productum non ad communicandam divinam bonitatem rebus creatis, sed ad puniendum peccatum. „Quid autem stultius dici potest (inquit, „S. Augustinus citatus etiam ab Angelico, lib. 11. *De Civit. Dei* „cap. 23.), quam per istum solem, ut in uno mundo unus „esset, non decori pulchritudinis, vel etiam saluti rerum cor-

„ poralium consuluisse artificem Deum, sed hoc potius evenis-
„ se, quia una anima sic peccaverat, ut tali corpore mereretur
„ tur includi? Ac per hoc si contigisset, ut non una, sed
„ duæ, immo non duæ, sed decem, vel centum similiter, æqua-
„ literque peccassent, centum soles haberet hic mundus."

Dicens. *Sapient.* 8. 19. et 20. hæc leguntur. *Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam, et quum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*: ergo.

R. ex istis verbis nihil colligi posse in favorem Origenistarum, qui volunt animas ob commissum peccatum in corpus, sicut in carcerem, fuisse detrusas. Iisdem ergo significatur, Salomonem adhuc puerum inclinasse ad bonum, atque ipsum incoinquinatum in illa ætate perstitisse.

At enim S. Augustinus tradit in pluribus locis, animas vixisse ante unionem illarum cum corporibus: verum quæ S. Doctor hac de re in quibusdam locis non ambigua ratione tradidisse videtur, ab eo alibi explicata, atque etiam retractata fuere. Ita lib. 1. *Retract.* cap. 1. num. 3. corrigit, quæ dixerat lib. 1. *Cont. Academicos* cap. 9., et quod affirmaverat lib. 1. *Soliloq.* cap. 20., retractat in eodem lib. cap. 4. num. 4., ibidem quoque cap. 8. num. 2. retractat quod dixerat *De Quant. Animæ* cap. 20. lib. 7. *De Genesi ad litt.* num 35. dicit quidem, *humanæ opinioni* tolerabilius sibi videri, *Deum in illis primis operibus, quæ simul omnia creavit, animam etiam humanam creasse, quam suo tempore membris ex limo formati corporis inspiraret.* Verum sicuti advertit S. Thomas 1. p. quæst. 90. art. 4. alia Origenistarum, alia S. Augustini ratio fuit: nam corpus hominis ipse voluit productum in opere sex dierum *secundum causales rationes*, animam autem creatam simul cum Angelis, eamque sua propria voluntate inclinasse ad regendum corpus. Id tamen S. Augustinus, sicut pergit advertere Angelicus, uti certum non habuit: nam in citato loco, hoc est, lib. 7. *de Genes. ad litt.* num. 35. superaddit: „ Credatur ergo,
„ si nulla Scripturarum auctoritas, seu veritatis ratio contradicit,
„ hominem ita factum sexta die, ut corporis quidem humani
„ ratio causalis in elementis mundi, anima vero jam ipsa creatur... et creata lateret in operibus Dei, donec eam suo
„ tempore sufflando hoc est, inspirando, formato ex limo corpori insereret."

Prop. IV. Animæ non propagantur ex traduce, sed creatæ a Deo corporibus infunduntur.

Nonnulla præmittamus oportet, antequam hanc propositionem ostendamus. Anima ex traduce esse dicitur, semel ac ea per propagationem ita ponatur esse, ut sicut corpus, ita etiam anima sit a generante. Secundum duplicem rationem dici potest, quod sit a generante: 1. ut ea sit ab anima generantis absque

ulla divisione illius, quam profecto non patitur anima ex sui natura, neque pati potest: 2. ut quemadmodum decisione seminis corpus filii generatur a Patre, ita etiam anima. Juxta hanc rationem affirmare animam esse ex traduce, *hæreticum esse*, docet Angelicus 1. p. quæst. 18. art. 2. Augustinus autem in epist. ad Optatum alias 157., nunc 190. num. 14. referens sententiam illorum, qui sequuti Tertullianum volebant animas *corpulentis seminibus excoriri*, ait: *Quo perversius quid dici potest?* De traductione ergo animæ ex semine numquam dubitavit Augustinus, sed tota dubitatio illius in eo versabatur, utrum anima crearetur a Deo, an vero traduceretur a parentibus, vel a primo homine, non tamen secundum eam rationem, qua generantur corpora (a). Dubius quoad utramque semper hæsit, et numquam negavit, aut affirmavit, animas vel creari a Deo, vel produci per propagationem ab anima primi parentis, vel parentis proximi. Hinc in pluribus suis operibus agens de origine animæ (b) explicat loca Scripturarum, quæ adducuntur in medium tam ab iis, qui creationem, quam ab aliis, qui defendunt propagationem animæ, atque ostendit, nihil certi pro se colligere posse defensores utriusque sententiæ. Duo potissimum S. Augustinum retraxerunt a defendenda creatione animarum: 1. quia, hac supposita, inde consequi posse illi videbatur, ut in Deum refunderetur, illud peccatum, cui animæ nascuntur obnoxiæ: 2. quia transfusio peccati originalis non ita commode explicaretur.

Prob. prop. auctoritate Patrum, quorum aliqui Augustino anteriores, quidam coævi, nonnulli posteriores fuerunt. Sanctus Athanasius *Orat. cont. Gent.* num. 35. creationem animarum Deo tribuit. S. Basilius Homil. *quod Deus non sit auctor malorum* num. 6. dicit, animam sortiri vitam a Deo conditore, *quod ad Dei imaginem facta sit.* S. Hilarius lib. 10. *De Trinit.* num. 20. loquens de iis, qui effutiebant, carnem, et animam Adæ accepisse Dominum ex Virgine, post alia ita habet: „Quasi vero si tantum ex Virgine assumpsisset corpus, assumpsisset quoque ex eadem et animam: quum anima omnis opus Dei sit, carnis autem generatio semper ex carne sit." Lactantius *De Opific. Dei* cap. 19. inquit: „Corpus enim ex corporibus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex utroque, de animis autem anima non potest, quia ex re tenui, et incomprehensibili nihil potest decidere. Itaque secundarum animarum ratio soli Deo subjacet." S. Ambrosius lib. *De Noe, et Arca* cap. 4. num. 9. *Quia* (ait) *ex nullo homine generantur animæ.* S. Hieronymus in cap. 12. Ecclesiast. ex illis ver-

(a) Vid. cit. epist. num. 15. et seqq.
(b) Vid. supra cit. epist., et 167. ad Hieron., alias 28., atque lib. 1. *De Anima, et ejus orig.*

bis: *Spiritus revertetur ad Dominum, qui dedit illum*, ita colligit: „Ex quo satis ridendi, qui putant, animas cum corpo„ribus seri, et non a Deo, sed a corporum parentibus gene„rari. Quum enim caro revertatur in terram, et spiritus re„deat ad Deum, qui dedit illum, manifestum est, Deum ani„marum parentem esse, non hominem." Et in lib. *Cont. Joan. Hierosol.* num. 22. pluribus Scripturæ locis in medium prolatis, ita pronuntiat: *Quotidie Deus fabricatur animas, cujus velle fecisse est, et conditor esse non cessat.* S. Leo epist. 15. ad Turibium cap. 10. (a), commemorato errore Priscillianistarum, dicit, quod Ecclesia eosdem abscidit a corpore suæ unitatis, *Constanter prædicans, atque veraciter, quod animæ hominum, priusquam inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporantur, nisi ab opifice Deo.* S. Joan. Damascenus lib. 2. *De Fide Orth.* cap. 12. affirmat, animam a Deo habere, ut sit, et ut hujus naturæ sit. S. Bernardus serm. 2. *in Nativ. Dom.* num. 1. una cum supradictis docuit, animas creari a Deo. His omnibus accenseri possunt ceteri Patres, qui vel Origenistarum, vel Tertulliani, et Apollinaris, vel Priscillianistarum errorem refutarunt: hoc enim dum præstiterunt, illud quoque statuere, animas a Deo creari. Hæc tam manifeste pro nostra sententia faciunt, ut aliquorum explicationes refellere supervacaneum sit.

Plures sane occurrunt rationes Theologicæ, quibus hoc, quod modo volumus, manifeste comprobatur: unam tantum urgebo, quæ respicit traductionem animæ ex animo Adami, vel parentum. Si anima transfunditur ab anima, vel tota transfunditur, vel secundum partem: si priori modo, anima non remanet in transfundente: si altero; anima remanebit diminuta tum in transfundente, tum in recipiente. Utrumque autem æque repugnat: nam parens propter generationem non destituitur anima: aliunde autem est anima distincta, et secundum omnem sui integritatem tam in patre, quam in filio. Si autem dicatur, animam filii traduci ex semine animæ patris, non vero ab ipsa anima, tunc admittitur, quod æque repugnat, ac superius: quandoquidem si semen animæ est spirituale, qua tandem ratione ex fœmore generantium profluere potest? si spiritus est substantia inextensa, quomodo aliquid ab ipso transmitti potest, quod cum ipso sit ejusdem naturæ? Spiritualem materiam dari non posse, ex qua sint animæ, etiam S. Augustinus vidit, firmissimaque ratione ostendit lib. 7. *De Genesi ad litt.* num. 10. Ex his autem omnibus colligo, Scholasticos jure, meritoque semper statuisse, animas creari a Deo.

Dices. Ruffinus in epist. ad S. Anastasium ingenue profitetur, se dubitare de principio originis animarum. Hieronymus senten-

(a) Juxta edit. Cacciarii.

tiam asserentem singulas animas creari, *potius credidit*, tradiditque, *animarum propaginem Occidentalem Ecclesiam solere sentire*, sicut legitur apud S. Augustinum alias epist. 57., nunc epist. 190. num. 20. S. Eucherius Episcopus Lugdunensis in cap. 3. *Genesis* quærit, utrum animæ sint ex propagine, vel ex nihilo fiant a Deo, et dicit esse quæstionem difficilem, *quia nihil a sanctis viris, vel Scripturarum auctoritate manifestius pronunciatum est.* Pomerius Africanus, sicut ex Gennadio novimus *De Viris Illustribus* cap. 98. in 4. lib. de anima disputationem proposuit, utrum illa ex animabus procreetur, an a Deo fiat ex nihilo. Patres Africani in Sardinia exules cum cautione de origine animæ inquirendum esse dicunt in sua epistola missa Byzantium. In eadem dubitatione, in qua Augustinus fuit, etiam fuerunt S. Fulgentius lib. 3. *De Verit. prædest., et grat.* cap. 18., Cassiodorus lib. *De Anima* cap. 24., S. Greg. M. lib. 3. epist. 53. alias 54. S. Prudentius Episcopus Tricassinus lib. 1. *De Prædest.* cap. 16., Hugo a S. Victore lib. 1. *De Sacram.* part. 7. cap. 30. Hæc Norisius in *Vindiciis August.* cap. 4. §. 3. etiam contra Cardin. Bellarminum contendentem lib. 4. *De Amiss. Grat.* cap. 10. *ex Traditione Ecclesiast.* constare de creatione animarum.

R. ecclesiastica traditione de aliquo doctrinæ capite constare non posse ex testimoniis illorum, qui de illo se dubitare perspicue tradiderunt, sed aliorum, qui suam sententiam de eodem protulerunt: hujus generis pro se plures habet Bellarminus, habemus et nos, et plures quidem, non solum ex Ecclesia Orientali, in qua sicut concedit etiam Norisius, *creatio animarum communiter tenebatur*, sed etiam ex Occidentali, contra ac idem Norisius putavit, sicuti constat ex iis, quæ in medium protulimus. Quare ecclesiasticæ traditionis, qua habeatur plures dubios fuisse in aliquo capite doctrinæ, certa ratio haberi non debet, semel ac ea comparetur cum positiva, qua constet, alios plures doctrina, atque sanctitate præcellentes suum certum judicium de eodem doctrinæ capite protulisse, tum quia dubitans affirmanti simpliciter non contradicit, tum quia quid in hac, vel illa re sentiendum in Ecclesia sit, non ex quorumdam suspensione judicii circa hanc, vel illam rem, sed ex aliorum certa sententia colligi debet.

Nunc singula expendamus. Quod ergo spectat ad dubitationem Ruffini, dicimus illam a Hieronymo refutatam fuisse lib. 3. *Cont. Ruffinum* num. 28. Ruffino enim quærenti, unde sint multa, quæ pertinent ad ordinem naturalem, indeque petenti, unde sit anima, ita respondet S. Hieronymus: „Quæris a me, quid ipse de „animabus sentiam, ut quum professus fuero, statim invadas. Et „si dixero illud *Ecclesiasticum*: quotidie Deus operatur animas, „et in corpore eas mitti nascentium, illico magistro tendicu„las profers, et ubi est justitia Dei, ut de adulterio incœstu-

„ que nascentibus animas largiatur." Ruffini ergo dubitationi quidam *Ecclesiasticum*, hoc est, in Eccles a pervulgatum, scilicet animas creari a Deo, Hieronymus opposuit, propterea que nihil faciendam dubitationem illius, collegit. Ex quo semper magis confirmatur, quod diximus de sententia illius.

Verum quidem est, Hieronymum in epist. ad Augustinum (a) dum loquitur de iis, quæ in hanc rem scripserat Augustinus, in medium adducere illud Apostoli *Rom.* 14. 5. *Unusquisque in suo sensu abundet, alius quidem, sic, alius autem sic*; et in epist. ad Marcellinum num. 1. (b) remittere eumdem ad Augustinum, ut ab ipso cognosceret, quid hac de re sentiendum esset; verumtamen id fecit, quia Augustinum impense colebat, atque venerabatur: ceterum quid ipse revera sentiret, in libris contra Ruffinum in eadem epist. 165. se explicasse dicit, atque ipse S. Augustinus affirmat epist. 169. num. 13. alias epist. 102., Hieronymum scripsisse ad Marcellinum, suam sententiam esse: *Singulas animas novas nascentibus fieri.*

Affirmavit quidem S. Hieronymus in cit. epist. 165. num. 1. „ animam esse ex traduce, sentire maximam partem Occidentalium; verum non ea de traductione loquebatur, de quâ modo agimus, sed de illa, et quidem reprobata etiam a S. Augustino, quam tenebant Tertullianus, et Apollinaris: „ An certe „ ex traduce (inquit) ut Tertullianus, et Apollinaris, et maxima „ pars Occidentalium autumant, ut quomodo corpus ex corpo„ re, ita anima nascatur ex anima, et simili cum brutis ani„ mantibus conditione subsistat?"

Citata Comment. in Genesim non esse neque Eucherii junioris Episcopi Lugdunensis, neque alterius senioris, qui convixit cum S. Cæsario Arelatensi, sed cujusdam Eucherii prædictis duobus recentioris, non est, cur nunc ostendamus (c). Quanti sit facienda auctoritas hujus Eucherii non definimus: illi tamen non innotuisse, putasse plures, animas creari a Deo, atque infundi corporibus, jure merito contendimus.

Quid Pomerius Africanus quæstioni sibi propositæ responderit, etiam Norisio fatente, non novimus: cum autem dubitasse de modo productionis animarum, si inde colligatur, quia hujusmodi quæstionem, adhibita dubitatione *utrum*, enodandam proposuerit; erit quoque colligendum, viros Catholicos dubitasse de fidei dogmatibus, quando initio disputationis de illis eadem ratione, ac Pomerius Africanus, quærunt.

Patres Africani in Sardinia exules in epist. Synodica num.

(a) Inter August. in edit. Maur. epist. 172. num. 1.
(b) Inter August. ejusdem edit. epist. 165.
(c) Vid. Natal. ab Alex. Hist. Eccles. sec. 5. cap. 4 art. 20.

24. ita habent (a): „Quæstionem vero animarum aut tacitam „debemus relinquere, aut sine contentione tractare: quia sive „ex propagine veniant, sive novæ singulis corporibus fiant (quod „Scripturarum auctoritas non manifeste pronuntiat) cum caute„la debet inquiri: maxime quod sine fidei detrimento potest „a fidelibus ignorari." Quare quod hujusmodi quæstio vel tacita prætereatur, vel sine contentione habeatur, et de illa caute inquiratur, quam auctoritate Scripturarum nihil certi definitum habeamus, tria sane sunt, quæ volunt Patres Africani: ceterum se dubitare, utrum animæ creentur, an sint ex tradu-ce, nullo modo produnt.

Cl. Norisio igitur damus, in eadem dubitatione, qua fuit S. Augustinus, fuisse etiam S. Fulgentium, Cassiodorum, S. Gregorium M., S. Prudentium Episcopum Tricassinum, Hugonem Victorem, et etiam quosdam alios, si ipse velit: tamen si ab hac dubitatione excludamus omnes Patres, qui animas a Deo esse creatas, tenuere, sicuti jam ostendimus, si item excludamus alios, quos modo commemoravimus, et inter dubios ipse recenset, si attendatur ad vim, quam habet testimonium dubitantium de aliqua re comparatum cum non minus gravi testimonio illorum, qui rem eandem affirmant, semper verum erit, ex ecclesiastica traditione constare de creatione animarum, contra vero traditionem dubitantium et non esse ita extensam, sicuti ipse contendit, eamque haud plurimi fieri debere.

Illud etiam Cl. Norisio dare nullo modo possumus, sentiendum esse, *Augustinianam dubitationem suo judicio Apostolicam sedem approbasse*, quia S. Gregorius M. lib. 9. epist. 52. alias 54. ait, incertum remansisse, utrum anima ab Adam descenderit, an singulis detur. Neque enim dogmatica est illa epistola S. Gregorii, eaque non constituit, hac de re omnes dubios esse debere, sed suam sententiam solummodo prodit S. Doctor a Secundino quæsitus.

S. Leo M. epist. 10. ad Turibium cap. 15., facta commemoratione illorum, qui tuebantur, *animas, quæ humanis corporibus inseruntur, fuisse sine corpore, et in cœlesti habitatione peccasse, atque ob hoc a sublimibus ad inferiora delapsas*, ait quod *omnes eos Catholica fides a corpore suæ unitatis abscidit.* Verum hic non sistit, sed ultra progreditur, et hæc alia superaddit: *Constanter prædicans* (scilicet Catholica fides) *atque veraciter, quod animæ hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporantur, nisi ab opifice Deo, qui et ipsarum est creator, et corporum;* S. Leo in hoc loco tradit, et quid fides Catholica rejiciat quoad immissionem præexistentium animarum in corpora, et quid *constanter*

(a) Tom. II. Concil. edit. Hard. col. 1055.

prædicet de creatione animarum, atque pronunciat, creationem animarum rem esse, quæ spectat ad fidem catholicam.

LIBER SECUNDUS.

De primo homine, habita ratione singularium donorum, quæ ipse recepit a Deo.

Singularia dona, quæ Adamus a Deo recepit, considerari possunt et respectu animæ, et respectu corporis. Inter dona animæ primum locum tenet gratia, cum qua Adamum creatum fuisse, jam ostendimus: 2. justitia originalis: 3. dominium super alia: 4. quoad dona corporis immortalitas potissimum attendi debet. De his ergo agemus in quatuor distinctis capitibus.

CAPUT PRIMUM.

De justitia originali Adami.

Justitia eo nunc sensu accipitur a nobis, quatenus ipsa inducit rectum ordinem alicujus totius, et omnium potentiarum illius, indeque unaquæque potentia recte se habet, tum aliarum potentiarum, tum suorum actuum habita ratione. Hæc justitia dicitur originalis, quia primi parentes ab ipsa origine sui illam acceperunt, eaque, si ipsi non peccassent, ad posteros transfusa fuisset. Tres erant præcipui effectus hujusmodi justitiæ originalis: 1. ob eam anima cum suis potentiis perfecte subdebatur Deo, uti auctori tam naturali, quam supernaturali: 2. potentiæ sensitivæ perfecte subdebantur rationi: 3. corpus animæ: ita S. Thomas 1. p. quæst. 95. art. 1., qui illud quoque advertit, primam subjectionem fuisse causam aliarum duarum. Prædictos effectus justitiæ originalis recenset etiam S. Augustinus *De Peccat. merit. et remiss.* lib. 2. num. 36. et 37. Tria nunc ergo ostendemus: 1. contra Pelagianos in Adamo fuisse justitiam originalem: 2. hanc justitiam originalem fuisse donum supernaturale contra Lutherum, qui ad cap. 3. *Genesis* ita habet: *Quare statuamus, justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet separatum a natura hominis, sed fuisse vere naturalem:* 3. justitiam originalem non fuisse donum distinctum a gratia sanctificante, quatenus ipsa gratia fuit radix justitiæ originalis. De hac vero distinctione disputatur inter Theologos etiam Thomistas.

Prop. I. Justitia originalis fuit in Adamo.

Prob. prop. *Deus fecit hominem rectum* sicut *Ecclesiastes* 7. 30. legitur. Erat autem, inquit S. Thomas 1. p. quæst. 95. art.

1. „ Rectitudo secundum hoc, quod ratio subdebatur Deo, ra-„tioni vero inferiores vires, et animæ corpus... Manifestum est „ autem, quod illa subjectio corporis ad animam, et inferiorum „ virium ad rationem non erat naturalis, alioquin post peccatum „ mansisset, quum etiam in dæmonibus data naturalia permanse-„rint." Hinc primi parentes destituti propter peccatum justitia originali, sicuti advertit S. Augustinus lib. 13. *De Civit. Dei* cap. 13. „ Postea quam præcepti facta transgressio est, confestim gra-„tia deserente divina, de corporum suorum nuditate confusi sunt... „ Jam quippe anima libertate in perversum propria delectata... „ quia superiorem Dominum suo arbitrio deseruerat, inferiorum „ famulum ad suum arbitrium non tenebat: " Unde Tridentini Pa-„tres Sess. 5. in decreto de peccato originali quoad hanc rem ita statuerunt: „ Si quis non confitetur, primum hominem Adam, „ quum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim „ sanctitatem, et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse... „ anathema sit." Jure ergo meritoque asseruerat S. Thomas lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 52.: „ Sic igitur secundum doctrinam fi-„dei ponimus, hominem a principio taliter esse institutum, quod „ quandiu ratio hominis Deo esset subjecta, et inferiores vires ei „ sine impedimento servirent, et corpus ab ejus subjectione impe-„diri non posset." Nam Deus, sicuti prosequitur S. Thomas in II. *Sent.* dist. 31. quæst. 1. art. 1: „ Humanæ naturæ in sui prin-„cipio supra conditionem suorum principiorum contulerat, ut es-„set in ratione rectitudo quædam originalis justitiæ, quam sine „ aliqua resistentia inferioribus viribus imprimere posset."

Dices cum Juliano apud S. Augustinum lib. 6. *Oper. Imperf.* cap. 12. „ Cur Adam male agendo perdidit posse bene agere, et „ bene prius agendo non perdidit posse peccare? Et si vis in-„telligi, hominem non bonæ, sed malæ factum fuisse naturæ, „ in quo plus valuit actio mala, ne posset agere bene, quam ac-„tio bona, ne posset agere male:" Adam ergo non fuit originali justitia præditus.

R. Augustinus Juliano hæc objicienti: „ posses isto modo di-„cere, male fuisse hominem eum oculis creatum, quia quum „ eos extinxerit, fit in illo, ut non possit videre: videndo enim „ non in illo factum est, ut eos non possit extinguere... Quid „ ergo mirum, si delinquendo, hoc est rectitudinem suam, in „ qua factus erat, depravatione mutando, cum supplicio sequu-„tum est, non posse recta agere? Quandiu vero in eadem rec-„titudine stetit, in qua poterat non peccare, ideo non accepit „ majus aliquid, hoc est, non posse peccare, quia in eo, quod „ habuit, non usque ad finem remunerationis voluit permanere."

Prop. II. Justitia originalis Adami fuit donum supernaturale.

Prob. prop. Ex judicio jam lato ab Ecclesia contra has duas Baji propositiones: num. 21. *Humanæ naturæ sublimatio, et*

exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis. 25. Integritas primæ conditionis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. Hoc suum judicium renovavit Ecclesia in condemnatione aliarum duarum Quesnellii propositionum, quæ sunt istæ: num. 34. *Gratia Adami non erat debebat nisi merita humana*: num. 35. *Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ, et integræ.* Jacobus Fontana in Opere: *Constitutio Unigenitus propugnata* tom. 1. de hac ultima Quesnellii prop. agens num. 2. advertit, a Bajo et Quesnellio accipi gratiam in sensu improprio, et Pelagiano: nam Pelagius verbo quidem tenus gratiam admittebat, illam tamen reponebat *in sola natura a Deo gratis condita.* Unde num. 3. pergit recte advertere, de gratia primi hominis loquentes „ rationes nec Pelagio improbandæ, nec Lutherо, „ qui dum veras gratias theologicas naturæ ordinem excedentes „ negent integritati tam Adami, quam Angelorum: tamen ut „ natura gratis condita est, ita quidquid ad eam sequitur, ap„ pellari hoc sensu gratiam non prohibent." Quapropter error Quesnellii a Bajo quidem proxime repetit suum originem, verum initium illius primo a Pelagianis, deinde a Lutherо, et Calvino repeti debet, sicuti ab istis duobus revera duxit etiam Henricus Cardinalis de Bessy in *Tract. Theol. adv. prop. Quesnellii* ad prop. 34. Item in Opusculo inscripto: *Veritas, et æquitas Constitut. Unigenitus theologice demonstrata.* Prop. 35. Quesnellii inuritur nota Pelagianismi, et conformis ostenditur Comment. Lutheri, a nobis supra citato, in cap. 4. Genesis.

Quapropter illud nunc tantum contra hunc errorem urgemus, quod in præced. prop. ex Divo Thoma advertimus, videlicet, justitiam originalem etiam post peccatum remanere debuisse, semel ac ea esse supponatur donum naturale, quod per se consequitur ad ipsam naturam, nam dona naturalia remanserunt etiam in damnatis. Unde sicut ait S. Thomas quæst. 27. *De Verit.* art. 5. „ quod enim homini in primo statu collatum fuit, ut „ rationi totaliter inferiores vires contineret, et anima corpus; „ non fuit ex virtute principiorum naturalium, sed virtute originalis justitiæ, ex divina liberalitate superadditæ. Qua quidem „ justitia per peccatum sublata, homo rediit ad statum convenientem sibi per principia sua naturalia."

Prop. III. Justitia originalis haberi non debet uti donum, vel sicuti plurima dona distincta, et separata a sanctificante gratia, quum hæc sit radix illius.

Prob. prop. auctoritate Patrum. Eorum enim hæc est una vox: Adam ab eo statu, in quo creatus fuerat, defecisse, amisisse omnia dona tum animæ, tum corporis, quia non servavit præceptum impositum sibi. Hoc sane est, quod inculcat S.

Augustinus in pluribus locis contra Pelagianos, videlicet, in lib. 2. *De Peccat. merit. et remiss.* num. 36., in lib. *De Corrept., et Grat.* num. 38., in lib. 6. *Oper. Imperf.* cap. 21. et 25. Alii quoque Sancti Patres, qui scripserunt contra Pelagianos, jacturam hujusmodi donorum ab eodem principio repetunt. Quare Adam quoad usque servavit præceptum, gratiam retinuit, cum qua creatus fuerat, retinuit sibi superaddita dona tum animæ, tum corporis: ergo simul cum gratia etiam justitiam originalem amisit: hæc itaque uti donum distinctum ab illa non debet haberi. Hinc Angelicus 1. p. quæst. 95. art. 1. „ manifestum est (inquit) quod et illa prima subjectio, qua „ ratio Deo subdebatur, non erat solum secundum naturam, sed „ secundum supernaturale donum gratiæ... Ex quo datur intel„ ligi, si, deserente gratia, soluta est obedientia carnis ad ani„ mam, quod per gratiam in anima existentem inferiora ei sub„ debantur." Et quæst. 110. art. 1. ad 2. „ Quum radix origi„ nalis justitiæ, in cujus rectitudine factus est homo, consistat „ in subjectione supernaturali ad Deum, quæ est per gratiam „ gratum facientem, ut supra dictum est (quæst 95. art. 1.) „ necesse est dicere, quod si pueri nati fuissent in originali jus„ titia, etiam nati fuissent cum gratia." Quia ergo gratia est radix originalis justitiæ, hæc haberi non potest uti quid distinctum, et separatum ab illa.

Dices. Adam per pœnitentiam recuperavit gratiam, non vero justitiam originalem: ergo hæc est donum distinctum, et separatum ab illa.

Deinde justitia originalis respiciebat naturam: gratia autem non respicit naturam, sed personam: ergo etiam ex hoc capite justitia originalis est donum distinctum, atque separatum a gratia.

R. dist ant. Ob corruptionem naturæ conc. quatenus in natura integra erat justitia quid distinctum, et separatum a gratia, neg. Gratia est quidem radix justitiæ originalis, at in natura innocente, quæ est capax recipiendi hujusmodi justitiam. Unde in hac natura etiam ad corpus suam virtutem extendebat, atque sicuti per justitiam originalem faciebat, ut anima Deo, ita etiam per eamdem justitiam operabatur, ut corpus, et vis omnis inferior subjiceretur animæ. Per pœnitentiam itaque Adamus recuperavit gratiam; tamen per pœnitentiam non effecit, ut natura, quæ propter peccatum corrupta erat, ejusmodi corruptione liberaretur, ideoque non potuit iterum fieri particeps justitiæ originalis.

R. ad alterum, Justitiam originalem spectare quidem ad naturam, et gratiam ad personam, tamen habita ratione status innocentiæ ad talem personam, in qua erat integra natura, et quidem communicanda posteris una cum gratia, ceterisque omni-

bus, quæ proficiscebantur a gratia. Nam sicut advertit S. Thomas IV. *Cont. Gent.* cap. 52. num. 5. et 6., sicuti defectus, qui traducuntur ob originale peccatum „ culpabiles sunt per comparationem ad principium, quod est peccatum Adæ, et naturales sunt per comparationem ad naturam jam destitutam, „ unde Apostolus dicit Ephes. 2. 3. *eramus natura filii iræ*;" ita etiam donum, quod in sui institutione collatum fuit humanæ naturæ, „ quodammodo fuit naturale, non quasi ex principiis naturæ causatum, sed quia sic fuit homini datum, ut simul cum natura propagaretur."

CAPUT SECUNDUM.

De scientia Adami.

Sicut aliis donis, ita etiam scientia Adamum fuisse destitutum, Pelagiani contendebant, quemadmodum constat ex S. Augustino lib. 1. *Oper. Imperf.* cap. 1. Scientia itaque, quum considerari possit rerum tum naturalium, tum supernaturalium habita ratione, quæ scientia tum quoad illa, tum quoad ista in Adamo fuerit, nunc definiemus.

Prop. I. Adam habuit scientiam eorum omnium, quæ et naturaliter cognosci possunt, et illius statui conveniebant.

Prob. prop. S. Augustinus in cit. loco objicit Pelagianis, non cogitare eos „ secundum Christianam fidem, qualis sit factus „ Adam, qui universis generibus animarum vivarum nomina imposuit: quod excellentissimum fuisse indicium sapientiæ, in secularibus etiam litteris legimus." Et re quidem vera sicuti advertit Angelicus 1. p. quæst. 94. art. 3., res in sui prima origine institutæ sunt a Deo, non solum ut essent in se, sed etiam ut forent principia ceterorum, indeque productæ fuere in statu perfecto, in quo principia aliorum esse possent. Homo autem non solum per generationem, sed etiam per doctrinam, et gubernationem potest esse principium aliorum. Quapropter sicuti primus homo institutus fuit in statu perfecto quoad corpus, ut alios statim generare posset; ita etiam dicendum est, institutum fuisse perfectum quoad mentem, ut statim alios et docere, et regere posset. Hoc autem sine scientia præstari non potuit. Habuit ergo Adam scientiam eorum omnium, quæ et naturaliter cognosci possunt, et illius statui conveniebant.

„ Alia autem (superaddit Angelicus) quæ nec naturali homini studio cognosci possunt, nec sunt necessaria ad gubernationem vitæ humanæ, primus homo non cognovit, sicut sunt „ cogitationes hominum, futura contingentia, et quædam singularia."

Dices. Serpentem loqui posse, Adamus credidit: insuper cre-

didit illi promittenti sibi scientiam boni, et mali, atque aperti sunt oculi ejus, postquam comedit, quod sibi prohibitum fuerat, ne comederet: hæc autem non cadunt in hominem, qui veram scientiam habeat: ergo.

R. cum S. Augustino lib. 5. *Cont. Julian.* num. 17., quod *in paradiso ab animo quidem cœpit elatio, et ad præceptum transgrediendum inde consensio, propter quod dictum est a serpente: eritis sicut Dii.* Hinc Angelicus 1. p. quæst. 94. art. 4. ad 1. docet, tam Evam, quam Adamum peccasse, antequam illa a serpente seduceretur, et iste ab Eva seductus cum illius peccato communicaret. Iterum cum S. Augustino lib. 14. *De Civit. Dei* cap. 13. num. 2. attendi debet, non Adam, sed Evam a serpente fuisse deceptam juxta illud Apostoli 1. *ad Timot.* 2. 14. *sed Adam non fuit seductus: mulier autem seducta est.* Quare, inquit S. Augustinus cit. lib. cap. 11. „Nec Salomonem credibile est errore putasse, idolis esse serviendum, „sed blanditiis femineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum: ita „credendum est, illum virum suæ feminæ, uni unum, homi„nem homini, conjugem conjugi ad Dei legem transgredien„dam, non tamquam verum loquenti fuisse seductum, sed „sociali necessitudini paruisse." Ex quibus duo priora soluta manent.

Aperti autem fuerunt amborum oculi, sicut inquit S. Augustinus cit. lib. cap. 17., *non ad videndum, nam et antea videbant, sed ad discernendum inter bonum, quod amiserant, et malum, quo ceciderant.*

Prop. II. Adam supernaturalium rerum eam scientiam habuit, quæ secundum illum statum requirebatur ad spirituale regimen sui, atque aliorum.

Prob. prop. Ad gubernationem vitæ tum propriæ, tum alienæ non solum requiritur cognitio illorum, quæ naturali ratione attinguntur, sed etiam aliorum, quæ cognitionem naturalem excedunt, quum finis ultimus hominis sit supernaturalis. *Unde* (sicuti recte colligit S. Thomas 1. p. quæst. 94. art. 3.) *et de his supernaturalibus tantam cognitionem primus homo accepit, quanta erat necessaria ad gubernationem vitæ humanæ secundum statum illum.*

Quia vero Adami gratia, cum qua creatus fuit a Deo, quemadmodum monet Angelicus 2. 2. quæst. 5. art. 1. non fuit consummata adinstar gratiæ beatorum, dicendum est, quod *fuerit in eo inchoatio quædam sperata beatitudinis, quæ quidem inchoatur in voluntate per spem, et caritatem, in intellectu per fidem.*

Novit ergo Adam per fidem præmium supernaturale viris justis in cælo repositum a Deo, propterea que Deum novit non solum uti auctorem gratiæ, sed etiam uti largitorem æternæ

gloriæ. Novit quoque Adam mysterium SS. Trinitatis, sicuti affirmat S. Epiphanius initio operis adversus hæreses, et S. Athanasius Orat. *Cont. Gentes* num. 2. Quam maxime autem decebat, ut mysterium SS. Trinitatis notum illi esset, in cujus productione idem mysterium illis verbis: *faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, quadam ratione expressum habemus, sicuti jam animadvertimus in Disput. De Trinitate. Adamo revelatam fuisse Incarnationem, S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 7. colligit ex illis verbi *Genesis* 2. 24. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, et adhærebit uxori suæ.* Hoc Apostolus *Ephes.* 5. 32. dicit sacramentum magnum esse in Christo, et in Ecclesia. Tamen, sicuti ait S. Thomas, Adam „habuit ex„plicitam fidem de Christi Incarnatione secundum quod ordi„nabatur ad consummationem gloriæ, non autem secundum quod „ordinabatur ad liberationem a peccato per passionem, et re„surrectionem, quia homo non fuit præscius futuri peccati."

CAPUT TERTIUM.

De dominio, quod habuit Adam super alia.

Hoc dominium considerari potest, tum animalium, tum ipsorum hominum habita ratione. Paucis utrumque explicabimus in duabus propositionibus.

Prop. 1. Adam in statu innocentiæ super animalia habuit perfectum dominium.

Prob. prop. *Genes.* 1. 26. ait Deus: „Faciamus hominem „ad imaginem, et similitudinem nostram, et præsit piscibus ma„ris, et volatilibus cæli, et bestiis, universæque terræ, omnique „reptili, quod movetur in terra." Ex tribus principiis colligit Angelicus 1. p. quæst. 96. art. 1. dominari brutis naturaliter convenire homini: ex ipso ordine naturæ, quo imperfectiora instituta sunt in usum perfectiorum: 2. ex ordine providentiæ divinæ, quo inferiora a superioribus gubernanda constituuntur: 3. ex proprietate hominis, et brutorum: nam in brutis secundum naturale judicium est quædam participatio prudentiæ respectu aliquorum actuum singularium; in homine autem est prudentia universalis, quæ omnia respicit. Quod vero est per participationem, subditur ei, quod est universaliter, et per essentiam.

Quum vero propter peccatum non sit mutata natura brutorum, quod nunc inter aliqua eorum dissidium est, tunc quoque fuisset, tamen propter hoc nihil deperiisset de dominio hominis; *sicut nec nunc* (inquit S. Thomas cit. art. ad 2.) *propter hoc substrahuntur a dominio Dei, cujus providentia hoc to-*

tum dispensatur. Sicuti vero habet S. Augustinus in *Joan.* cap. 4. *Tractatu* 8. num. 6., „quia per peccatum homo deseruit „eum, sub quo esse debuit, subditur eis, supra quæ esse de„buit."

Prop. II. In statu innocentiæ fuisset inter homines aliqua species dominii liberi, atque civilis in utilitatem tam communem, quam singulorum.

Prob. prop. In statu innocentiæ fuisset perfectissima societas, et perfectus ordo tum invicem singulorum inter se, tum invicem omnium quoad bonum commune. Sed hæc perfectissima societas haberi nullo modo potuisset, si non fuisset, qui eidem societati præesset, illamque regeret, prout bonum tam singulorum, quam commune postularet, sicuti etiam ab ipsa experientia novimus: igitur in statu innocentiæ fuisset inter homines aliqua species dominii liberi, atque civilis in utilitatem tum communem, tum singulorum.

Necesse quidem non fuisset in hoc statu, ut homines metu pœnarum in officio continerentur; tamen oportuisset, ut quoad recte facta aliquem haberent, a quo regerentur, potissimum vero si ad commune bonum attendatur.

CAPUT QUARTUM.

De immortalitate Adami.

Licet Adam, habita ratione corporis, non solum esset immortalitate præditus, sed etiam aliis donis, tamen Pelagiani præcipue immortalitatem oppugnare instituerunt, ut, ea semel sublata, colligerent, mortem, cui nunc subjicimur omnes, non esse pœnam peccati primi parentis, ac propterea illud in posteros non transfundi. Antequam hujusmodi errorem refutare instituamus, illud advertimus, aliquem esse mortalem, aut immortalem, duplici sensu accipi posse: uno quidem sensu dicitur mortalis, quatenus oportet eum mori: altero autem; quatenus mori potest: item uno modo immortalis dicitur, ut possit non mori: altero autem, ut non mori necesse sit. Secundum priorem rationem Adam non fuit mortalis, sed secundum alteram: nam habita ratione status, in quo creatus fuerat, non erat obnoxius morti, tamen propter peccatum morti obnoxius evadere poterat, sicuti revera evasit. Item erat immortalis priori modo, non altero: poterat enim non mori servando præceptum Domini: necesse autem non erat, ut non moreretur, quia præceptum transgredi poterat, sicut revera transgressus fuit. Quare secundum diversam rationem Adam et mortalis, et non mortalis, sicut etiam et immortalis, et non immortalis dicitur.

Hac in re vitandi sunt duo errores inter se contrarii, qui

veritati fidei in medio positæ opponuntur: prior est Pelagianorum, qui affirmarunt, Adamum, et posteros illius obituros fuisse, licet ipse Adamus non peccasset. Eumdem errorem cum suis Sectatoribus tuetur Socinus tum in *Prælect. Theol.*, tum in Disput. *De statu primi hominis ante lapsum*, tum in aliis locis. Alter oppositus error est illorum, qui eam immortalitatem Adamo tribuerunt, quam Christus post suam resurrectionem habuit, et corpora hominum post resurrectionem sunt habitura. Mentionem istorum facit S. Augustinus lib. 6. *De Genesi ad litt.* num. 31. Auctor lib. *Sentent.*, seu *Quæst.* 21. quæst. 10., hujus sententiæ fuit (a).

Prop. Adam a Deo conditus fuit immortalis, ita ut, si non peccasset, nunquam fuisset moriturus.

Prob. prop. Deus mortem Adamo comminatus fuit, semel ac transgrederetur præceptum non comedendi de ligno scientiæ boni, et mali: *In quocumque enim die* (ita *Genes.* 2. 17.) *comederis ex eo, morte morieris.* Si igitur non comedisset, non fuisset profecto mortem subiturus, alioquin Deus in pœnam peccati indixisset Adamo illam eamdem pœnam, cui ipse obnoxius erat, licet non peccaret: Lusisset ergo Deus in comminatione pœnæ infligendæ propter peccatum. Respexisse autem Deum in hujusmodi comminatione ad mortem corporis, non vero animæ, tam manifestum est, quam quod maxime. Siquidem anima Adami, utpote immortalis, neque desumpta ex pulvere, neque in pulverem reditura erat. Deus autem inter alias hanc quoque pœnam Adamo inflixit ob admissum peccatum, videlicet ut reverteretur in pulverem, ex qua sumptus erat. *Genes.* 3. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Hinc S. Augustinus acute pro suo more contra Pelagianos hanc comminationem detorquentes ad mortem animæ lib. 1. *De Peccat. merit., et remiss.* num. 2. „Quid „ergo respondebunt, (inquit) quum legitur, hoc Deum „primo homini etiam post peccatum increpando, et damnando „dixisse: *terra es, et in terram ibis?* Neque enim secundum ani„mam, sed quod manifestum est, secundum corpus terra erat, „et morte ejusdem corporis erat iturus in terram. Quamvis „enim secundum corpus terra esset, et corpus, in quo creatus „est, animale gestaret; tamen si non peccasset, in corpus fue„rat spirituale mutandus, et in illam incorruptionem, quæ fi„delibus, et sanctis promittitur, sine mortis periculo transi„turus."

Auctoritate Apostoli confirmatur nostra propositio. *Roman.* 5. 12. ait Apostolus: *Per unum hominem peccatum in hunc mun-*

(a) In Append. tom. VI Oper. S. Augustini.

dum intravit, et per peccatum mors. I. *Corint.* 15. 21. *Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* Sicuti vero resurrectionem corporis, ita etiam mortem ejusdem corporis hisce verbis respicit Apostolus, qui in epist. ad *Rom.* asseruerat, una cum peccato etiam mortem intrasse in hunc mundum per unum hominem. Falso autem, et contra evidentem sensum verborum ipsius Apostoli Pelagiani reponebant, sicuti ex S. Augustino novimus lib. 1. *De Peccat. merit., et remiss.* num. 9. Apostolum respexisse ad mortem animæ, non vero corporis: „Neque enim (inquit idem S. Augustinus lib. 3. *De Peccat. „merit. et remiss.* num. 19.) alio sensu dictum est ad Roma„nos: *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, „et per peccatum mors, atque ita in omnes homines pertran„sit:* quam illo, quo dictum est ad Corinthios: *per hominem „mors, et per hominem resurrectio mortuorum: sicut enim in „Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur.* „Nemo quippe ambigit, hoc ibi de corporis morte dictum, quo„niam de resurrectione corporis magna Apostoli intentione quæs„tio versabatur: et ideo videtur ibi de peccato tacuisse, quia non „erat quæstio de justitia. Hic autem ad Romanos utrumque posuit, et „utrumque diutissime commendavit, peccatum in Adam, et jus„titiam in Christo; et mortem in Adam, et vitam in Christo."

Idem S. Doctor lib. 1. *De Peccat. merit., et remiss.* num. 4. animadvertit præter illud *Genesis: terra es, et in terram ibis,* esse „Alia testimonia, quibus evidentissime appareat, non tan„tum spiritus, sed etiam corporis mortem propter peccatum me„ruisse genus humanum. Ad *Romanos* (a) Apostolus dicit: *Si „autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est prop„ter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam. Si „ergo spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in „vobis, qui suscitavit Christum Jesum a mortuis, vivificabit „et mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum ejus in „vobis.* Puto, quod non expositione, sed tantum lectore opus „habeat tam clara, et aperta sententia. *Corpus*, inquit, *mor„tuum est* non propter fragilitatem terrenam, quia de terræ „pulvere factum est, sed *propter peccatum.* Quid amplius quæ„rimus? Et vigilantissime non ait, mortale, sed *mortuum.*"

Julianus, præter communem ceterorum Pelagianorum, aliam sibi finxit rationem, qua potissimum illa verba Apostoli I. *Corint.* 15. 21. *Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum*, aliquatenus eluderet, sicut apud S. Augustinum legitur lib. 6. *Oper. Imperf.* cap. 36. Julianus igitur illud esse animadvertendum duxit, Apostolum loquutum fuisse non de communi resurrectione bonorum, et malorum, sed de resurrectione illorum, qui

(a) Roman. 8. 10, et seq.

vitam æternam possidebunt: ex hoc autem ita collegit: „Mors ergo „corporis, et resurrectio corporis e regione consistunt: si mors es- „set universa pœnalis, esset quoque universa resurrectio præmialis: „nunc autem est resurrectio pœnalis omnium qui ignibus depu- „tantur æternis: ergo et mors non supplicialis est, sed naturalis."

Huic objectioni S. Augustinus respondet: „Ita est quidem: „(videlicet Apostolum loquutum de resurrectione bonorum) tamen „de resurrectione corporis loquitur. Huic ergo e contrario mors „opponitur corporis, eisque, id est, morti corporis, et re- „surrectioni singuli distribuuntur auctores, homines duo. Quo- „niam per hominem mors, et per hominem resurrectio mor- „tuorum. Et ipsi homines duo propriis etiam nominibus expri- „muntur, ut de quibus hoc dictum sit, evidenter appareat, at- „que additur: sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic et in „Christo omnes vivificabuntur. Moriuntur, ait; non ait, morien- „tur: ex altera vero parte non ait, vivificantur; sed vivifi- „cabuntur. Nunc enim moriuntur ex pœna, tunc vivificabuntur „ex præmio.... Nunc proinde quia de resurrectione corporis lo- „quitur, quæ futura est, cui opponit è contrario mortem cor- „poris, quæ nunc fit, et duo ista contraria singulos auctores „habent, Adam mors, Christum resurrectio mortuorum, sicut in- „telligitur resurrectio illa præmialis, ita etiam intelligenda est „mors ista pœnalis. Præmio quippe a contrario non opponitur „natura, sed pœna. Et ideo isto loco, ubi resurrectio corporis op- „ponitur morti corporis, non de communi resurrectione agit Apos- „tolus, quæ ad justos, et injustos pertinet, sed de illa potius, „in qua erunt, qui vivificabuntur in Christo... quia eam voluit „commendare, quæ ad beneficium Christi pertinet, non etiam „illam, quæ tantum ad judicium, ut quoniam iste præmialis „est, mors quoque corporis, quæ a contrario huic opponitur, „ostendatur esse pœnalis."

Quod ergo contra Pelagianos nos modo contendimus, Apostoli auctoritate undequaque perspectum est. Hinc Ecclesia Africana can. 109. (a) anathema dixit in eos, qui affirmabant, quod Adam *sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore*, et error Pelagii fuit proscriptus tum in Synodo Arausicana II. can. 2., tum in Tridentina sess. 5. in decreto de peccato originali.

Jam satisfecimus præcipuis objectionibus Pelagianorum, quibus ipsi conantur eludere Scripturæ auctoritatem: nunc igitur potissimum expendamus, quæ Socinus, factus etiam Pelagianus, in favorem Pelagianorum opponit in *Prælect. Theol.* cap. 1. (b) 1. Adam, etiamsi non peccasset, procreandis liberis operam dare debebat: id autem non fert status immortalitatis; un-

(a) Tom. I. Concil. edit. Hard. col. 926.
(b) Tom. I. Bibliot. Fratr. Polon.

de in futuro statu nullus erit generationi locus, sicut *Lucæ* 20. 35. et 36. legitur: 2. Adam cibo, et potu utebatur: quod sane opponitur immortalitati: inquit enim Apostolus I. *Corint.* 6. 13. *Esca ventri, et venter escis. Deus autem hunc, et has destruet*: 3. Adam ante peccatum habuit corpus animale, ac propterea mortale juxta Apostolum I. *Corint.* 15. 44. dicentem: *Seminatur corpus animale, et surget corpus spirituale*: 4. Primus homo erat terrenus: nos autem morimur, quatenus portamus imaginem hominis terreni, uti habet Apostolus I. *Corint.* 15. 47. et seq. Quare quando Paulus dixit, per peccatum mortem intrasse in hunc mundum, *non de naturali mortalitate*, inquit Socinus, *sed de ipsa morte, ut verba sonant, deque moriendi necessitate* loquutus fuit. Postremo omnes causæ mortalitatis, sive interiores, sive exteriores, quæ sunt in nobis, etiam in Adamo fuerunt. Hæc Socinus, qui fere eadem repetit in Disput. *De statu primi hominis* (a).

Hisce omnibus antequam respondeamus, ea nunc recolenda esse monemus, quæ initio hujus capitis animadvertimus quoad Adami mortalitatem, et immortalitatem: dico igitur ad primum, Adamum generationi operam dare debuisse, quia habuit corpus animale, quod nondum evaserat spirituale, sicuti evadet etiam nostrum post resurrectionem ad æternam vitam, in qua uti legitur *Lucæ* 20. 35. et seq. *neque nubent, neque ducent uxores. Neque enim ultra mori poterunt.* Etiam Adam, inquit S. Augustinus lib. 1. *De Peccat. merit. et remiss.* num. 2., *si non peccasset, in corpus fuerat spirituale mutandus, et in illam incorruptionem, quæ fidelibus, et sanctis promittitur, sine mortis periculo transiturus.* Quare Adam sine periculo mortis in corpus spirituale mutandus erat, fideles autem, et sancti sunt mutandi cum periculo mortis, hoc est, ad illum statum non possunt pertingere, nisi prius moriantur.

Ad 2. dico, cibum, et potum opponi illi immortalitati, qua corpora beatorum donantur in cælis: hanc autem immortalitatem Adam nondum fuerat consequutus.

Ad 3. respondeo, primos parentes animale quidem corpus habuisse, attamen tale, sicut inquit S. Augustinus lib. 2. *De Peccat. merit., et remiss.* num. 36.; *ut quia anima famulum corpus a Deo acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus ejus obediret, atque exhiberet vitæ illi congruum sine ulla resistentia famulatum.* Quia vero illorum corpus animale eam spiritualitatem nondum acquisiverat, quam habent corpora beatorum: ideo dixit illis Deus, ut de omni ligno paradisi comederent, a ligno tamen scientiæ boni, et mali abstinerent, si mori nollent.

Ad 4. dico, primum hominem ante peccatum fuisse de ter-

(a) Cit. tom.

ra terrenum, tamen absque prævia morte vestiendum incorruptibilitate, semel ac perstitisset in eo statu, in quo conditus fuerat. Quia vero in eo non perstitit, reversus fuit in terram, ex qua sumptus erat. Nos autem portamus imaginem primi hominis secundum alterum statum, scilicet Adami peccatoris, proindeque propter peccatum mors intravit in hunc mundum, sicuti affirmat Apostolus. Intravit, inquam, in hunc mundum, quatenus ob inobedientiam primi parentis mortalitas naturalis occupavit totum genus humanum.

Ad 5. respondeo, quod corpus Adami, sicuti advertit S. Thomas 1. p. quæst. 97. art. 1. „non erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem, sed inerat animæ vis quædam supernaturalis divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione conservare, quandiu ipsa Deo subjecta mansisset. Quod rationabiliter factum est. Quia enim anima rationalis excedit proportionem corporalis materiæ,... conveniens fuit, ut in principio ei virtus daretur, per quam corpus conservare posset supra naturam corporalis materiæ." Alimnde autem, sicuti tradit S. Augustinus lib. 1. *De Peccat. merit., et remiss.* num. 4., Adam *habebat et de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, et de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem.* Habita ergo ratione mortalitatis idem quidem, ac noster nunc est, etiam Adami fuit status, tamen postquam peccavit, non vero ante peccatum.

Altera nunc propositione explicabimus, quomodo Adam erat mortalis, quomodo mori ipse poterat, non quatenus cum mori oporteret, et quomodo erat immortalis, quatenus poterat non mori, non vero quatenus oporteret, ut non moreretur.

Prop. II. Corpus Adami in se quidem spectatum fuit mortale, illi tamen non defuit, unde a mortalitate præservaretur.

Prob. prop. Sicuti monet Angelicus 1. p. quæst. 97. art. 1. immortale, vel incorruptibile dici potest aliquid: 1. quatenus est expers materiæ: 2. quatenus licet ex sui natura sit corruptibile, illi tamen inhæret aliquid, per quod a corruptibilitate præservatur, uti contingit in corporibus gloriosis: 3. habita ratione causæ efficientis. Corpus Adami neque primo, neque altero modo fuit immortale: ejus enim corpus constabat materia, et aliunde ipse Adam non erat elevatus ad beatitudinem æternam, propter quam corpus illius evaderet spirituale. Superest, ergo, ut dicatur, corpus illius immortale fuisse, habita ratione causæ efficientis, scilicet, gratiæ conditoris, qui illud primo homini dedit, ut esset immunis a morte, quandiu non peccaret, „Corpus hominis (inquit S. Thomas 1. part. „quæst. 76. art. 5. ad 1.) ante peccatum immortale fuit non „per naturam, sed per gratiæ divinæ donum: alioquin immor„talitas ejus per peccatum sublata non esset, sicut nec immor-

„ talitas dæmonum." Et quæst. 5. *De Malo* art. 5. „Quia Deus „ qui est hominis institutor, hanc necessitatem materiæ sua om- „ nipotentia potuit prohibere, ne in actum prodiret, ejus vir- „ tute collatum est homini ante peccatum, ut a morte præser- „ varetur, quousque tali beneficio se reddidit peccando indig- „ num." S. Augustinus ita in confirmationem ejusdem rei lib. 1. *De Peccat. merit., et remiss.* num. 3. „Si enim Deus Israe- „ litarum vestimentis, et calceamentis præstitit, quod per tot „ annos non sint obtrita, quid mirum si obedienti homini ejus- „ dem potentia præstaretur, ut animale, et mortale habens cor- „ pus, haberet in eo quemdam statum, quo sine defectu es- „ set annosus, tempore, quo Deus vellet, a mortalitate ad im- „ mortalitatem sine media morte venturus?" Et num. 4. et seq. „ *Corpus*, inquit, *mortuum est* non propter fragilitatem terre- „ nam, quia de terræ pulvere factum est, sed *propter pec-* „ *catum*. Quid amplius quærimus? Et vigilantissime non ait „ mortale, sed *mortuum*. Nam antequam immutaretur in illam „ incorruptionem, quæ in sanctorum resurrectione promittitur, „ poterat esse mortale, quamvis non moriturum: sicut et hoc „ nostrum potest, ut ita dicam, esse ægrotabile, quamvis non „ ægrotaturum." Divinitus ergo Adam singulariter habuit, ut corpus illius, quamvis in se mortale esset, a morte præservaretur, quoad usque præceptum sibi impositum servaret. Unde Ecclesia hanc Baji prop. num. 78. merito damnavit: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturæ conditio*,

Sicuti vero advertit Angelicus 1. p. quæst. 97. art. 1. ad 3., licet Adam *gratiam recuperavit ad remissionem culpæ, et meritum gloriæ, non tamen ad amissæ immortalitatis effectum: hoc enim reservabatur Christo, per quem naturæ defectus in melius reparandus erat.*

LIBER TERTIUS.

De conditione prolis generandæ in statu innocentiæ.

Fabula Præadamitarum explosa: quod sane jam præstitimus, Adamum fuisse primum omnium hominum, et ab eo humanum genus propagatum fuisse, dicendum est, atque etiam certa fide tenendum. In hoc libro disputandum aggredimur de conditione prolis, quam genuisset Adam, si in statu innocentiæ perstitisset: in 1. cap. agemus de generatione, quæ in statu innocentiæ futura fuisset: in 2. de prolis in eo statu generandæ conditione quoad corpus: in 3. quoad justitiam: in 4. quoad usum rationis, et scientiam.

CAPUT PRIMUM.

De generatione, quæ futura fuisset in statu innocentiæ.

Nullas nuptias esse futuras in statu innocentiæ, humanumque genus certa quadam, nobis tamen incognita, ratione propagandum, putavit S. Gregorius Nyssen. in lib. *De Opific. hominis* cap. 17. cum illo sensit S. Joann. Damascenus *De Fide Orth.* lib. 2. cap. 30., itemque Procopius *in Genes.* cap. 4., et Euthymius *in Psal.* 50. Idem sensisse videtur etiam S. Joan. Chrysost. Homil 18. et 20. *in Genes.* S. Augustinus aliquando, sicut in lib. *De Bono Conjugali* num. 2., dubius in hac re hæsit: aliquando etiam tradidit, nuptias carnales spectare ad naturam corruptam; tamen non solum pluribus in locis affirmavit, nuptiis propagandum fuisse genus humanum, sed etiam *Retract.* lib. 1. cap. 10. num. 2., cap. 13. num. 8., lib. 2. cap. 22. num. 1. retractavit, quod alibi de iisdem nuptiis dubitanter asseruerat, vel contra eas pronuntiaverat.

Prop. In statu innocentiæ futura fuisset generatio per conjunctionem maris, et feminæ.

Prob. prop. Non minus primis parentibus, ante peccatum illorum, quam piscibus, et volatilibus cæli dixit Deus *Genes.* 1. 28. *crescite, et multiplicamini, et replete terram:* item eadem post diluvium dixit ad Noe, et filios illius: sed pisces, volatilia, et etiam homines post diluvium per generationem multiplicata fuere, et repleverunt terram: ergo idem juxta verba Domini præstandum quoque fuerat a primis parentibus in statu innocentiæ. Hoc vero est, quod Adamus se novisse significavit illis verbis *Genes.* 2 24. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Hæc autem verba per vinculum matrimonii ad inseparabilem conjunctionem viri cum muliere ordinatam ad liberos procreandos retulit ipse Christus *Matt.* 19. 5., et seq. et hujusmodi conjunctionem, a Deo utique factam in initio creationis, ab homine tolli non posse, affirmavit. Futuram ergo fuisse generationem in statu innocentiæ per conjunctionem maris, et feminæ, constat ex sacris litteris.

In hanc rem ita Angelicus 1. p. quæst. 97. art. 1. „Dicendum, quod in statu innocentiæ fuisset generatio ad multiplicationem humani generis: alioquin peccatum hominum fuisset valde necessarium, ex quo tantum bonum consequutum est." Idem fere urget S. Augustinus in confirmationem futuræ generationis in statu innocentiæ lib. 14. *De Civit. Dei* cap. 23. num. 1. „Quisquis autem dicit, non fuisse coituros, nec generaturos,

„ nisi peccassent, quid dicit, nisi propter numerositatem Sanc-
„ torum, necessarium hominis fuisse peccatum? Si enim non pec-
„ cando soli remanerent, quia, sicut putant, nisi peccassent, ge-
„ nerare non possent; profecto ut non soli duo justi homines pos-
„ sent esse, sed multi, necessarium fuit peccatum." Hoc autem credere, est absurdum, superaddit Augustinus.

Aliqui antiqui Doctores animadvertentes fœditatem concupiscentiæ, quæ in generatione intervenit, putarunt humanum genus in paradiso terrestri multiplicandum non per generationem, sed secundum eam rationem, qua multiplicati sunt Angeli. Verum hoc non dicitur *rationabiliter*, inquit Angelicus in cit. loco, quia generatio est naturalis homini secundum animalem vitam, quam habuit etiam ante peccatum: quæ autem sunt naturalia, neque subtrahuntur ab homine, neque illi tribuuntur propter peccatum.

In generatione autem secundum præsentem statum duo attendi debent, sicuti idem Angelicus advertit: unum, quod est naturæ, videlicet conjunctio maris, et feminæ ad generandum: alterum est quædam deformitas concupiscentiæ inordinatæ: *Quæ sane* (ait Angelicus) *in statu innocentiæ non fuisset, quando inferiores vires omnino rationi subdebantur.* Hoc autem confirmat auctoritate S. Augustini lib. 14. *De Civit. Dei* cap. 26. dicentis: *In tanta facilitate rerum, et felicitate hominum absit, ut suspicemur, non potuisse prolem seri sine libidinoso morbo: sed eo voluntatis nutu ea membra moverentur, quo cetera, et sine ardoris illecebroso stimulo cum tranquillitate animi, et corporis.*

Adam autem, et Evam in statu innocentiæ generationi operam non dedisse tum Angelicus 1. p. quæst. 98. art. 2., ad 2., tum S Augustinus lib. 9. *De Genesi ad litt.* num. 8. affirmant, vel quia creata muliere, usque ad transgressionem præcepti parum temporis interfuit, vel quia nulla concupiscentia, tamquam stimulus inobedientis carnis ad actum generationis incitabat, propterea que ad hanc rem *divina expectabatur auctoritas.* Superaddit vero Augustinus: *Ideo autem hoc non jusserat Deus, qui secundum suam præscientiam disponebat omnia, in qua et eorum casum procul dubio sciebat, unde jam mortale genus propagandum esset humanum.*

CAPUT SECUNDUM

De conditione prolis generandæ in statu innocentiæ, habita ratione corporis.

Illud nunc tantum adverti debet, in statu innocentiæ filios sicuti peccati, ita etiam cujusvis miseriæ expertes fuisse nascituros.

Prop. Filii in statu innocentiæ nati fuissent in ætate puerili, eaque tantum potuissent, quæ hujusmodi ætati conveniunt.

Prob. prop. Quamvis quæ sunt supra naturam sola fide teneamus; tamen in iis, quæ secundum ordinem naturæ contingunt, ad ipsa principia naturæ debemus attendere, semel ac de illis nihil divinitus revelatum habeamus: sed de hominibus in statu innocentiæ nasciturisnihil divinitus revelatum habemus: aliunde autem novimus, naturale esse filiis, ut in ætate puerili nascantur, et ea tantum possint, quæ illi ætati conveniunt: filii igitur, qui in statu innocentiæ nati fuissent, in ætate puerili fuissent nati, eaque tantum potuissent, quæ illi ætati conveniunt. Ita Angelicus 1. p. quæst. 99. art. 1. S. Augustinus lib. 1. *De Peccat. merit., et remiss.* num. 67. animadvertit, quod filios in statu innocentiæ natos divina omnipotentia poterat *grandes protinus* facere, sicut ex costa Adami formavit mulierem perfectam.

CAPUT TERTIUM.

De justitia propria illorum, qui in statu innocentiæ geniti fuissent.

Quæ secum ferret justitia originalis, in quo ipsa consisteret, undeque oriretur in lib. præced. jam exposuimus. Unum ergo tantum hoc in capite ostendemus, videlicet eos, qui in statu innocentiæ nati fuissent, futuros fuisse præditos justitia originali.

Prop. Omnes geniti in statu innocentiæ justitiam originalem habuissent.

Prob. prop. Tridentini Patres sess. 5. in decreto de peccato originali, postquam definierunt, primum hominem Adam, propter transgressionem divini præcepti, *statim sanctitatem, et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse*: anathema dicit illi, qui „Adæ prævaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem, et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eam perdidisse... aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem, et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ." Si ergo Adam propter peccatum justitiam, et sanctitatem perdidit non sibi soli, sed etiam nobis, inde sane certo consequitur, Adamo non peccante, omnes genitos in statu innocentiæ justitiam originalem habituros fuisse. Quæ in sequenti disputatione quoad transfusionem peccati originalis ex divino verbo tum tradito, tum scripto in medium afferemus, hoc idem demonstrabunt. Nam si propter Adami peccatum amiserunt omnes, quæ ad statum innocentiæ consequebantur, atque filii iræ evaserunt; propter rationem oppositam dicendum sane est, Adamo non pec-

cante, justitiam originalem transfudendam fuisse. Quare sicut amissio justitiæ originalis simul cum natura propter peccatum Adæ traducitur in posteros; ita etiam, ipso servante mandatum divinum, justitia originalis traducta fuisset, quia hæc primo homini collata fuerat, sicuti monet Angelicus lect. 3. in cap. 5. epist. *ad Roman. Non solum ut erat persona quædam singularis, sed etiam ut erat principium humanæ naturæ, ut eam simul cum natura in posteros traduceret.*

Hæc autem justitia, in qua omnes in statu innocentiæ nati fuissent, merendi in se principium habuisset: „Quidam dicunt (ait S. Thomas 1. p. quæst. 100. art. 1. ad 2.) quod „pueri non fuissent nati cum justitia gratuita, quæ est merendi principium, sed cum justitia originali. Sed quum radix „originalis justitiæ, in cujus rectitudine factus est homo, consistat in subjectione supernaturali rationis ad Deum, quæ est „per gratiam gratum facientem... necesse est dicere, quod si pueri „nati fuissent in originali justitia, etiam nati fuissent cum gratia."

Ex hoc autem non consequitur, gratiam in illis naturalem fuisse futuram, quia sicuti S. Thomas pergit advertere. „Non „fuisset transfusa per virtutem seminis, sed fuisset collata homini statim, quum habuisset animam rationalem; sicut etiam „statim, quum corpus est dispositum, infunditur a Deo anima „rationalis, quæ non est ex traduce."

Qui ergo nascituri erant in statu innocentiæ, cum justitia originali simul etiam gratiam habuissent, non tamen in ea fuissent confirmati: neque enim majorem præ suis parentibus perfectionem recepissent. Tamen si peccassent, peccatum illorum personale fuisset, quod in posteros nullo modo transfudendum erat, quum in naturam omnium haberetur a primo parente transfusio justitiæ originalis.

CAPUT QUARTUM.

De usu rationis, atque scientia, quibus geniti in statu innocentiæ præditi fuissent.

Sanctus Thomas quæst. 18. *De Verit.* art. 7. refert, putasse nonnullos, in iis, quæ spectant ad animam, in statu innocentiæ genitos futuros fuisse perfectos, sicuti Adam: alios autem existimasse, successu temporis in scientia profecturos, et horum sententiam ipse sequitur.

Prop. I. Pueri in statu innocentiæ non habuissent usum perfectum rationis, sicut, crescente ætate, fuissent habituri.

Prob. prop Usus rationis, sicut advertit S. Thomas 1. p. quæst. 101. art. 2. quodammodo pendet ab usu virium sensitivarum: unde sensibus, inferioribusque viribus semel impedi-

tis, perfectus, aut etiam aliquis usus rationis haberi non potest. Profecto pueri, si ad physicam constructionem corporis illorum attendatur, habent sensus impeditos, sicut etiam impeditas vires illorum: aliunde autem, sicut hujus libri cap. 2. jam ostendimus, pueri in statu innocentiæ in ætate puerili nati fuissent, eaque tantum potuissent, quæ illi ætati conveniunt: ergo non habuissent perfectum usum rationis, quem in adulta ætate erant habituri.

Verum quidem est, in illo statu corpus animæ subjectum futurum fuisse; tamen sicuti tradit S. Thomas quæst. 18. *De Verit.* art. 8. ad 1., quod anima impediatur a corpore, contingit dupliciter: uno modo quatenus corpus adversatur animæ: quod sane in statu innocentiæ non contigisset: altero autem; quatenus corpus animæ inservire quoad ea non potest, quæ ipsa anima in se spectata haberet, ut præstare posset. Et secundum hanc rationem in illo statu animam impeditam fuisse a corpore, nihil obstat, quin dicamus.

Nunc quidem corpus, quod corrumpitur, aggravat animam; verum non per solam impotentiam, qua ratione etiam in pueris nasciturus corpus animam aggravasset, sed etiam quatenus animæ quodammodo resistit, sicut advertit S. Thomas in citato loco ad 7.

Prop. II. Pueri in statu innocentiæ nasciturі non erant in scientia perfecti, sed eam successu temporis erant faciliter acquisituri.

Prob. prop. Adam „Quia instituebatur ut principium totius „humani generis (inquit Angelicus quæst. 18. *De Verit.* art. „7.) oportuit, ut statim conditus non solum haberet id, quod „pertinet ad principium naturalis perfectionis, sed etiam id, „quod pertinet ad terminum. Filii autem ejus, qui non constituebantur ut principium humani generis, sed ut ex principio „existentes, non oportebat in termino naturalis perfectionis institui. Sufficiebat autem, si habebant tantum de perfectione „mox nati, quantum initium perfectionis naturalis requirit... „Et sic non oportuit, filios Adam mox natos omnem scientiam „habuisse, sed ad eam tempore proficientes pervenissent." Sicuti ergo corpora puerorum habitura non fuissent in sui principio eam perfectionem, quam postmodum acquisitura erant, ita etiam idem fuisset status animarum.

LIBER QUARTUS.

De natura pura.

Licet quid possit Deus, vel non possit, sit res difficilioris inquisitionis, a qua supersedendum esse videretur, tamen quæ circa quæstionem de possibilitate status naturæ puræ, plura occurrunt scitu digna, quæ cum natura tum integra, tum corrupta connexionem habent, alioquin Theologi præstantissimum etiam nostræ ætatis de isto doctrinæ capite copiose egerunt, de eo nos quoque disserere constituimus. In 1. hujus lib. capite explicabimus notionem naturæ puræ, et quæ illi convenire, vel non convenire deberent: in 2. agemus de omnipotentia, providentia, sapientia, bonitate, et justitia Dei, habita ratione naturæ puræ: in 3. ostendemus possibilitatem hujus naturæ.

CAPUT PRIMUM.

De notione status naturæ puræ, deque illis, quæ eidem convenire, vel non convenire deberent.

In statu naturæ puræ duo attendi debent: unum positivum, alterum negativum: prius in eo positum est, ut huic naturæ id omne tribuatur, quod est connaturale naturæ humanæ, illique secundum propria principia convenit. Hinc in ista natura homo esset intellectu, et voluntate præditus, haberet omnes facultates naturales ad operandum, aliunde autem non solum morti obnoxius foret, sed etiam ægritudinibus corporis, atque etiam appetitus sensitivos insurgentes contra rationem experiretur. Alterum autem, quod vocavimus negativum, in eo consisteret, ut homo conditus in natura pura foret sine gratia sanctificante, sine virtutibus infusis, sine auxiliis gratiæ ordinis supernaturalis, peccato tamen originali non nasceretur infectus, sicut etiam esset immunis ab iis omnibus malis, quæ ex peccato originali consequuntur.

Finis ultimus, seu beatitudo objectiva hominis in hoc statu, foret Deus, non quatenus est auctor supernaturalis, sed quatenus secundum nostrum intelligendi modum consideratur ut auctor naturæ, non vero ut auctor gratiæ. Beatitudo formalis consisteret in conjunctione perfecta cum Deo auctore naturæ, eaque tum a cognitione Dei auctoris naturæ per effectus, tum etiam a dilectione illius, per adhæsionem voluntatis proficisceretur. Neque defutura fuissent in hoc statu auxilia, ordinis tamen naturalis, quibus homo appetitus sensitivos contra rationem insur-

gentes reprimere, legis naturæ mandata servare, et ad ultimum finem pervenire posset.

Tres de hoc statu naturæ puræ sententiæ circumferuntur: prima est illorum, qui hunc statum esse absolute impossibilem censuerunt. Ita, ut omittam antiquiores, sensit Bajus, qui docuit, sicut constat ex propositionibus 5. 7. 9. et 26. ab Ecclesia proscriptis, integritatem primi hominis non fuisse indebitam exaltationem humanæ naturæ, sed naturalem conditionem illius. Fieri autem non potest, ut sit homo sine iis, quæ illius naturalis conditio exigit, semel ac nullum in natura peccatum præsupponatur, ideoque, Baji errore semel posito, status naturæ puræ absolute dari non potest. Jansenius lib. 1. *De Nat. pura* cap. 5. Negat *omnem possibilitatem illius;* lib. 2. cap. 14. dicit, illum statum esse *injuriosum Deo, et impossibilem*; lib. 3. cap. 12. Deum futurum *injustum*, si miserias naturæ puræ aut permissive, aut positive inferret: cap. 13. Deum futurum *crudelem*, possibilitate naturæ puræ semel admissa: cap. 15. ex ea consequi diversas impietates, videlicet *blasphemiam in Deum. et Manichæismum.* Quesnellius una cum Bajo sensit, *gratiam Adami esse sequelam creationis, et debitam naturæ sanæ, et integræ*, sicuti ex 35. damnata propositione constat. Unde quoad hanc rem eadem ipsius, ac Baji, sententia fuit.

Altera sententia est illorum, qui statum naturæ puræ impossibilem esse censent: *Non quidem absolute in se, et ratione omnipotentiæ divinæ, sed ex quadam decentia, quatenus infinitæ Dei bonitati, justitiæ, et sapientiæ minus conveniens est* (a).

Tertia demum est sententia illorum, qui statum naturæ puræ simpliciter dari posse tuentur, nihilque, eo semel posito, consequi statuunt, quod non solum potentiam Dei, sed etiam cetera attributa non deceat. Differunt hi tamen inter se in explicanda conditione hujusmodi status, habita potissimum ratione ejus concupiscentiæ, quæ in illo dominaretur: quidam enim volunt, concupiscentiam effrænem, qualis nunc est in nobis, in illo statu futuram esse, alii autem censent, concupiscentiam illius status futuram non omnino quidem subditam rationi, tamen non ita effrænem, qualem nos modo post peccatum experimur. Priorem sententiam una cum aliis etiam plures Thomistæ tuentur, alteram inter alios Thomistas tenet Lemosius Tract. 1. *De Læsione liber. arb. per peccat. origin.* cap. 5. et 16., tenet et Serrius Tract. 3. *De Variis hum. natur. stat.* disput. 1. prælect. 4. tenent etiam alii extra scholam D. Thomæ. Nunc pluribus propo-

(a) Ita enim aliis Auctor *System. Augustiniani* quæst. 10. *De Div. Grat.*

sitionibus explicabimus, quæ statui naturæ puræ convenire, vel non convenire deberent.

Prop. 1. Concupiscentia effrænis, qualis nunc est in nobis, in statu naturæ puræ non debet admitti.

Prob. prop. S. Augustinus lib. 2. *Oper. Imperf.* cap. 189. loquens de lege peccati, quæ repugnat legi mentis, ait: *qua pœna omnis homo nascitur.* Lib. 4. cap. 23. et Manichæum, qui a principio malo concupiscentiam repetebat: et Julianum, qui eam esse quoddam bonum affirmabat, inde refelli colligit Augustinus, quia Ambrosius dicens concupiscentiam esse ex prævaricatione primi hominis, explicavit, quod de illa Joannes affirmaverat, videlicet concupiscentiam a Patre non esse: „Ergo (inquit) ut et tu redarguaris, et Manichæus, illud, quod dicit „Joannes Apostolus, Episcopus exponit Ambrosius. Quod enim „per prævaricationem primi hominis in naturam vertit, non utique Deo coæternum malum est: taceat ergo Manichæus; et tamen malum est: taceat ergo Julianus." Eadem tradit S. Augustinus cit. oper. lib. 5. cap. 5., lib. 9. *De Peccat. merit. et remiss.* num. 4. atque in aliis pluribus locis contra Pelagianos.

Alterum S. Augustini principium est, quod nunquam non urget contra eosdem Pelagianos, miserias, quibus humana natura modo premitur, esse irrogatas propter peccatum. Id inculcat lib. 1. *Oper. Imperf.* cap. 25. 29. 34., lib. 2. cap. 16. 18. 21. 31., lib. 3. cap. 44. lib. *De Nat. et Grat.* num. 79. *De Peccat. meritis, et remiss.* num. 67. Profecto inter miserias, quibus humana natura modo premitur, præcipuum locum effrænis illa concupiscentia habet, cui semel ac omnino obsequamur, ipsis brutis deteriores efficimur.

Ex his autem ita colligo: in statu naturæ puræ originale peccatum non præsupponitur: ergo nulla quoque earum pœnarum, quæ ad peccatum originale consequuntur, in illo præsupponatur oportet: sed effrænis concupiscentia, qua modo cruciamur, est pœna peccati originalis, sicuti S. Augustinus ubique inculcat contra Pelagianos: ergo hujusmodi effrænis concupiscentia in statu naturæ puræ nullum locum habere potest. Quod autem de concupiscentia dicimus, idem affirmamus etiam quoad alios defectus, quatenus ii consequuntur ad peccatum originale. Neque enim in natura pura, quæ præsupponitur expers peccati originalis, admitti potest, quod in pœnam ejusdem peccati nunc humanæ naturæ inflictum esse, traditum habemus. „In quantum vero concupiscibilis (ita ad rem nostram Lemosius Tract. 1. *De Læsione lib. arb. per peccat. orig.* cap. 5.) destituitur ordine ad „delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiæ. Concupiscentia autem destituta tali ordine rationis est absque dubio concupiscentia non superabilis per rationem, quæ concupiscentia est secundum apertam S. Thomæ sententiam contra

„ naturam, et materiale peccati originalis, et nullo modo naturalis „ esset homini, si in puris naturalibus conderetur, ut ex allatis S. „ Thomæ constat, et infra dicendis constabit apertius. Hæc in S. P. „ Augustino et S. Thoma sunt apertissima. Quæ certe vulnera sic „ explicata in homine condito in puris naturalibus non essent, nec in „ illo illa vel S. P. Augustinus, vel S. Thomas unquam vel a longe „ constituerunt." Unum tantum in hanc rem Angelici locum in medium afferam. „ Quia in homine concupiscibilis regitur ratione „ (inquit ipse 1. 2. quæst. 82. art. 3. ad 1.) in tantum concu- „ piscentia est homini naturalis, in quantum est secundum ra- „ tionis ordinem. Concupiscentia autem, quæ transcendit limites „ rationis, inest homini contra naturam, et talis est concupis- „ centia originalis peccati."

Neque est, cur dicatur, mortem propter peccatum intrasse in hunc mundum, et tamen ab hac non essent immunes homines in statu naturæ puræ: nam etiam primus homo morti obnoxius fuit, si attendatur ad principia, quibus componebatur intrinsecus; tamen virtute justitiæ originalis, sicut jam explicavimus, hoc quoque accepit, ut corpus illius omnino subderetur animæ, indeque esset immunis a morte quoadusque acceptam justitiam retineret. Porro justitia originalis intrinsecam cum supernaturali gratia gratum faciente connexionem habebat, et ab illa, sicuti a radice proficiscebatur, quemadmodum tradit S. Thomas quæst. 4. *De Malo* art. 2., 1. part. quæst. 95. art. 1., quæst. 100. art. 1., 1. 2. quæst. 109. art. 3. Hæc autem gratia, hæc justitia originalis in natura pura nullum locum habet.

Prop. II. Proclivitas ad peccandum in natura pura non fuisset eadem, ac nunc est in natura corrupta: tamen ad non peccandum facilitas non fuisset eadem, ac fuit in natura innocente.

Prop. prior pars prop. S. Augustinus lib. 3. *Cont. Julian.* num. 60. tradit ob peccatum originale *in pejus totam mutatam fuisse naturam*; eodem lib. num. 67. propter peccatum originale factum esse *dæmonum ludibrium genus humanum, et laboriosæ miseriæ destinatam propagationem humanam*: lib. 1. *Oper. Imperf.* cap. 25. 29. et 35., semel sublato originali peccato, futuras injustas, quas nunc patimur, miserias vitæ humanæ. Inter præcipuas autem hujus vitæ miserias proclivitas ad peccandum quam nunc habemus, recenseatur oportet: propter eam enim præcipue contingit, ut genus humanum evadat ludibrium dæmonum, et laboriosæ miseriæ humana propagatio destinata sit. Sed nihil horum in natura pura, peccato originali non infecta, præsupponi potest, quum peccatum originale ab ea excludatur: igitur proclivitas ad peccandum in natura pura non fuisset eadem, ac nunc est in natura corrupta; contra ac sensit Vasquesius Disp. 128. in 1. part. D. Thomæ. Quare sicuti concupiscibilis non fuisset in natura pura ita effrænis, si-

cut nunc est in natura corrupta, ita etiam irascibilis: quum ergo etiam ex effræni tum concupiscibili, tum irascibili proclivitas ad peccandum nunc oriatur; dicendum sane semper est, proclivitatem ad peccandum eamdem non esse futuram in natura pura, ac nunc est in natura corrupta.

Prob. altera pars. Profecto sicuti in natura pura nihil illorum admitti debet, quæ in natura corrupta propter originale peccatum inducunt quamdam singularem proclivitatem ad peccandum; ita neque etiam admitti debet naturæ innocentis justitia originalis, qua fiebat, sicut animadvertimus hujus disput. lib. 2. cap. 4. ut anima cum suis potentiis perfecte subderetur Deo, potentiæ sensitivæ rationi, et corpus animæ. Hac autem rectitudine ordinis tum quoad animam, tum quoad corpus semel posita, abstinere a peccato homini quodammodo naturale erat, non quatenus ex sua virtute, aut ex principio naturali id præstare posset, sed quia ita divinitus erat illius ordinata natura, ut quam facillime ab omni peccato abstinere valeret. Quum ergo nihil supernaturale, propterea que etiam nulla justitia originalis in natura pura admitti debeat, inde sane consequitur, ut major foret proclivitas ad peccandum in natura pura, quam in innocente fuerit.

Prop. III. Homo in statu naturæ puræ perfectius, quam in natura corrupta, nosceret præcepta legis naturæ, ipsumque Deum uti ultimum naturalem finem rerum omnium.

Prob. prior pars prop. S. August. lib. *De Nat. et Grat.* num. 81. affirmat, *ignorantiam, et difficultatem* esse pœnam justam, quæ *venit de damnatione primi hominis*, non vero *esse* naturam hominis cum ea incipere. Lib. 22. *De Civit. Dei* cap. 22. num. 1. *horrendam profunditatem ignorantiæ, ex qua omnis error existit*, recenset inter mala, quibus humanum genus obnoxium est propter peccatum Adæ. Ratio autem eo facilius detegit, quæ sunt rationis, quæque cognoscuntur ex illius principiis, quo minoribus ignorantiæ tenebris fuerit involutae quum ergo in natura pura non possit præsupponi ea ignorantia, quæ in totum humanum genus ob originale peccatum profluxit, recte colligitur, quod homo in statu naturæ puræ facilius, quam in natura corrupta, legis naturæ præcepta assequeretur.

Prob. altera pars. Apostolus *Roman.* 1. 19. et seq. ita habet: *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas, ita ut sint inexcusabiles.* Apostolus hoc in loco supponit, Ethnicos novisse Deum, quod sane illis verbis indicat: *quia quod notum est Dei*, videlicet, sicut advertit Angelicus lect. 6. in cit. cap. *Quod cognoscibile est de Deo ab homine per rationem, manifestum est in illis;*

id est (prosequitur Angelicus), *manifestum est eis ex eo, quod in illis est, id est, ex lumine intrinseco.* Deinde quando dicit: *Deus illis manifestavit*, ostendit a quo principio hujusmodi cognitionem habuerint. Quoad hoc autem attendi debet, sicut Angelicus attendit, unum hominem quod sentit interius, manifestare alteri signis aliquibus exterioribus, scilicet voce, vel scripto, Deum autem, quæ vult cognita esse hominibus, manifestare illis vel infusione luminis, interioris, vel proponendo suæ sapientiæ signa exteriora (a). „Sic ergo Deus (inquit Angelicus) illis manifestavit, vel interius infundendo lumen, vel „exterius proponendo visibiles creaturas, in quibus, sicut in „quodam libro Dei cognitio legeretur." Tandem dum ait: *invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, rationem indigitat, qua hujusmodi cognitionem acceperunt. Sub nomine autem *invisibilium*, sicuti ibidem habet Angelicus, primo intelligenda venit essentia Dei, quæ ideo dicitur: *invisibilia*, quia non est cognita nobis, prout est in se. „Aliud autem (inquit S. Doctor) quod de Deo cog„noscitur, est virtus ipsius, secundum quod res ab eo pro„cedunt, sicut a principio... Tertium cognitum est, quod di„cit: *et Divinitas*, ad quod pertinet, quod cognoverunt Deum „ut ultimum finem, in quem omnia tendunt." Ex his autem omnibus ita colligo: Gentes ex iis, quæ facta sunt, Deum, et illius attributa novisse, atque intellexisse, eum esse omnium primum principium, et ultimum finem, ab Apostolo traditum habemus: ergo id omne multo magis, potiorique jure noscerent omnes geniti in statu naturæ puræ, quum in eo non laborarent eadem ignorantia, qua Gentes propter peccatum originale laborarunt

Prop. IV. Præter supernaturalem dilectionem Dei, uti auctoris supernaturalis, est etiam admittenda naturalis dilectio Dei, uti auctoris naturalis, quæ sane dilectio Dei super omnia esse debuisset in hominibus in statu naturæ puræ.

Prob. prior pars prop. Apostolus *Roman.* 1. 20. et seq. dicit, gentes fuisse inexcusabiles: *Quia quam cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Duplici modo eas cognitionem Dei habuisse advertit Angelicus lect. 7. in cit. cap. *Uno modo sicut omnibus supereminentem, et sic ei debebant gloriam, et honorem, quæ superexcellentibus debentur... 2. cognoverunt eum, sicut omnium bonorum causam.* Quia ergo gentes hac Dei, prout est auctor naturalis, cognitione acquisita ex contemplatione rerum naturalium, non autem supernaturaliter infusa, Deum cognoverunt, affirmat Apostolus, eas propter ignorantiam ab eo excusari non posse, quod Deum

(a) Psal. 42. 3. Eccles. 1. 10.

non glorificaverunt. Profecto glorificatio cognitioni respondere debebat: sed cognitio erat ordinis naturalis: ergo et glorificatio, quam Deo præstare debuissent, et amor in glorificatione contentus, erant ordinis naturalis.

Et re quidem vera, sicut Angelicus docet lect. 4. in cap. 13. epist. 1. ad *Corint.* „Amor est quædam vis unitiva... Nos „autem habemus duplicem conjunctionem cum Deo: una est „quantum ad bona naturæ; alia quantum ad beatitudinem, in „quantum nos hic sumus participes per gratiam supernæ felici„tatis, secundum quod est hic possibile... Secundum primam „communicationem ad Deum est amicitia naturalis, secundum „quam unumquodque, secundum quod in se est, Deum, ut „causam primam, et summum bonum appetit, et desiderat ut „finem suum: secundum vero communicationem secundam est „amor caritatis, quo solum creatura intellectualis Deum dili„git." Eadem habet S. Doctor 2. 2. quæst. 26. art. 3. Hæc doctrina Angelici ex eo principio confirmatur, quod statuit S. Anselmus in *Monologio* cap. 49., alias 47., quod est hujusmodi: *Otiosa namque, et penitus inutilis est memoria, et intelligentia cujuslibet rei, nisi prout ratio exigit, res ipsa ametur, aut reprobetur.* Nam cognitionem boni sequitur naturaliter amor illius, sed in nobis est duplex cognitio Dei, videlicet una, ut auctoris naturalis, per rationem naturalem acquisita, altera supernaturalis, habita per fidem, atque infusa divinitus: ergo et duplex amor.

Hoc sane est, quod constat etiam ex definitione Ecclesiæ in condemnatione quarumdam Baji propositionum. Brevitatis gratia nunc sistimus in una tantum illarum, videlicet in 38., quæ est hujusmodi: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditatis, aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.* In hac sane propositione Bajus nullam censuram inurit contra sentientibus, unde a nemine contra reponi potest, eam esse damnatam propter censuram, quæ in illa continetur. Quare nunc ita. Hac in propositione Bajus omnem amorem, qua late patet, aut vitiosam cupiditatem, qua diligitur mundus, aut laudabilem caritatem, quæ habetur a Spiritu Sancto, esse dicit, nullumque medium admittit inter vitiosam cupiditatem, et laudabilem caritatem: sed Ecclesia hanc propositionem illius damnavit: ergo medium quemdam amorem admisit, qui non esset aut vitiosa cupiditas, aut laudabilis caritas: hic autem medius amor non potest esse alius, quam ordinis naturalis, qui respiciat Deum auctorem ejusdem ordinis: ergo.

Hujusmodi autem amor est ille sane, quo homines in statu naturæ puræ Deum complecti debuissent propter naturalem cognitionem, quam de illo habuissent, sicuti *omnibus supereminentem, et omnium bonorum causam.* Nam sicut ex Apostolo no-

vimus, gentes, licet infectæ peccato originali, fuerunt inexcusabiles, quia quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt: ergo homines in statu naturæ puræ, utpote expertes ejus ignorantiæ, quæ ab originali peccato profluit, magis Deum cognovissent, magisque etiam fuissent inexcusabiles, si non glorificassent sicut Deum.

Verum quidem est, sicut Adversarii nobis opponunt, neque ab Augustino, neque a Conciliis fieri distinctam mentionem dilectionis Dei, prout est auctor naturalis: at nemo ignorat, Augustinum semper disputasse contra Pelagianos, hostes divinæ gratiæ, quæ ad actus supernaturales, et supernaturalem felicitatem assequendam requiritur. Mirandum ergo non est, si de amore erga Deum, quatenus est auctor naturalis, sermonem, saltem singulariter, atque distincte, non habuerit. Quod autem spectat ad Concilia non hoc idem tantum adverti debet, sed etiam illud quoque, videlicet ab eis superaddi: *sicut oportet ad salutem*, vel, *ut justificationis gratia conferatur*, quando ad intelligendum, credendum, atque agendum gratiam supernaturalem necessariam esse definierunt.

Prop. V. Homo in statu naturæ puræ cum solo generali concursu Dei proportionato huic statui per aliquod breve tempus Deum, uti auctorem naturæ, super omnia diligere potuisset, et implere cuncta præcepta legis naturæ.

Prob. prop. Quamvis enim in hoc statu non haberetur ea subjectio animæ ad Deum, virium inferiorum ad rationem, corporis ad animam, quæ ex justitia originali proficiscebatur; tamen semper dicendum est, nullum in ea natura peccatum futurum fuisse, nullum vulnus in naturalibus, propter quod et anima Deo, et vires inferiores rationi, et corpus animæ singulari quadam ratione non subderentur: nihil ergo facilius, quam ut homo in hoc statu cum solo generali concursu Dei proportionato eidem statui per aliquod breve tempus Deum, uti auctorem naturæ, super omnia diligere potuisset, et implere cuncta præcepta legis.

Prop. VI. Homo in statu naturæ puræ cum eodem generali concursu Dei totam legem diu, et multo minus usque ad finem vitæ servare non potuisset; tamen potuisset utrumque adjutus extraordinariis auxiliis Dei in sui substantia naturalibus.

Prob. prop. Quum enim justitia originalis hoc in statu non haberetur, consequens inde est, ut neque anima esset omnino subdita Deo, neque vires inferiores rationi, neque corpus animæ: propter hujusmodi defectum contingere debebat, ut, solo interveniente generali concursu Dei, deficiente autem singulari, ipsa anima ad longum tempus non servaret subjectionem debitam Deo, vires inferiores contra rationem quandoque prævalerent, et corpus contra animam rebellaret. Non potuisset igitur homo in sta-

tu naturæ puræ cum solo generali concursu Dei diu, multoque minus usque ad finem vitæ totam legem servare.

Id tamen potuisse adjutum singulari, et extraordinario auxilio Dei, attamen ordinis naturalis, nullus sane negaverit.

Prop. VII. Divinæ providentiæ, atque bonitati omnino consentaneum est putare, futurum fuisse, ut Deus in statu naturæ puræ ea auxilia ordinis naturalis hominibus conferret, quibus ipsi possent et servare totam legem, et usque ad finem vitæ in ea servanda persistere.

Prob. prop. Quod homines in eo statu non haberent, unde diu, et usque ad finem vitæ præcepta legis naturæ servare possent, eorum infelicitati tribuendum est: semel ac autem a Deo non recepissent auxilia singularia naturalis ordinis, quibus hujusmodi infirmitati prospiceretur, semper in ea infelicitate perstitissent. Id autem neque bonitati, neque providentiæ Dei est consentaneum: igitur existimare par est, in statu naturæ puræ hominibus defutura non fuisse ea auxilia ordinis naturalis, quæ ad servandam totam legem naturalem, et ad perseverandum usque in finem requirebantur.

Deinde sicuti habet S. Augustinus lib. *De Corrept. et Grat.* num. 32. „Si autem hoc adjutorium (videlicet quo possent per„manere in bona voluntate) vel Angelo, vel homini, quum pri„mum facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta „erat, ut sine divino adjutorio posset permanere, si vellet, non „utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisset, si„ne quo manere non possent." Idem vero dicendum est quoad homines in statu naturæ puræ: nam eorum quoque natura non talis facta erat, ut sine adjutorio posset permanere, si vellet: unde si hoc adjutorio homines destituti fuissent, non utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Hoc sicut repugnat providentiæ, et bonitati Dei, habita ratione naturæ innocentis: ita etiam repugnat, habita ratione status naturæ puræ.

Prop. VIII. Non repugnat, in altera vita gavisuros fuisse naturali beatitudine illos, qui conditi in statu naturæ puræ, adjuti auxiliis ordinis naturalis, usque ad finem vitæ servassent omnia præcepta legis naturæ.

Prob. prop. Nullum donum supernaturale est debitum humanæ naturæ in se spectatæ, eaque est conditio hujusmodi donorum, ut humanam naturam in se spectatam excedant, atque posita sint supra illam. Hinc Concilia, et Patres contra Pelagianos semper statuerunt, supernaturalem gratiam simpliciter necessariam esse ad quælibet opera æternæ salutis, quia salus æterna, et quidquid ad illam conducit, sunt supra vires naturæ. Id autem est affirmandum, non solum naturæ corruptæ, sed etiam innocentis habita ratione. Est enim ab Ecclesia definitum con-

tra Bajum, et Quesnellium, quæ tum Angeli, tum homo in sua prima creatione dona singularia habuerunt, fuisse dona gratiæ supernaturalis, non naturæ: qua de re nos supra egimus in præced. Disp. lib. 2. cap. 1., et in hac Disp. lib. 2. cap. 1. Ex quibus ita colligo: dona, quæ ducunt ad supernaturalem beatitudinem assequendam, ipsaque beatitudo, quiddam sunt supra naturam hominis in se spectatum, quod ex gratia Dei supernaturali proficiscitur: igitur non repugnat, ut natural. tantum beatitudine in altera vita fruantur illi, qui in statu naturæ puræ, adjuti naturali auxilio Dei, præcepta legis usque ad finem vitæ servaverunt. Neque enim in hoc statu supponi potest, homines providente a Dei esse elevatos ad statum supernaturalem, qui naturæ ordinem supergrediatur. „Carentia divinæ visionis (inquit Angelicus quæst. 4. *De Malo* art. 1. ad 14.) dupliciter competit alicui: uno modo sic, quod non habeat in se, unde possit ad divinam visionem pervenire: et sic carentia divinæ visionis competeret ei, qui in solis naturalibus esset etiam absque peccato: sic enim carentia divinæ visionis non est pœna, sed defectus consequens omnem naturam creatam, quia nulla creatura ex suis naturalibus potest pervenire ad visionem divinam. Alio modo potest competere alicui carentia divinæ visionis hoc modo, ut habeat in se aliquid, ex quo debeatur ei, quod careat divina visione, et sic carentia divinæ visionis est pœna originalis, vel actualis peccati."

Verum ut res ista magis magisque manifesta fiat, adverti debet, nos actu mentis, et voluntatis attingere beatitudinem. Beatitudo, quæ est Deus, prout cognoscitur in se, est supra conditionem humanæ mentis: beatitudo, quæ est Deus, quatenus cognoscitur per ea, quæ facta sunt, non excedit conditionem mentis humanæ. Ad rationem autem spectat determinare objectum, in quo beatitudo reponitur. Recta ratio adjuta lumine gratiæ divinæ illam constituit in Deo, prout est in se: eadem recta ratio lumine naturali videt beatitudinem esse in Deo reponendam, quatenus ipse Deus cognoscitur per ea, quæ facta sunt: ratio prava, et falsa beatitudinem reponit in rebus creatis, quatenus sunt delectabiles. Huic triplici cognitioni triplex amor respondet, scilicet supernaturalis, naturalis, et vitiosus. Nunc prout spectat ad rem nostram de beatitudine naturali, quæ ex cognitione naturali recta, et amore naturali item recto profluit. Hanc sane Angelicus, quam vocat *quodammodo beatitudinem*, ab initio *virtute suæ naturæ* fuisse Angelos consecutos, tradit 1. p. quæst. 62. art. 1. Hæc vero illa quoque est, quam homines consequuti fuissent, semel ac in statu naturæ puræ, dum hic viverent, servassent usque in finem præcepta legis naturæ. Nam inclinatio naturalis ad beatitudinem in eis quoque inanis esse non poterat: bonum supernaturale eorum beatitudo non respiciebat, quia ne-

TS COLLEGE LIBRARY

que mente, neque corde ad illud divina gratia elevati supponuntur: non respiciebat bonum creatum, quatenus in eo rationem ultimi finis non posuisse præsupponitur: respiciebat ergo Deum, quatenus ex creatis ipse Deus cognoscitur, et amatur. Quare dicendum est, eam futuram fuisse positam in quadam cognitione sublimissima Dei ut auctoris naturæ, sicuti in quadam mercede illius inferioris cognitionis, et dilectionis Dei, quam hoc in mundo habuissent.

Imaginem Dei non excludendam a regno Dei, semel ac nullo eam peccato infectam esse supponatur, S. Augustinus lib. 1. *Cont. Julian.* num. 56., lib. *De Peccat. merit. et remiss.* num. 58., lib. 1. *Oper. Imperf.* cap. 64., lib. 3. cap. 9., atque alibi sæpe urget contra Pelagianos, eisdemque pluries opponit, parvulos excludi non posse a regno cælorum, si nullo peccato originali infecti essent, sicut Pelagiani contendebant, propterea que ajebant, baptismate non deleri in infantibus peccatum originale, sed propter illud eosdem consequi regnum cælorum.

Verum hæc tota argumentatio Augustini contra nostram sententiam nullo modo facit: diversa est enim natura, de qua modo loquimur, a natura, de qua disputabat S. Augustinus contra Pelagianos. Nos loquimur de natura, quæ nullo modo sit elevata ad supernaturalia; Augustinus autem loquebatur de natura elevata ad supernaturalia: de qua re nulla inter Augustinum, et Pelagianos contentio erat. Sicut autem quæ de natura corrupta dicuntur, ad innocentem applicari non possunt, et quæ de ista, ad illam referri non debent; ita etiam quæ de natura elevata ad ordinem supernaturalem dixit Augustinus, præter omnem rationem referuntur ad statum naturæ puræ, in qua carentia divinæ visionis, sicuti modo vidimus ex D. Thoma, non esset pœna, sed defectus consequens naturam creatam. Argumentatio autem Augustini Pelagianos solide premebat: est enim hujusmodi: parvulis ante baptismum a quacumque culpa facitis immunes, ideoque eis tribuitis jus ad vitam æternam: ergo licet moriantur sine baptismate obtinebunt vitam æternam, ac propterea regnum cælorum, in quo illa posita est, alioquin injuste ageret Deus, quoniam denegaret vitam æternam parvulo innocenti, qui jus habet ad illam.

CAPUT SECUNDUM.

De potentia, providentia, sapientia, bonitate, et justitia Dei, habita ratione naturæ puræ.

Sicuti monuimus initio cap. præced., alii absolute in se, atque etiam habita ratione omnipotentiæ Dei, statum naturæ puræ impossibilem esse tuentur: alii vero non absolute in se, et ra-

tione divinæ omnipotentiæ, sed ex quadam decentia, quatenus ille infinitæ bonitati Dei, justitiæ et sapientiæ minus conveniens est. Sententiam istorum nunc refutabimus, et præmissis iis, quæ necessaria sunt ad explicationem totius quæstionis: 1. ostendemus, id nimirum, quod est conveniens respectu unius attributi divini, esse quoque conveniens respectu aliorum attributorum, et quod est minus conveniens respectu aliquorum attributorum, esse etiam minus conveniens respectu unius, aut alterius attributi; propterea que semel ac admittatur, statum naturæ puræ esse minus convenientem infinitæ bonitati, justitiæ, et sapientiæ Dei, talem quoque, esse debere omnipotentiæ Dei, adeoque, quum cadere non possit sub omnipotentia Dei, quod non est illi conveniens, etiam respectu ejus, statum naturæ puræ impossibilem esse, inde necessario consequi: quod tamen non volunt ii, contra quos modo pugnamus: 2. palam faciemus, statum naturæ puræ neque etiam absolute in se, et ratione omnipotentiæ possibilem esse, si attendamus ad ea, quæ iidem consequi multiplici argumentatione contendunt, semel ac status naturæ puræ possibilitas admittatur. Ex his autem duobus etiam de falsitate prioris sententiæ omnino constabit.

I. Animadvertimus, Deum esse ens simplicissimum, quod nullam in se divisionem, aut distinctionem patitur: sicut enim inquit S. Augustinus lib. 6. *De Trinit.* num. 6. *Deo hoc est esse, quod est fortem esse, aut justum esse, aut sapientem esse, et si quid de illa simplici multiplicitate, vel multiplici simplicitate dixeris, quo substantia ejus significatur.* Huc sane tendunt ea omnia, quæ Angelicus 1. p. quæst. 3. copiose disseruit de simplicitate Dei.

II. Ex hoc principio illud consequi animadvertimus, divina attributa realiter ex sui natura vel ab essentia divina, vel inter se distingui, esse errorem contra fidem, quem nos jam refutavimus, quando egimus de attributis divinis. Licet vero Deus secundum unam, eamdemque rationem perfectus sit, tamen intellectus noster, sicut inquit Angelicus in I. *Sent.* dist. 2. quæst. 1. art. 3. „unica conceptione non potest integre „perfectionem ejus apprehendere, et per consequens nec no„minare; et ideo oportet, quod diversas conceptiones de eo „habeat, quæ sunt diversæ rationes, et quod diversa nomina „imponat significantia rationes illas.... Sic ergo patet, quod „pluralitas nominum venit ex hoc, quod ipse Deus nostrum „intellectum excedit." Unde sicut pergit advertere idem Angelicus, divinorum attributorum distinctio virtualis non solum ab imbecillitate intellectus nostri, sed etiam ab ipso Deo repeti debet: „Unde patet (inquit) quod pluralitas istarum rationum „non tantum est ex parte intellectus nostri, sed etiam ex par„te ipsius Dei, in quantum sua perfectio superat unamquam-

„ quæ conceptionem nostri intellectus. Et ideo pluralitati ista-
„ rum rationum respondet aliquid in re, quod Deus est: non
„ quidem pluralitas rei, sed plena perfectio, ex qua contingit,
„ ut omnes istæ conceptiones ei aptentur."

III. Ex quo animadvertimus, distinctionem, quam inter attributa divina intellectu nostro concipimus, talem esse debere, ut in Deum, etiam quatenus intelligitur a nobis, cadere possit. Semel ac autem dicatur, quod est uni attributo convenienus, v. gr. potentiæ, non convenire aliis, scilicet bonitati, justitiæ, et sapientiæ; tunc sane ea distinctio, quam inter attributa divina intellectu nostro concipimus, in Deum cadere non potest. Nam ex hoc consequitur, ut mente concipiamus rem eamdem simplicissimam, quæ in sua simplici multiplicitate, et multiplici simplicitate continet omnem plenitudinem perfectionis, uti divisam in partes, quæ aliquam contrarietatem inter se habeant, quatenus quod est conveniens uni, non convenit alteri.

Nunc pauca de potentia Dei. Advertit Angelicus 1. p. quæst. 25. art. 5., alium ordinem præter illum, qui nunc est, a Deo esse non posse, inde aliquos falso putasse, quia Deus ex necessitate naturæ ageret; alios autem existimasse, potentiam divinam determinatam esse ad hunc ordinem propter ipsum *ordinem sapientiæ, et justitiæ divinæ, sine quo Deus nihil operatur.* Rejecta ergo falsitate sententiæ prioris, quoad alteram advertit, recte quidem dici, quod sub potentia Dei continetur, etiam sub ordine divinæ sapientiæ contineri, quia *Divina sapientia totum posse potentiæ comprehendit.* Superaddit vero, ordinem a divina sapientia inditum rebus, illi non ita coæquari, ut ipsa alium ordinem constituere non possit, quum in se infinita sit. *Unde* (inquit) *divina sapientia non determinatur ad aliquem ordinem rerum, ut non possit alius cursus rerum effluere.*

Hoc idem dicendum est respectu voluntatis divinæ. Finis enim voluntatis Dei est bonitas illius: „ Sed fini huic (inquit „ idem S. Doctor quæst. 1. *De Poten.* art. 5.) non commen-
„ surantur creaturæ, ita quod sine his divina bonitas manifesta-
„ ri non possit, quod Deus intendit ex creaturis. Sicut enim
„ manifestatur divina bonitas per res, quæ nunc sunt, et per
„ hunc rerum ordinem; ita potest manifestari per alias creatu-
„ ras, et alio modo ordinatas, et divina voluntas absque præ-
„ judicio bonitatis, justitiæ, et sapientiæ potest se extendere
„ in alia, quam quæ facit."

Quando divina potentia se extendit ad ea, quæ facit sive secundum potentiam ordinariam, sive secundum extraordinariam, ut dicunt, vocatur potentia *ordinata*, quia quidquid facit Deus, illud se facturum præscivit, atque præordinavit: unde potentia ordinata in se continet et ordinariam potentiam, quæ secundum communem modum, atque legem operatur, et extraordi-

nariam, quæ præter hunc ordinem, et legem operatur; refertur tamen ipsa ad alium ordinem divinæ sapientiæ, a quo dicitur ordinata. Quando autem potentia divina in se spectatur, potentia *absoluta* dicitur, quæ complectitur omne illud, sicut inquit S. Thomas 1. p. quæst. 25. art. 5. ad 1. *in quo potest salvari ratio entis.*

Prop. I. Quod est *conveniens* respectu unius attributi, debet esse conveniens etiam respectu aliorum attributorum, et quod est *minus conveniens* respectu aliquorum attributorum, debet esse minus conveniens etiam respectu unius, vel alterius attributi.

Prob. prop. non multis, quia est per se evidens. „In nobis (inquit S. Thomas cit. loco) in quibus est aliud potentia, „et essentia a voluntate, et intellectu, et iterum intellectus aliud a sapientia, et voluntas aliud a justitia, potest „esse aliquid in potentia, quod non potest esse in voluntate justa, vel intellectu sapiente. Sed in Deo est idem „potentia, et essentia, et voluntas, et intellectus, et sapientia, et justitia. Unde nihil potest esse in potentia divina, quod „non possit esse in voluntate justa ipsius, et in intellectu sapiente ejus." Quare inquit in responsione ad 2. „Deus non potest facere nisi id, quod si faceret, esset conveniens, et justum."

Ratio autem D. Thomæ, facta comparatione quorumcumque attributorum cum uno attributo, vel unius, aut alterius attributi cum aliis attributis, efficacissime probat, quod est conveniens respectu unius attributi, esse quoque debere respectu aliorum attributorum, et quod non est conveniens respectu aliquorum attributorum, non esse conveniens etiam respectu unius, vel alterius attributi. Nam, uti supra cum S. Augustino animadvertimus, Deo hoc est esse, quod est, fortem esse, aut justum esse, aut sapientem esse, et quidquid aliud de illa simplici multiplicitate, et multiplici simplicitate dicitur. Aliunde autem cum D. Thoma observavimus, quod distinctio, quam intellectu nostro inter attributa divina concipimus, non solum profluit ex imbecillitate nostri intellectus, propter quam mente quodammodo dividimus illud infinitum simplicissimum perfectum in multiplices perfectiones, ut illud magis distincte ea ratione, qua fieri potest, intelligamus, sed etiam ex omnimoda plenitudine perfectionis ipsius Dei, ac propterea oportet, ut quæ ab intellectu nostro distinctio inter divina attributa ponitur, omnino respondeat et simplici multiplicitati, et multiplici simplicitati. At vero et huic simplicitati, attamen multiplici, et huic multiplicitati, attamen simplici, nullus locus secundum intellectum nostrum remaneret, semel ac secundum acceptionem intellectus nostri dicatur, quod est conveniens uni attributo, non convenire aliis, aut quod non convenit pluribus attributis, convenire uni, vel alteri attributo: tunc enim illa summa simplicitas per intellectum nostrum

quodammodo discinderetur: ergo quod est conveniens respectu unius attributi, debet esse conveniens etiam respectu aliorum attributorum, et quod est minus conveniens respectu aliquorum, debet esse minus conveniens etiam respectu unius, vel alterius attributi. Unde non recte dicitur, statum naturæ puræ possibilem esse absolute in se ratione divinæ omnipotentiæ, minus tamen convenientem infinitæ bonitati Dei, justitiæ, et sapientiæ.

Ut autem omnis æquivocatio quoad rem istam e medio tollatur, advertimus, sine ullo nos errore distinguere nostro intellectu misericordiam a justitia in Deo, atque intelligere, justitiæ convenire ut peccatum puniatur, misericordiæ autem, ut illud remittatur: tunc enim supponimus ens supremum omnium, quod inter alias perfectiones est quoque justitia, et misericordia præditum, a quo propterea peccatum quandoque remittitur, quandoque non remittitur, atque etiam in æternum punitur, et modo unum, modo alterum fieri juxta suam infinitam nobis imperscrutabilem misericordiam, et justitiam. At semel ac dicatur, ut hoc peccatum æterna pœna puniatur, esse conveniens divinæ justitiæ, non vero misericordiæ; hoc alterum peccatum ut remittatur, esse conveniens divinæ misericordiæ, non justitiæ; id sane dicitur, quod repugnat, quia tunc in ente simplicissimo ponerentur attributa, quæ sibi mutuo non convenirent. Hoc vero est, quod consequitur, semel ac asseramus, statum naturæ puræ esse impossibilem, non quidem absolute in se, et ratione omnipotentiæ divinæ, sed ex quadam decentia et bonitate Dei, justitiæ et sapientiæ esse minus conveniens.

Prop. II. Si attendatur ad ea, quæ ex possibilitate naturæ puræ consequi contendunt Adversarii nostri, constat ex iisdem contra eos, statum naturæ puræ esse impossibilem etiam absolute in se, et ratione omnipotentiæ divinæ.

Prob. prop., atque in ea comprobanda sistemus tantum in iis, quæ leguntur in *Systemat. August. de Div. grat.* quæst. 10. *De Nat. pura.* Ex iis ergo aliqua solummodo gratia brevitatis in medium afferemus; et quoniam prædicta licet fusius pertractata nullis sunt distincta capitibus, indicabimus paginas, in quibus continentur, quæ exscribentur a nobis. Posita sua ratiocinatione ita infert præcitatus Auctor (a): 1. *Ergo non posset* (creatura) *diligere justitiam in illo statu: ergo necessario foret iniqua, et perversa, totaque iniquitas in Deum ejus auctorem reverteretur*: 2. Ex sua prævia ratiocinatione colligit, quod creatura in statu naturæ puræ (b): *Posset se ipsam meliorem efficere, quam a Deo facta fuisset*: 3. Ita argumentatur ex alio principio (c): *Ergo creatura rationalis constituta*

(a) Pag. 130 (Edit. Lugduni 1768.)
(b) Pag. 332. (c) Pag. 336.

in puris naturalibus se ipsam magis appretiative diligeret, quam Deum, et magis amore proprio, quam amore alterius, quantumvis excellentioris, teneretur: 4. Posita possibilitate naturæ puræ in fine suæ argumentationis ita colligit (a): *Ergo duo forent admittenda rerum principia, quod est hæresis Manichæorum*: 5. Tandem, ut alia plura omittamus, infert, quod, posito statu naturæ puræ (b): *Sanctitas, justitia, sapientia, ceteraque Dei attributa ipsi denegari possunt, imo contrariæ imperfectiones affingi.*

Ex his omnibus ita recte colligere posse mihi videor. Profecto *Deus non potest facere nisi id, quod si faceret, esset conveniens, et justum*; inquit S. Tomas 1. p. quæst. 25. art. 5. ad 2.: quod sane apud omnes certissimum esse debet. Porro non solum non est conveniens, et justum, sed etiam repugnat et absolute in se, et ratione omnipotentiæ divinæ, ut Deus facere possit creaturam rationalem, quæ non valeat diligere justitiam in eo statu, in quo condita est, indeque non solum illa foret iniqua, et perversa, sed etiam iniquitas in Deum auctorem retorqueatur, quia, hoc semel posito, Deus, quod scribere horreo, et esset fons iniquitatis et iniquitatem communicaret. Item non solum non est conveniens, et justum, sed etiam repugnat et absolute in se, et ratione omnipotentiæ divinæ, creaturam rationalem condi posse a Deo, quæ sua virtute se ipsam facere possit meliorem, quam a Deo facta fuerit, quia tunc bonitas creaturæ supra Dei bonitatem extenderetur. Item non solum non est conveniens, et justum, sed etiam repugnat et absolute in se, et ratione divinæ omnipotentiæ, ut creatura rationalis in tali statu condi possit, in quo, ejusdem status habita ratione, se ipsam magis appretiative diligeret, quam Deum, et magis amore proprio teneretur, quam alterius, quantumvis excellentioris: tunc enim Deus non esset amplius Deus respectu hujusmodi creaturæ. Item non solum non est conveniens, et justum, sed etiam repugnat et absolute in se, et ratione omnipotentiæ divinæ, Deo possibilem esse rationalis creaturæ creationem, ex qua consequeretur, ut et duo admitti deberent rerum principia, unum mali, alterum boni, et sanctitatem, sapientiam, justitiam, ceteraque Dei attributa ipsi denegari possent: si hæc enim Deum posse ponamus, tunc non amplius solus Satan, sed etiam Deus, si attendatur ad omnipotentiam illius, foret contra se divisus.

Modo ad nostrum propositum. Argumenta, quæ nobis opponit præcitatus Auctor una cum aliis Auctoribus ejusdem, ac ipse, sententiæ, aut sunt efficacia ad persuadendum id, quod ipse contendit; aut non sunt efficacia: si prius dicatur; tunc sane

(a) Pag. 381. (b) Pag. 384.

tum contra ipsum, tum contra alios Auctores ejusdem sententiæ sequitur, quemadmodum modo ostendimus; statum naturæ puræ impossibilem esse etiam absolute in se, et ratione omnipotentiæ divinæ: quod tamen ipse negat; si autem alterum; nullam illa in se continent firmitatem, uti constat etiam ex iis, quæ cap. præced. disseruimus.

Jansenius contra possibilitatem status naturæ puræ iisdem quidem, atque aliis similibus pugnavit argumentis, verum licet frustra, et contra veritatem rei; tamen dum hoc fecit, sibi ipsi adversatus non fuit, quum statum naturæ puræ absolute in se impossibilem esse voluerit.

CAPUT TERTIUM.

De possibilitate naturæ puræ.

Possibilem revera esse statum naturæ puræ, qualem cap. 1. explicavimus, nunc ostendemus. Quoniam vero contra nos hac in re sentientes, auctoritati S. Augustini potissimum fidunt, atque etiam auctoritatem Angelici in adjutorium sui vocant, aliundeque contendunt, consequentiæ Theologicæ nullum contra se locum esse, habita ratione illarum definitionum, quæ ab Ecclesia prodierunt, tribus propositionibus hanc totam rem conficiemus: in 1. ostendemus, statum naturæ puræ possibilem esse, S. Augustinum sensisse: in 2. idem tenuisse etiam Angelicum præceptorem: in 3. nostram sententiam habere maximam conformitatem cum definitionibus Ecclesiæ.

Prop. 1. Possibilem esse statum naturæ puræ, sensit S. Augustinus.

Prob. prop. S. Augustinus in lib. 3. *De Lib. Arb.*, sicut in duobus prioribus fecerat, disputat contra Manichæos, *qui ex ignorantia, difficultate, et mortalitate*, quibus subest humana natura, contendebant, malum primum principium admittendum esse, a quo illa proficiscerentur: contra eos ergo ostendit S. Doctor, Deum bonum propter hujusmodi mala hominum culpari non posse, atque id præstat sola ratione, quoniam, sicuti ipse habet lib. 1. *Retract.* cap. 9. num. 6. Manichæi Scripturas veteris Testamenti, in quibus sermo est de peccato originali, non admittebant, Novi autem Scripturis *detestabili impudentia immissum fuisse contendebant a corruptoribus*, quidquid in eis traditur de propagatione peccati originalis. Postquam ergo dixit S. Doctor in cit. lib. num. 55. cum ignorantia, difficultate, et mortalitate nos ex primis parentibus ideo nasci, quia ipsi propter peccatum in errorem, ærumnam, et mortem inciderunt, superaddit, summo Deo justissime placuisse: *Ut in ortu hominis originaliter appareret justitia punientis, et in provectu misericordia*

liberantis. Recenset num. 56. et seqq varios modos productionis animarum, ex quibus Deum culpandum non esse colligit, quamvis homo nascatur subjectus ignorantiæ, difficultati, et mortalitati. Primo loco num. 56. ponit hypothesim originis omnium animarum ex una anima: et hac posita, ita habet: *Quis potest dicere non se peccasse, quum primus ille peccavit?* 2. Mentionem facit alterius hypothesis, juxta quam *animæ singillatim fiunt in unoquoque nascentium*, et hac data hypotesi, dicit: *Non esse perversum, immo convenientissimum, et ordinatissimum, ut malum meritum prioris naturæ sequentis sit.* 3. Commemorat eam hypothesim, qua statuitur, quod *altera talis anima esse cœpit non solum ante peccatum, sed etiam ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est.* Hujusmodi animam dicit: *Non parvum bonum habere, unde Conditori suo gratias agat.* Hac in hypothesi esse possibilitatem naturæ puræ mox ostendemus, nunc vero duas reliquas hypoteses expendamus. 4. S. Doctor num. 57. proponit hypotesim, juxta quam animæ jam existentes a Deo mittantur ad regendum corpus: *Quod de pœna peccati, hoc est, mortalitate primi hominis nascitur, indeque subeant etiam necesse est et oblivionem vitæ prioris, et præsentis laborem, unde illa ignorantia, et difficultas consequitur.* Utramque vero, scilicet ignorantiam, et difficultatem, vel ipsis animabus, vel Creatori *tamquam culpandam* tribui posse negat. 5. Tandem num. 58. eam hypotesim in medium adducit, secundum quam animæ alibi viventes non a Deo immitterentur, sed sua sponte ad inhabitanda corpora venirent, et affirmat: *Quidquid ignorantiæ, difficultatisque sequutum fuerit eorum propriam voluntatem, nullo modo Creatorem hinc esse culpandum.* Loquitur autem hic quoque de corpore, quod *de pœna peccati nascitur*. Utilitas distinctæ recensionis harum hypothesum in progressu nostræ argumentationis sese prodet. Unum tantum modo advertimus, quod ad rem nostram quam maxime facit, hoc est, in omnibus hisce hypothesibus, excepta tertia, supponi naturam corruptam, seu peccatum in natura. Ad tertiam ergo hypothesim redeuntes, in ea exhiberi contendimus possibilitatem naturæ puræ. Nam hac in hypothesi Augustinus loquitur de anima, quæ *non solum ante peccatum*, sed etiam *ante omnem suam vitam* incœperit esse talis, qualis alia anima *facta est post vitam culpabilem*, hoc est, quomodo ista ignorantia, difficultate, et mortalitate detinetur, ita etiam illa detineatur. Ab homine autem in statu naturæ puræ, quamvis non sejunxerimus ignorantiam, et difficultatem; tamen id omne vitii sejungendum ostendimus, quod proficiscitur ex labe peccati originalis. Quare in hypothesi Augustini ponitur possibilis anima conditionis inferioris, ac sit nostra in statu naturæ puræ. De anima igitur illa secundum suam hypothesim affirmat S. Augustinus, ipsam *non parvum bonum*

habere, unde Conditori suo gratias agat, tum quia *quovis perfecto corpore est melior*, tum quia *facultatem habet, ut, adjuvante Creatore se ipsam excolat, et pio studio possit omnes acquirere, et capere virtutes, per quas et a difficultate cruciante, et ab ignorantia cæcante liberetur*, tum quia *parum non est ante meritum boni operis accepisse naturale judicium, quo sapientiam præponat errori, et quietem difficultati, ut ad hæc non nascendo, sed studendo perveniat*, tum quia licet hujusmodi anima in ignorantia, et difficultate nascatur, *non tamen ad permanendum in eo, quod nata est, aliqua necessitate comprimitur*, propterea que *neque omnino potuit nisi Deus omnipotens esset etiam talium Creator animarum, quas et non dilectus ipse faciat, et diligens eas reficiat, et dilectus ipse perficiat: qui et non existentibus præstat, ut sint, et amantibus eum, a quo sunt, præstat, ut beatæ sint.* Hisce autem omnibus S. Doctor possibilitatem animæ, qualis esset in natura pura, non solum quodammodo depinxit, sed etiam ostendit, eam non habituram, unde conquereretur, aliundeque etiam commendavit bonitatem Creatoris, indicavitque quænam Deus illi ad bene agendum præstiturus esset, et quo præmio eam bene agentem donaturus. Quæ sane coincidunt cum iis, quæ cap. 1. hujus lib. in pluribus propositionibus disseruimus.

Quando autem hoc in loco Augustinus ea dona commemorat, quæ hujusmodi animæ et in creatione sui, et in progressu vitæ a Deo recepissent, semper loquitur de Deo *Conditore*, et *Creatore*, non autem *Salvatore*, et *Redemptore*. Loquebatur enim de animabus, quæ ad ordinem supernaturalem non essent elevatæ, quæque adjutæ auxiliis ordinis naturalis se ipsas excolere, in virtute proficere, atque ad beatitudinem pervenire possent.

Dices. Ex iis, quæ docuit S. Augustinus in cit. lib. *De Lib. arb.* id tantum sequitur, ut homo suo creatori gratias agere debeat, in quocumque statu a Deo creatus sit, proindeque etiamsi creatus foret in statu naturæ puræ, non vero *Deum ex lege suæ providentiæ eum in isto statu creare potuisse*. 2. S. Augustinus ea de natura loquitur, in qua homo et auxilia a Deo esset recepturus, et peccaturus, si bene usus non fuisset ea facultate, quam recepisset: at *peccatum, et gratia etiam ordinis naturalis formaliter excluduntur a statu naturæ puræ*: igitur hic de natura non loquitur Augustinus. 3. *Quæ ratio hujus status impossibilitatem quantum ad durationem arguit*, videlicet ut homo in statu naturæ esse persistat tam sine peccato, quam sine gratia, arguit etiam quantum ad institutionem, ne dicatur, *Deum posse aliquid creare, quod non posset conservare*. Ita Auctor *Augustin. System.* quæst. 10. *De Nat. pura*. Superaddit alia quædam ex cap. 22. lib. 3. *De Lib arbit.*, quæ in editione Mau-

rinorum ejusdem lib. cap. 22. num. 64. et 65. aliqua ratione diversimode expressa leguntur.

R. ad hæc tria paucis. Ex verbis igitur Augustini non minus consequitur, hominem etiamsi conditus sit in pura natura, suo conditori gratias agere debere, quam talem hominem ex lege suæ providentiæ Deum condere potuisse. Nam ad legem providentiæ pectat, quæ disserit Augustinus tum de facultate hujusmodi hominis, qua, *adjuvante Creatore, se ipsum excolat*, et virtutes acquirat, tum de ignorantia, et difficultate, quæ non essent supplicium peccati, sed *proficiendi admonitio, et perfectionis exordium*, tum de naturali judicio, quo homo in hoc statu *sapientiam præponat errori*, tum demum de omni ea ratione, qua Deus erga talem hominem sese haberet. Hæc sane omnia spectare ad providentiam nullus, negaverit.

Quod deinde superadditur, confutatione non eget: supponitur enim, in hujusmodi statu hominem esse sine intellectu, sine voluntate, sine libero arbitrio, sine ultimo fine, ad quem tendere debeat, et una cum brutis eidem ordini providentiæ subjacere. Quisnam unquam ista somniaverit?

Tandem homo sine gratia a Deo creari potest, quia antequam esset, nulla ei gratia debebatur: creari quoque potest sine peccato secundum nostram hypothesim, in qua nullum peccatum originis supponitur; at semel creatus, etiam in statu naturæ puræ, vel implesset, quæ debebat; et tunc acceptus Deo fuisset; vel non implesset; et tunc fuisset iniquus coram Deo. Sicut ergo Deum conservare non posse quod fecit, sine ulla ratione inde inferretur, quia homines adulti suis operibus Deo placere, aut displicere necessario debeat; aliunde autem neutrum horum in ipsa sui creatione habent; ita etiam in casu nostro.

C. S. Augustinus non secundum hypothesim, quam ipse admitteret, sed secundum hypothesim Manichæorum loquutus fuit non solum in hoc libro 3. *De Lib. Arbit.*, sed etiam *Retract.* lib. 1. cap. 9. num. 5. Quum enim dicerent Manichæi, et concupiscentiam esse malam, et homines sine illa nasci non posse, indeque inferrent, esse admittendam naturam quamdam producticem malorum, quia bonus Deus malæ concupiscentiæ principium esse non poterat; Augustinus ut eosdem refelleret, sicut inquit Cl. Norisius in *Vindiciis Augustinianis* cap. 3. §. 2. „ hypothesim utramque, gratia disputationis, admisit: nempe „ hominem cum concupiscentia creatum, et sine ista nequaquam „ creari posse; urgebat vero hæreticos, etiam tunc Deum es„ se laudandum; nam nulla culpa Dei fuisset facere, quod fie„ ri non poterat." Cl. Norisio Bellellius subscribit *De Statu creat. rational. ante pecc.* lib. 3. cap. 25. ad 3. qui etiam superaddit, quod Augustinus „ ut potuit, ex iisdem assertis „ eorum (etsi falsis) ratus est invicte redarguendos, quam non

„ posset ex veris præmissis ducta argumentatione perstringere." Bertius in lib. 12. *Discipl. Theol.* Additamento cap. 1. in ore suorum hanc eamdem responsionem pônit. Eamdem amplectitur etiam Auctor *Augustiniani Syst.* loco supra citato, qui superaddit, argumento ab impossibili, quo sane etiam Philosophi utuntur, ab Augustino Manichæos premi.

Insuper miratur, ex iis, quæ habet S. Augustinus in lib. 3. *De Lib. Arbit.* colligi ab aliquibus possibilitatem naturæ puræ, quum asserat S. Doctor lib. 1. *Retract.* cap. 9. num. 2., in hujusmodi libris de libero arbitrio nonnullas incidentes quæstiones se enodare non voluisse.

R. His omnibus singillatim, et nego S. Augustinum niti in hoc loco hypothesi, quam ipse non admitteret. Wolãus in *Discursu Prælim. de philosophia in genere* cap. 4. §. 127. loquendo de hypothesibus ita recte habet: *Etenim si qua inde deducuntur, quæ experientiæ contraria sunt; hypotheseos falsitas apparet: si vero eadem eidem consentanea deprehendantur; ejusdem probabilitas crescet.* Rem eamdem inculcat Logicæ part 2. sect. 1. cap. 4. §. 607. Augustinus hac in re ad experientiam recurrere non poterat; tamen eo modo, quo potuit, recurrit, quatenus ostendit, semel admissa ea hypothesi, de qua mentionem facit, nullum absurdum consequi tum respectu hominis, tum respectu Dei. Hoc totum constat ex iis, quæ habet S. Augustinus lib. 3. *De Lib. Arbit.* num. 56., quæque nos supra jam animadvertimus. Quia tamen S. Doctor de eadem hypothesi in citato libro iterum agit, et num. 64. ostendit, animam, quæ secundum hanc hypothesim nascerctur, nullo modo conqueri posse, num 65. Deum inde non culpandum, sed laudandum. Summatim nunc recensebimus, quæ habet in his locis. Si dicatur, ait, ignorantiam, et difficultatem naturalem esse, inde anima incipit proficere, et promoveri ad cognitionem veritatis, *donec in ea perficiatur vita beata*: quod si ipsa *in studiis optimis, et pietate*, juxta facultatem sibi tributam non perfecerit, *juste in graviorem, quæ jam pœnalis est, ignorantiam, difficultatemque præcipitatur.* Nam animæ non deputatur in reatum, quod naturaliter nescit, et naturaliter non potest, *sed quod scire non studuit, et quod dignam felicitati comparandæ ad recte faciendum operam non dedit.* Anima enim ab ipsa difficultate movetur, *eumdem implorare adjutorem perfectionis suæ, quem inchoationis sensit auctorem.* At vero Creator ejus ubique laudatur, *vel quod eam ab ipsis exordiis ad summi boni capacitatem inchoaverit, vel quod ejus profectum adjuvet, vel quod impleat perficientem, atque perficiat, vel quod peccatum... justissima dammatione pro meritis ordinat.* His autem omnibus quam semel hypothesim Augustinus posuit, eam semper magis, magisque probabilem facit. In id autem S. Doctorem con-

tendisse, ut hypothesibus Manichæorum probabilitatem superadderet; nemo unquam dixerit. Deinde si de duplici prædicta hypothesi Manichæorum loqueretur Augustinus, ex tota sua ratione dicendi, hoc unum tantum contra Manichæos recte concluderet, videlicet a Deo principio totius bonitatis in bonum convertenda, quæ a malo principio constituta erant. Semper ergo constitisset de existentia ejusdem mali principii. Hoc vero est contra quod nunquam non pugnavit Augustinus.

Ex his vero constat contra Auctorem Systematis Augustiniani, S. Augustinum argumento ab impossibili in hoc loco usum non fuisse.

Nos autem non ex iis, quæ S. Augustinus enodare noluit, sed ex certis quibusdam, quæ enodavit, ostendimus illum admisisse possibilitatem naturæ puræ. Contra nos ergo ea objectio non facit, quæ ex Augustini citato loco desumitur. Deinde dicit sane Augustinus in libris de libero arbitrio, nonnullas quæstiones se enodare noluisse; verum inter istas eam contineri præcipue, quam eo de homine proposuit, qui nasceretur ante peccatum, qua tandem ratione infertur? At enim neque etiam ostendi potest non contineri? potest sane: Nam lib. 3. *De Lib. Arb.* num. 56., atque iterum num. 64. et 65. tam multa disserit de homine, qui secundum positam hypothesim nasceretur ante peccatum, ita pluribus ostendit, et hujusmodi hominem conqueri non posse, et ob creationem illius Deum laudandum, ut hanc quæstionem enucleatius enodare quodammodo non posset, sicut constat etiam ex iis tantum, quæ supra nos in medium produximus.

C. Status naturæ puræ omnino differt ab hypothesi Augustini, quum S. Doctor in ea supponat peccatum præcessisse: similiter in hypothesi Augustini supponitur fides, gratia, caritas, et elevatio ad conditionem supernaturalem: nihil autem tale in statu naturæ puræ supponi potest. Hæc Jansenius in suo *Augustino De Statu nat. puræ* lib. 3. cap. 17., qui in eodem libro cap. 19. superaddit, Augustinum, quando in sua senectute contra Pelagianos dimicavit, retractasse, quod *incautius* scripserat de parvulis contra Manichæos. Id comprobare contendit auctoritate epistolæ 18. S. Augustini ad S. Hieronymum.

R. S. Augustinum in citata hypothesi tertia loqui de anima, *quæ esse cœpit ante peccatum*: ergo S. Doctor nullum in ea peccatum supponit. In aliis quidem quatuor hypothesibus supponit peccatum. Unde Jansenius hypothesim, de qua modo loquimur, confundit cum aliis: quod sane non solum ipse fecit, sed etiam plures alii fecerunt, et hac de causa operæ pretium duximus, distincte recensere quinque hypotheses, quas posuit Augustinus.

Nullam autem S. Doctor mentionem facit doni supernatura-

lis in lib. 3. *De Lib. Arb.* num. 56. 64. et 65., in quibus agit de anima, quæ creata supponatur ante omne peccatum. Deum semper vocat *Creatorem*, vel *Conditorem*, non vero Salvatorem, aut auctorem gratiæ: animam dicit quidem proficere posse, *donec in ea perficiatur vita beata*: affirmat, etiam misericordia sublevandam, sed tamen misericordia illius, a *cujus bonitate habet, ut sit.* Semper ergo sistit S. Doctor in ordine naturæ, secundum quem et auxilia naturalis ordinis homini condito in statu naturæ puræ non defuissent, et si quod ipse debebat, præstitisset, beatitudinem quoque naturalem fuisset consequutus, sicut in cap. 1. hujus lib. jam ostendimus.

Porro S. Augustinus in libris *Retract.*, quos scripsit jam senex, *et certe non multo ante annum Christi* 427., sicut in prævia *Admonitione* advertunt Maurini Patres, nullo modo retractavit, quæ scripserat quoad rem nostram in libris *De Lib. Arb.* immo vero non solum non retractavit, sed singillatim confirmavit. Nam lib. 1. *Retract.* cap. 9. num. 6. quum multa eorum commemorasset, quæ tam in 1. quam in 2. et 3. lib. *De Lib. Arb.* scripserat, contra Pelagianos ita colligit: „Ecce tam longe ante quam Pelagiana hæresis exstitisset, sic disputavimus, velut jam contra illos disputaremus." Postea vero repetit, et approbat singulariter, quæ dixerat lib. 3. *De Lib. Arb.* num. 64. et 65., in quibus, uti demonstravimus, de nostra hypothesi agit, inquiens: „Quamvis ignorantia, et difficultas, etiamsi essent „hominis primordia naturalia; nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus, sicut in eodem tertio libro disputavimus." Senex quoque scripsit S. Augustinus lib. *De dono persev.* contra reliquos errores Semipelagianorum Massiliensium. Hoc autem in lib. num. 27. iterum repetit, quæ jam scripserat in lib. 1. *Retract.* cap. 9. de iis, quæ ipse disputaverat etiam in lib. 3. *De Lib. Arb.* Hæc vero superaddit: „Quamvis ergo in lib. 3. „*De Lib. Arb.* ista de parvulis disputaverim, ut etiamsi verum „esset, quod dicunt Pelagiani, ignorantiam, et difficultatem, „sine quibus nullus hominum nascitur, primordia, non supplicia essent naturæ, vincerentur tamen Manichæi... nunquid ideo „fides in dubium vocanda, vel deserenda est, quam contra ipsos Pelagianos Catholica defendit Ecclesia?" In illis autem pluribus libris, quos S. Augustinus scripsit contra Pelagianos, eumdem S. Doctorem retractasse, quod tradiderat in libris *De Lib. Arb.*, ostendere Jansenius nunquam poterit.

Sicuti autem in lib. *De Dono persev.*, ita etiam in epist. olim 18. ad Hieronymum nunc 166. num. 18. loquitur Augustinus non de iis, quæ scripserat in lib. 3. *De Lib. Arb.* num. 56., et iterum num. 64. et 65., in quibus et de nostra hypothesi agit, et nullam de pœnis parvulorum mentionem facit, sed loquitur de aliis, quæ a se disputata erant in eodem lib. 3. *De*

Lib. Arb., attamen non in citatis locis, sed num. 68., in quo de cruciatibus parvulorum egerat. Plura sane alia in cit. epist. S. Augustinus habet, verum omnia eo collimant, et ut a Hieronymo intelligat, quænam potissimum sententia de origine animæ tenenda sit, et quomodo contra Pelagianos ea defendi possit, quam ille alibi insinuaverat, videlicet *singulas animas novas nascentibus fieri*. Jansenius ergo in epist. Augustini ad Hieronymum sibi videre visus est id, quod videre nullo modo poterat.

Nunc paucis de ea duplici calumnia, quam aperte quidem Jansenius, minus vero aperte alii affingunt iis, qui naturæ puræ possibilitatem tuentur, videlicet eos favere Manichæis, atque Pelagianis. Porro isti omnes præ ceteris aliis Augustini sectatores sese esse profitentur: at vero Augustinus in lib. *De Perseverant.*, sicut nunc palam fecimus, affirmat, quod „si verum es„set, quod dicunt Pelagiani, ignorantiam, et difficultatem, si„ne quibus nullus hominum nascitur, primordia, non supplicia „esse naturæ, vincerentur tamen Manichæi." Quanto autem magis vincerentur, si primordia naturæ esse ponantur, talis ignorantia, et difficultas, quæ nullum in natura peccatum præsupponunt, quales nos in statu naturæ puræ admittendas esse in hujus lib. cap. 1. docuimus?

Hic tantum non sistit Augustinus, sed postquam dixit, quod Manichæi vincerentur, licet ignorantia, et difficultas essent primordia naturæ, superaddit: „Nunquid ideo fides in dubium vo„canda, vel deserenda est, quam contra ipsos Pelagianos Catho„lica defendit Ecclesia, quæ asserit originale esse peccatum, cu„jus reatus generatione contractus, regeneratione solvendus est?" Prædictam ergo utramque calumniam ipse Augustinus depulit. Alia addere possemus, sed necesse non est.

Illud tandem nunc animadvertimus, semel posita possibilitate naturæ puræ, homines in ea futuros non fuisse subjectos iis defectibus tum animæ, tum corporis, qui ex peccato originali in humanam naturam promanarunt, sicut hujus lib. cap. 1. jam ostendimus. Ex quo sane fit, ut argumentatio Augustini contra Pelagianos, desumpta ex miseriis hujus vitæ, suam ad persuadendum efficaciam habeat, quoniam miseriæ hujus vitæ tum quoad animam, tum quoad corpus sunt sane graviores, quam in statu naturæ puræ fuissent. Deinde id quoque præ oculis habeatur oportet, quemadmodum sapientissime monet De Rubeis in *Tract. Theolog. de pecc. orig.* cap. 41., et 42., S. Augustinum in sua tota argumentatione supponere, quod in pluribus locis jam ostenderat, videlicet Adam a Deo creatum in gratia, et justitia originali, qua fiebat, ut ratio Deo, rationi vires sensitivæ, corpus animæ subderentur, itemque propter peccatum hæc omnia sublata fuisse. Ex hoc autem consequebatur, ut peccatum, et quidem originale, ad-

mitti deberet in nobis, qui nascimur privati iis donis, quos justitia originalis secum afferebat. S. Augustinus autem ut Pelagianos efficacius premeret, eisdem mala corporis potissimum objecit, quia ipsi quoque ea non videre, immo non sentire non poterant, et ærumnas potissimum parvulorum commemoravit, ut de peccato originis, et naturæ evidentius constaret. Quare non est, cur nobis opponatur, sicut Adversarii nostri faciunt; ruere totam argumentationem Augustini desumptam ex humanis miseriis contra Pelagianos, semel ac admittatur possibilitas status naturæ puræ. Deinde, sicuti ostendemus in seq. Disput. lib. 1. cap. 3., argumenta ab ipsa ratione desumpta solummodo probabiliter ostendunt, existentiam peccati originalis.

Prop. II. Statum naturæ puræ possibilem esse, Angelicus docuit.

Prob. prop. S. Doctor in II. *Sentent.* dist. 31. quæst. 1. art. 2. ad 3. hæc habet: „Poterat Deus a principio, quando „hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione naturæ suæ relinqueret, ut scilicet et mortalis, et passibilis esset, et pugnam concupiscentiæ „ad rationem sentiens: in quo nihil humanæ naturæ derogaretur, quia hoc ex principiis naturæ consequitur. Non tamen iste defectus in eo rationem culpæ, et pœnæ habuisset, „quia non per voluntatem iste defectus causatus esset." Ex quibus ita: Ab isto homine excludit S. Doctor naturæ peccatum, quia suam ab Adamo originem ipse non traheret: excludit quoque auxilia supernaturalis ordinis, quum illum supponat relinqui in conditione suæ naturæ: non detrahit ab eo defectus illos, qui proficiscuntur ex principiis naturæ: quæ sane tria statum naturæ puræ constituunt.

R. Auctor *Systemat. Augustiniani* quæst. 10. de natura pura, ex libris S. Doctoris in sententias non esse judicandum *de genuina ipsius doctrina, sed ex summa.*

II. Dicit, considerari posse cum Serrio hominem, et quatenus est animal, atque secundum hanc rationem concupiscentia affrænis est proprietas naturæ, et quatenus est rationalis, et sub hoc respectu concupiscentia est vitium, et pœna naturæ. Hanc distinctionem dicit inniti iis, quæ habet Angelicus quæst. 4. *De Malo* art. 2. ad 1. ubi ait: „Dicendum, quod aliquid potest „esse naturale homini dupliciter: uno modo in quantum est „animal, et sic naturale est homini, quod concupiscibilis feratur in delectabile secundum sensum communiter loquendo: „alio modo in quantum est homo, id est animal rationale, et „sic naturale est ei, quod concupiscibilis feratur in delectabile sensus secundum ordinem rationis."

III. In medium adducit locum Angelici desumptum ex lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 52., in quo affirmat S. Doctor, quod

„ Considerando divinam providentiam, et dignitatem superioris „ partis naturæ humanæ, satis probabiliter probari potest, hu- „ jusmodi defectus pœnales esse, et sic colligi potest, huma- „ num genus peccato aliquo originaliter esse infectum." Ex his vero colligit idem Auctor, S. Doctorem admisisse, hominem *absolute in se consideratum* creari potuisse cum defectibus, qui ex necessitate materiæ consequuntur; attamen, *attenta lege providentiæ, sapientiæ et justitiæ Dei, non potuisse creari cum illis defectibus.*

Bertius in *Additamento* ad lib. 12. Theolog. Discipl. cap. 1. commemorat, quæ habet Angelicus in *Compend. Theol.*, seu Opusculo 3. cap. 186., in quo affirmat, ex natura animæ non fuisse, ut etiam vires sensibiles absque repugnantia subdantur rationi „ Quum vires sensibiles moveantur naturaliter „ in ea, quæ sunt delectabilia secundum sensum, quæ multo- „ ties rectæ rationi repugnant... Ut igitur firmiter contineret, „ oportebat, quod ipsa firmiter sub Deo contineretur, a quo „ virtutem prædictam habebat supra conditionem naturæ." Ex quibus ita Bertius: hæc „ Se tenent adhuc pro statu naturæ „ puræ, in quo appetitus sensitivus naturaliter moveretur secun- „ dum sensum. Quapropter nisi regeretur homo supernaturali au- „ xilio, continere inferiorem partem non posset, et in peccata „ indeclinabiliter prolaberetur."

R. ad 1., quæ Angelicus edidit in explicationem librorum Magistri sententiarum juxta rationem studiorum, tunc in Parisiensi Academia receptam, esse genuinum fœtum illius, neque unquam interpolata fuisse. Quod utrumque ostendit De Rubeis in *Admonit.* prævia ad Commentarium D. Thomæ in 1. lib. *Sent.* num. 2. Hæc commentaria adhuc quidem juvenis scripsit Angelicus, at nunquam illa reprobavit, quin immo multa ex eis in Summam Theologicam transtulit, atque ab illa usque ætate idem Angelicus *thesaurum litteralis scientiæ assequutus fuerat*, sicut in suis litteris datis 5. idus martii ann. 1256. ad Cancellarium Parisiensem Alexander IV. affirmavit (a). Quo ergo jure dici possit, attendendum ad ea non esse, quæ S. Doctor scripsit in libros sententiarum, sane non video.

Ad illud, quod secundo loco repouitur, dico, Serrium nostrum in Tract. 3. de Variis humanæ naturæ statibus Disp. 1. Prælect. 4. hoc statuere, videlicet, *in statu naturæ puræ, si in eo hominem condere Deo placuisset, nullam fuisse concupiscentiam rationi perduellem*, sicut et nos propugnavimus. In comprobationem suæ propositionis animadvertit, duabus quidem partibus, hoc est, animali, et rationali constare hominem: postulare tamen ordinem naturalem, *Ut animalis rationali subda-*

(a) Vid. De Rubeis cit. loco num. 3.

tur, uti subditus superiori, alias si rebellet in eam, ipsa naturæ lex violatur. In explicationem hujus rei exscribit hæc, quæ habet Angelicus in II. *Sentent.* dist. 39. quæst. 1. art. 1. ad 4. „Vis concupiscibilis naturale habet hoc, ut in delectabile se„cundum sensum tendat: sed secundum quod est vis concupis„cibilis humana, habet ulterius, ut tendat in suum objectum „secundum regimen rationis." Deinde exscribit alterum locum modo citatum ab Auctore *Augustin. Syst.* ex quæst. 4. *De Malo* art. 2. ad 1., atque ex iis utrisque recte colligit, quod ipse statuerat, videlicet in statu naturæ puræ, si in eo hominem condere Deo placuisset, nullam futuram concupiscentiam rationi perduellem. Quare Serrius concupiscentiam effrænem vult esse contrariam humanæ naturæ, atque eam proficisci ex peccato primi parentis: S. Thomas in cit. quæst. 4. *De Malo* art. 2. ad 1. asserit, *pertinere ad peccatum originale*, et in II. *Sentent.* dis. 30. quæst. 1. art. 1. ad 4. habere posse *rationem pœnæ.* Hæc vero omnia neque ad possibilitatem, neque ad impossibilitatem naturæ puræ spectare posse, nemo non videat, oportet. Suadent ergo tantum, sicut nos jam ostendimus, concupiscentiam effrænem futuram non fuisse in statu naturæ puræ.

Nunc videamus de tertio, quod ex Angelico in medium adducitur. S. Doctor in lib. 4. *Cont. Gent.* cap. 50. auctoritate Scripturæ ostendit existentiam peccati contra Pelagianos: cap. 51. sibi proponit plures objectiones, ab ipsa etiam ratione petitas, contra existentiam peccati originalis: cap. 52. solvit eas: hoc vero antequam faciat, animadvertit, *peccati originalis in humano genere quædam signa probabiliter apparere*, si attendatur ad diversas pœnas, quas genus humanum patitur tam in spiratu, quam in corpore. Loquitur ergo S. Doctor de pœnis, quas nunc in natura corrupta patimur, atque ex iis *probabiliter* colligi posse dicit existentiam peccati originalis.

Posse quidem reponere aliquem, ulterius advertit, *hujusmodi pœnas esse naturales defectus ex necessitate materiæ consequentes*: at vero, inquit Angelicus, „Si quis recte conside„ret, satis probabiliter poterit æstimare, divina providentia sup„posita, quæ singulis perfectionibus congrua perfectibilia coap„tavit, quod Deus superiorem naturam inferiori ad hoc con„junxit, ut ei dominaretur: et si quod hujus dominii impe„dimentum ex defectu naturæ contingeret, ejus speciali, et „supernaturali beneficio tolleretur." Id factum in Adamo *secundum doctrinam fidei* nos tenere, affirmat. Post nonnulla vero alia, quæ præmittit; ita colligit: „Sic igitur hujusmodi de„fectus, quamvis naturales homini videantur absolute, conside„rando humanam naturam ex parte ejus, quod est in ea in„ferius; tamen considerando divinam providentiam, et digni„tatem superioris partis humanæ naturæ, satis probabiliter,

„ probari potest hujusmodi defectus esse pœnales: et sic colligi „ potest, humanum genus peccato aliquo originaliter esse infectum." Quid ista omnia ad impossibilitatem, vel possibilitatem naturæ puræ ostendendam, in qua non fuissent pœnæ tum animi, tum corporis, quales nunc in statu corruptæ naturæ propter Adæ peccatum patimur?

Tandem ad ultimum, quod ex Opusculo 3. S. Thomæ nobis opponitur, dicimus, Angelicum loqui de primo homine, qui ex principiis suæ naturæ non habebat, ut vires sensibiles *absque repugnantia* rationi subderentur, propterea que datam divinitus animæ ejus virtutem, qua vires sensibiles sub se contineret. Ex hoc autem consequitur, falsum esse: *Integritatem primæ creationis non fuisse indebitam humanæ naturæ exaltationem, sed naturalem ejus conditionem*, sicuti in 26. damnata propositione Baji dicitur. In statu autem naturæ puræ licet vires sensibiles non subderentur rationi eo modo, quo in statu innocentiæ, virtute divinitus superaddita, subdebantur; tamen inter eas, et rationem non ea pugna fuisset, quam modo experimur propter peccatum: quod sane in illo statu non supponitur. Ex hoc ergo capite dici non potest homines in eodem statu *indeclinabiliter* prolapsuros. Quod autem tunc homini adjutorium necessarium fuisset, ut totam legem servaret, et in illius observantia perseveraret, eidem non defuturum, providentiæ, et bonitati Dei, ut auctoris naturalis, consentaneum esse, jam ostendimus hujus Disput. cap. 1. prop. 6. Igitur etiam ex hoc capite dici non debet, hominem *indeclinabiliter* in peccata prolapsurum.

Unum tantum superaddam, ut semper magis constet, docuisse S. Thomam, esse possibilem statum naturæ puræ. Quodlib. 1. art. 8. quærit, utrum homo in statu innocentiæ non dilexerit Deum super omnia: respondet, huic quæstioni nullum locum esse, semel ac statuatur, primum hominem in gratia creatum fuisse: *Sed quia* (inquit) *possibile fuit Deo, ut hominem faceret in puris naturalibus, utile est considerare ad quantum se dilectio naturalis extendere possit.* Rejecta ergo sententia illorum, qui dicebant, hominem, vel Angelum, *in puris naturalibus*, magis dilecturos esse Deum, quam se, attamen amore concupiscentiæ, non amicitiæ; ostendit, in eodem statu futurum fuisse, ut homo, vel Angelus amore amicitiæ magis diligeret Deum, quam se. Ex his autem constat, non solum sensisse S. Thomam, quod nos modo propugnamus, sed etiam tempore S. Thomæ fuisse plures, qui admitterent possibilitatem naturæ puræ.

Prop. III. Nostra de possibilitate naturæ puræ sententia est quam maxime conformis Ecclesiæ definitionibus.

Prob. prop. Ecclesia in suis definitionibus non solum decernit, hoc, vel illud certa fide, uti a Deo revelatum, tenen-

dum esse, sed etiam quid sit contra fidem, aut ei aliquo modo adversetur. Nostram ergo de possibilitate naturæ puræ sententiam conformem esse judicio, quod contra quasdam Baji, et Quesnellii propositiones Ecclesia protulit, nunc ostendemus.

I. Inter damnatas propositiones Baji hæc num. 21. legitur: *Humanæ naturæ exaltatio, et sublimatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis.* Ecclesia in hac propositione damnat, humanæ naturæ exaltationem, et sublimationem in consortium divinæ debitam fuisse integritati primæ conditionis, indeque propter hujusmodi debitum dicendam esse naturalem: sed nos tuemur, hominem condi potuisse in puris naturalibus, propterea que humanæ naturæ exaltationem, et sublimationem in consortium divinæ debitam non fuisse integritati primæ conditionis: quod enim est debitum naturæ, ab illa, in prima saltem sui productione, non subtrahitur: ergo.

II. Damnata propositio Baji num. 24. hæc est: *A vanis, et otiosis hominibus secundum insipientiam Philosophorum excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est: hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus, et ad Dei filium adoptatus.* Si ergo primus homo non per dona superaddita naturæ largitate conditoris in filium Dei adoptatus fuit, ex ipsis naturæ principiis habuit, ut in filium Dei adoptaretur. Quare quum principia naturæ, et ea, quæ ad ipsam ex se consequuntur, cum homine inseparabiliter conjuncta esse debeant, fieri non potest, ut Deus creet hominem in statu naturæ puræ, in quo nulla adoptatio in filium Dei includitur. Hoc vero est, quod nos negamus, scilicet non esse possibilem statum naturæ puræ: ergo. Loqui autem Bajum de exaltatione ad ordinem supernaturalem, constat etiam ex duabus sequentibus propositionibus.

III. Inter damnatas propositiones Baji hæc quoque num. 26. legitur: *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* Huic autem propositioni conformis est hæc quoque altera sub num. 29. *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo institui sine justitia originali.* Rursus utrique propositioni conformis est ista Quesnellii sub num. 35. *Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ, et integræ.* Profecto, semel posita possibilitate naturæ puræ, hæc tria consequuntur, quæ prædictis tribus propositionibus immediate contrariantur, videlicet: 1. integritatem primæ creationis fuisse indebitam humanæ naturæ exaltationem, et non naturalem ejus conditionem: 2. potuisse primum hominem a Deo creari, et institui sine justitia originali: 3. gratiam Adami non esse seque-

lam creationis, et non fuisse debitam naturæ sanæ, et integræ: consequuntur, inquam, hæc tria: quod enim debitum est humanæ naturæ, quod Deus non facere non potest in creatione hominis, quod est sequela creationis ipsius hominis, in quacumque hypothesi creationis hominis ponatur, oportet; alias de creatione hominis non amplius ageretur: sed a natura pura excluditur integritas primæ creationis, excluditur justitia originalis, excluditur gratia Adami: ergo semel posita possibilitate naturæ puræ, tria prædicta consequuntur, quæ immediate contrariantur tribus prædictis propositionibus: ergo nostra sententia maximam conformitatem habet cum definitionibus Ecclesiæ. Huc usque de consequentiis Theologicis in favorem nostræ sententiæ.

INDEX

TOMI TERTII.

DISPUTATIO V.

De Augustissimo mysterio Sacrosanctæ Trinitatis. 3

LIBER PRIMUS.

De divinis processionibus. ibid.

Cap. I. De notione, et natura processionum divinarum. 4
Cap. II. De principiis processionum divinarum. 5
Prop. I. Essentia divina, quatenus ab ea mente nostra sejungimus operationes intellectus, atque voluntatis, non est principium *quo* proximum, et immediatum divinarum processionum. 6
Prop. II. Principia *quo* proxima divinarum processionum sunt quoad processionem Verbi intellectus, non essentialis, sed notionalis, seu ut Patris; quoad processionem autem Spiritus Sancti voluntas non essentialis, sed notionalis, seu, ut Patris, et Filii, ita ut intellectus, et voluntas sint principium immediatum, relationes autem, scilicet Paternitas, atque Filiatio sint modificationes ejusdem principii, seu conditiones necessario requisitiæ. 8
Cap. III. De existentia, et numero divinarum processionum. 10
Prop. I. Vera, et proprie dicta processio immanens datur in Deo, qua una divina persona ab altera, aut aliis procedit. ibid.
Prop. II. Processio unius divinæ personæ ab alia, aut aliis, non est sicut a causa sui, sed sicut a simplici principio originis. 12
Prop. III. Duæ sunt tantum processiones passivæ in divinis. 13
Prop. IV. Duæ tantum sunt in divinis processiones activæ, inter se virtualiter distinctæ. ibid.
Cap. IV. De distinctione, quæ intercedit inter processionem Filii, et Spiritus Sancti. 15
Prop. I. Processio Verbi, et quidem sola, generatio dici debet. 16
Prop. II. Cur Verbum divinum sit, et dicatur Filius, nulla alia causa probabilior afferri posse videtur, quam quod procedat per intellectum. ibid.

Prop. III. Processio Spiritus Sancti non debet dici generatio. 17
Prop. IV. Cur Spiritus Sanctus per generationem non procedat, nulla alia causa probabilior afferri posse videtur, quam quod procedat per voluntatem. 18
Cap. V. De proprietatibus processionum divinarum. 19
Prop. Divinæ processiones sunt immanentes, substantiales, necessariæ, aternæ, metaphysicæ, et expertes cujusvis imperfectionis. ibid.

LIBER SECUNDUS.

De relationibus divinarum personarum. 20

Cap. I. De existentia relationum in Deo. 21
Prop. Relationes originis, et quidem veræ, atque reales, sunt in Deo. ibid.
Cap. II. De numero divinarum relationum. 23
Prop. Quatuor tantum relationes originis sunt in Deo, videlicet, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, et Spiratio passiva. 24
Cap. III. De perfectione divinarum relationum. 25
Prop. Relationes divinæ, quatenus sunt relationes, et secundum esse *ad*, habent rationem perfectionis veræ, atque realis. ibid.
Cap. IV. De munere relationum divinarum. 26
Prop. I. In Deo aliquæ proprietates necessario admitti debent, quibus personæ constituantur, atque inter se distinguantur. ibid.
Prop. II. Non sunt aliquid absolutum, sed relativum, illæ proprietates, quibus personæ divinæ constituuntur, atque inter se distinguuntur. ibid.
Prop. III. Licet dici aliquo modo possit, per origines constitui, et a se invicem distingui personas divinas, tamen simpliciter dicendum est, easdem constitui, et inter se distingui per relationes. 27
Cap. V. De distinctione, quæ est inter relationes divinas. 28
Prop. I. Relationes originis, quæ sibi mutuo opponuntur, videlicet, tum Paternitas, et Filiatio, tum Spiratio activa, et passiva, inter se realiter distinguuntur. ibid.
Prop. II. Divinæ relationes ab invicem non distinguuntur realiter, si sint disparatæ, uti sunt Paternitas, vel Filiatio, et Spiratio activa. 29

LIBER TERTIUS.

De divinis personis universe, atque generatim. ibid.

Cap. I. De nominibus quibus Patres Latini vocarunt personas divinas. 30
Cap. II. De nominibus, quibus Patres Græci designarunt personas divinas. 31
Cap. III. De divinis subsistentiis. 33
Prop. I. Tres subsistentiæ sunt in Deo. ibid.
Prop. II. Tres istæ subsistentiæ sunt relativæ. ibid.
Prop. III. Præter tres subsistentias relativas subsistentia absoluta, atque communis in Deo admitti debet. 34
Cap. IV. De proprietatibus personarum divinarum. 35
§. I. De appropriationibus in divinis. ibid.
Prop. De hac appropriatione constat auctoritate Patrum, et Scripturæ. ibid.
§. II. De æqualitate divinarum personarum. 36
Prop. Necesse est ponere æqualitatem inter personas divinas. ibid.
§. III. De circuminsessione in divinis. 37
Prop. Admittenda est circuminsessio divinarum personarum. ibid.
§. IV. De notionibus personarum divinarum. 40
Prop. I. Notiones admitti debent in Deo. ibid.
Prop. II. Notiones in divinis sunt quinque, videlicet, Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, et Spiratio passiva. 41
§. V. De missione personarum divinarum. 42
Prop. Admitti debet in divinis missio divinarum personarum. 43

LIBER QUARTUS.

De mysterio SS. Trinitatis, habito respectu ad humanam rationem. 44

Cap. I. De insufficientia humanæ rationis in hoc toto negotio mysterii SS. Trinitatis. 45
Prop. Mysterium SS. Trinitatis rationem humanam longe transcendit, et naturali lumine rationis cognosci non potest. ibid.
Cap. II. De insufficientia humanæ rationis in toto negotio mysterii S. Trinitatis, etiam supposita fide. 47
Prop. I. Demonstrari non potest mysterium SS. Trinitatis, etiam supposito lumine fidei. ibid.
Prop. II. Semel posita fide, nonnullæ in rebus creatis occurrunt imagines, quæ mysterium SS. Trinitatis adumbrant, et credentes in sua fide confirmant. 48

Cap. III. De ignoratione mysterii SS. Trinitatis in qua Ethnici fuerunt. ibid.
Prop. Ethnici Philosophi SS. Trinitatis veram, rectamque cognitionem non habuerunt, et si quando eam in suis scriptis adumbrasse videntur, vel ob consuetudinem habitam cum Hebræis, vel ob lectionem Sacrorum librorum adumbrarunt. 49
Cap. IV. De oppositione, quam cum ipsa ratione habere mysterium SS. Trinitatis, nonnulli confinxerunt. 51
Prop. Mysterium SS. Trinitatis rectæ rationi non adversatur. 52

LIBER QUINTUS.

De mysterio SS. Trinitatis juxta divinum verbum tam scriptum, quam traditum. 56

Cap. I. De Trinitate divinarum personarum juxta verbum divinum contentum in veteri Testamento. 58
Prop. Ex veteri Testamento constat de Trinitate divinarum personarum. ibid.
Cap. II. De Trinitate divinarum personarum juxta divinum verbum contentum in sacris litteris novi Testamenti. 62
Prop. Ex pluribus locis in novo Testamento contentis constat de Trinitate personarum divinarum. ibid.
§. unicus. De authenticitate illorum, quæ leguntur in v. 7. cap. 5. epist. I. Joannis. 67
Prop. Sanioris criticæ regulis ostenditur, citatum versiculum esse genuinum. 68
Cap. III. De Trinitate personarum divinarum secundum traditionem Patrum. 71
Prop. De Trinitate divinarum personarum certo constat ex traditione Patrum. ibid.

LIBER SEXTUS.

De prima persona SS. Trinitatis videlicet Patre. 73

Cap. I. De nomine ingeniti, quod tribuitur Patri. ibid.
Prop. Nomen ingeniti si accipiatur pro eo, quod omni principio caret, est nomen proprium primæ divinæ personæ, et notionale illius. ibid.
Cap. II. De nomine Patris, quo vocatur prima persona SS. Trinitatis. 76
Prop. Nomen Patris, si accipiatur singulariter, est nomen proprium primæ personæ SS. Trinitatis. ibid.
Cap. III. De nomine principii, et causæ, quatenus tribuitur primæ personæ SS. Trinitatis. 77

Prop. I. Nomen principii est proprium, et notionale Patris, quatenus Filium generat. ibid.
Prop. II. Si autem nomen principii sumatur relate ad Spiritum Sanctum, est proprium non solum Patris, sed etiam Filii, et non est amplius nomen notionale Patris. 78
Cap IV. De prima persona SS. Trinitatis, videlicet de Patre, quatenus est per se Deus. 79
Prop. Pater est per se Deus. ibid.

LIBER SEPTIMUS.

De secunda persona SS. Trinitatis. 80

Cap. I. De nomine verbi. ibid.
Prop. Nomen verbi est nomen personale, et proprium secundæ personæ SS. Trinitatis. 81
Cap. II. De ea cognitione, ex qua verbum procedit. 82
Prop. I. Verbum divinum per se procedit ex cognitione essentiæ divinæ, attributorum illius, et personarum divinarum. 83
Prop. II. Verbum divinum per se procedit etiam ex cognitione omnium rerum creatarum possibilium. 84
Prop. III. Verbum ex se non procedit ex cognitione futurorum, quatenus in processionem verbi illa influant, sed per accidens, et concomitanter. ibid.
Cap. III. De nomine imaginis, quo vocatur secunda persona SS. Trinitatis. 85
Prop. Sola secunda persona SS. Trinitatis vere, et proprie dicitur imago. 86
Cap. IV. De nomine Sapientiæ, quo vocatur secunda persona SS. Trinitatis. 87
Prop. Nomen Sapientiæ esse proprium secundæ personæ SS. Trinitatis, dici non potest, ei tamen secundum quamdam appropriationem recte tribuitur. ibid.
Cap. V. De nomine Filii, quo vocatur secunda persona SS. Trinitatis. 88
Prop. Nomen Filii est proprium, et notionale secundæ personæ SS. Trinitatis. ibid.

LIBER OCTAVUS.

De divinitate Filii. 89

Cap. I. De æterna generatione Filii a Patre secundum auctoritatem Scripturæ. 90
Prop. I. Filius Dei æterna generatione exivit a Patre. 91

Prop. II. Pater genuit Filium natura, et voluntate concomittante, nulloque modo invitus, seu coactus. 95
Cap. II. De æterna generatione Filii secundum auctoritatem traditionis. 97
Prop. Plura sunt certissima principia, ex quibus æternitatem divinæ generationis Patres ostenderunt. ibid.
Cap. III. De Christo, quatenus est Filius Dei, et de cælo descendit. 101
Prop. Christus revera est Filius Dei, atque revera de cælo descendit. ibid.
Cap. IV. De Christo, quatenus certo determinatoque tempore ipsum extitisse ante Mariam constat ex sacris litteris. 106
Prop. Christus longo tempore ante Mariam extitit, quemadmodum in sacris litteris aperte traditum habemus. 107
Cap. V. De Christo, quatenus ab æterno fuit. 109
Prop. Christus ab omni æternitate fuit. ibid.
Cap. VI. De Christo, quatenus de illo ex novo potissimum testamento constat, et esse Deum, et consubstantiale in Patri. 111
Prop. Christum esse verum Deum, et Patri Æterno consubstantialem, ex novo Testamento omnino perspectum est. 112
Cap. VII. De Christo, quatenus de divinitate illius, et consubstantialitate cum Patre constat ex traditione. 121
Prop. Ante-Nicænorum Patrum auctoritate constat de divinitate Christi, ejusque consubstantialitate cum Patre. 122
Cap. VIII. De voce *homoüsion*. 126
Prop. Nicæni Patres vocem *homoüsion* opportune, atque jure, meritoque Symbolo fidei inseruerunt. 127
Cap. IX. De fide divinitatis Jesu Christi necessario requisita ad æternam salutem. 129
Prop. Divinitas Jesu Christi est dogma fidei, quod unusquisque credere, ac firmissime tenere debet, si æternam salutem consequi velit. ibid.

LIBER NONUS.

De tertia persona SS. Trinitatis, videlicet Spiritu Sancto. 135

Cap. I. De nominibus, quæ tertiæ Personæ SS. Trinitatis singulariter tribuuntur. 136
Prop. I. Nomina Spiritus Sancti, doni, caritatis, atque Paracleti *proprie* tribuuntur tertiæ personæ SS. Trinitatis. ibid.
Prop. II. Tertia persona SS. Trinitatis dicitur Sapientia non proprie, sed habita ratione doni Sapientiæ, quod ab ea diffunditur super homines. 137

Cap. II. De Spiritu Sancto, quatenus est vera, et propric dicta persona. 138
Prop. Spiritus Sanctus est vera persona, atque per se subsistens. ibid.
Cap. III. De Spiritu Sancto, quatenus est Deus, et Patri, Filioque consubstantialis, habita ratione divini verbi scripti. 144
Prop. Spiritum Sanctum esse verum Deum, ac Patri, et Filio consubstantialem, constat ex sacris litteris. ibid.
Cap. IV. De Spiritu Sancto, quatenus est verus Deus, et Patri, Filioque consubstantialis, habita ratione divini verbi traditi. 149
Prop. Ex traditione evidentissime constat de divinitate Spiritus Sancti, ejusque consubstantialitate cum Patre, et Filio. ibid.
Cap. V. De processione Spiritus Sancti non minus a Filio, quam a Patre. 153
Prop. Spiritus Sanctus a Filio non minus, quam a Patre vere, atque realiter procedit. 154
Cap. VI. De necessitate processionis Spiritus Sancti a Filio, ut ab hoc ille distinguatur. 160
Prop. Spiritus Sanctus non distingueretur a Filio, si ab eodem non procederet. ibid.
Cap. VII. De processione Spiritus Sancti a Patre, et Filio, sub ratione unius ejusdemque principii. 162
Prop. Pater, et Filius sunt unum, idemque principium Spiritus Sancti. 163
Cap. VIII. De particula *Filioque* addita Symbolo Constantinopolitano. 165
Prop. Particula *Filioque* Symbolo Constantinopolitano addita jure merito fuit. 166
Cap. IX. De necessitate credendi Spiritum Sanctum a Filio aque procedere, ac a Patre. 169
Prop. Processio Spiritus Sancti æque a Filio, ac a Patre, est dogma fidei, quod unusquisque ad salutem æternam consequendam credere debet. 170

APPENDIX.

De cautione servanda in iis omnibus loquutionibus, quibus explicatur mysterium SS. Trinitatis. 171

DISPUTATIO VI.

De Deo creatore. 174

LIBER PRIMUS.

De notione creationis, illiusque necessitate principii, a quo ea sit. ibid.

Cap. I. De notione creationis. 175
Cap. II. De necessitate ejus principii, a quo entia finita habent, ut sint. 176
Prop. I. Nullum ens finitum a se esse potest. ibid.
Prop. II. Primum aliquod principium ponatur oportet, a quo, ut sit, ens finitum habeat. ibid.

LIBER SECUNDUS.

Cap. I. De Deo, quatenus est principium creationis. 179
Prop. I. Ex ratione naturali constat, Deum creasse omnia ex nihilo. 180
Prop. II. Deum creasse omnia ex nihilo, constat ex sacris litteris. 181
Cap. II. De ea repugnantia, ob quam causa secunda non potest esse principium creationis neque etiam per modum instrumenti. 184
Prop. I. Virtus principalis creandi communicari non potest alicui causæ creatæ. ibid.
Prop. II. Causa creata non potest esse instrumentum creationis. ibid.
Cap. III. De opere sex dierum. 185
Prop. I. Sententia S. Augustini de creatione simultanea nullo modo a quopiam reprehendi debet. 186
Prop. II. Sententia, quæ admittit veram distinctionem dierum, et successionem rerum in prima origine sui creatarum, est quam maxime probabilis. ibid.
Cap. IV. De systemate Præadamitarum. ibid.
Prop. Adam fuit primus universorum hominum, et humanum genus ab illo primam originem habuit. 187

DISPUTATIO VII.

De Angelis. 192

LIBER PRIMUS.

De existentia, et natura Angelorum. ibid.

Cap. I. De existentia Angelorum. ibid.
Prop. De existentia Angelorum evidenter constat ex sacris litteris. 193
Cap. II. De tempore, quo Angeli creati fuerunt. 195
Prop. I. Angeli simul cum hac tota universitate rerum creati fuerunt. 196
Prop. II. Non est dogma fidei, Angelos simul cum hac tota universitate rerum fuisse creatos. 197
Cap. III. De spiritualitate Angelorum. 198
Prop. I. Angeli sunt incorporei, et nullum habent corpus sibi naturaliter unitum. 199
Prop. II. Dogma fidei non est, Angelos esse incorporeos. 201
Cap. IV. De ea ratione, qua Angeli sunt in loco. 202
Prop. I. Angelos aliquo modo esse in loco, constat ex sacris litteris. 203
Prop. II. Angeli sunt in loco per applicationem suæ virtutis. ibid.
Cap. V. De ea ratione qua Angeli apparent hominibus. ibid.
Prop. Apparitio Angelorum ad immutationem phantasiæ, vel sensuum exteriorum nullo modo referri potest, sed fit mediantibus assumptis corporibus. 204
Cap. VI. De immortalitate Angelorum. 206
Prop. Angeli sunt immortales, habita ratione naturæ illorum, seu ab intrinseco principio. 207
Cap. VII. De distinctis speciebus Angelorum. 209
Prop. Angeli inter se distinguuntur specie. ibid.

LIBER SECUNDUS.

De Angelorum statu, in quo creati fuere. 211

Cap. I. De gratia, et sanctitate, quam Angeli, et primus homo sui creatione receperunt. 215
Prop. I. Angeli, et primus homo in sui creatione supernaturalem a Deo gratiam receperunt. ibid.
Prop. II. Auctor *Theologiæ supplicis* cap. 15. §. 1. Non solum temere, et contra subjectionem debitam definitionibus Sedis Apostolicæ, sed etiam imperite quæsivit, utrum damnatio

prop. 35. Quesnellii complectatur damnationem opinionis illorum Theologorum, qui *de congruo*, habita ratione bonitatis ipsius Dei, gratiam primo homini debitam censent, et divinæ providentiæ quam maxime arbitrantur congruere, ut primum hominem sua gratia excolleret ad ordinem supernaturalem. 219

Prop. III. Nobis haud probabilis esse videtur opinio hujusmodi Theologorum. 220

Cap. II. De gratia actuali, quæ Angelis, et primo homini necessaria fuit, ut sese converterent in Deum uti auctorem supernaturalem. 221

Prop. Angeli, et primus homo, ut sese converterent in Deum auctorem supernaturalem, auxilio gratiæ specialiter indiguere. 222

Cap. III. De merito, quo Angeli æternam beatitudinem consequuti fuerunt. 226

§. I. De Angelorum supernaturalibus meritis ad æternam beatitudinem. 227

Prop. Angeli non suis a se meritis, sed virtute gratiæ supernaturalis æternam beatitudinem consequuti fuerunt. ibid.

§. II. De eo instanti, quo Angeli æternam beatitudinem assequuti fuere. 230

Prop. I. Omnes Angeli in primo instanti suæ creationis meruerunt beatitudinem. ibid.

Prop. II. Probabile est, statum Angelorum tam malorum quam bonorum tribus instantibus completum fuisse. 232

Cap. IV. De variis ordinibus Angelorum in prima origine sui. ibid.

Prop. Angeli fuerunt inæquales sibi invicem tam quoad naturæ, quam quoad gratiæ dona. 233

LIBER TERTIUS.

De statu Angelorum beatorum. 234

Cap. I. De beatitudine Angelorum sanctorum. 235

Prop. Angeli Sancti cælesti beatitudine perfruuntur. ibid.

Cap. II. De inæqualitate beatitudinis Angelorum. 236

Prop. Beatitudo Angelorum non est æqualis in omnibus. ibid.

Cap. III. De immutabilitate beatitudinis Angelorum, quatenus illa augeri non potest. 237

Prop. Essentialis beatitudo Angelorum augeri non potest, accidentalis vero potest. ibid.

Cap. IV. De æternitate beatitudinis Angelorum, quatenus ipsi peccando ab ea non possunt excidere. 238

Prop. Angeli, quum peccare non possint, excidere ne-

queunt ab eo statu beatitudinis, in quo sunt. 239
Cap. V. De variis ordininibus Angelorum beatorum. 241
Prop. I. Auctoritate comprobatum habemus, novem esse ordines Angelorum gradu, atque dignitate inter se distinctos. ibid.
Prop. II. Angeli secundum quasdam proprietates distinguuntur in tres hierarchias, quarum quælibet continet tres ordines. ibid.
Prop. III. Hierarchiæ, et ordines Angelorum distinguuntur secundum dona tam naturalia, quam gratuita collata Angelis, qui componunt easdem hierarchias, et ordines. 242

LIBER QUARTUS.

De cognitione Angelorum beatorum. 243

Cap. I. De objecto angelicæ cognitionis. ibid.
Prop. I. Angelus cognoscit seipsum naturæ viribus. ibid.
Prop. II. Unus Angelus cognoscit alterum Angelum. ibid.
Prop. III. Per suam naturam Angeli habere possunt aliquam cognitionem Dei, licet imperfectam. ibid.
Prop. IV. Angeli naturaliter cognoscunt res sensibiles, seu corpora, etiam singulariter. ibid.
Prop. V. Angeli naturæ viribus cognoscunt futura, quæ a causis necessariis proficiscuntur, quæ autem a contingentibus, et quidem plerumque proveniunt, cognoscunt per conjecturam, nullo autem modo quæ proveniunt a causis indifferentibus ad utrumlibet. 244
Prop. VI. Angeli naturaliter non cognoscunt cogitationes cordis nullo signo exteriori manifestatas. ibid.
Prop. VII. Angeli cognitione naturali non intelligunt mysteria gratiæ. ibid.
Cap. II. De medio Angelicæ cognitionis. 245
Prop. I. Angelus non intelligit omnia per suam substantiam. ibid.
Prop. II. Angeli non cognoscunt per species acceptas ab ipsis rebus, sed per species a Deo in creatione sui sibi inditas, atque connaturales. ibid.
Prop. III. Angeli non vident Deum per aliquam speciem creatam. ibid.
Cap. III. De dotibus cognitionis Angelorum. ibid.
Prop. I. Angelus semper actu videt et ipsum verbum, et quæ cognoscit in verbo: quæ autem naturaliter videt, non semper actu videt, licet semper habeat ea videndi potestatem. 246
Prop. II. Angelus plura, quæ una specie intelligibili re-

præsentantur, simul cognoscit, non vero quæ repræsentantur diversis speciebus. ibid.
Prop. III. In intellectione Angelorum nullus est locus ratiocinationi. ibid.
Prop. IV. Cognitio Angeli non potest esse falsa, neque in iis, quæ cognoscit naturaliter, neque in aliis, quæ objecto conveniunt supernaturaliter: in istis tamen cognitio dæmonis potest esse falsa. 247
Prop. V. Est in Angelis cognitio tum matutina, tum vespertina. ibid.

LIBER QUINTUS.

De missione Angelorum. ibid.

Cap. I. De exteriori ministerio Angelorum. 248
Prop. Nemo negare potest mitti Angelos a Deo ad munus exterius obeundum. ibid.
Cap. II. De ministerio, quod obeunt Angeli in beneficium hominum. ibid.
Prop. I. Angeli custodiam hominum sibi a Domino commissam habent. 249
Prop. II. Singulis hominibus deputati sunt singuli Angeli ad custodiam illorum. ibid.
Prop. III. Non soli prædestinati, sed etiam omnes alii habent Angelum custodem sui. 251

LIBER SEXTUS.

De Angelis malis. 253

Cap. I. De peccato Angelorum. ibid.
Prop. Superbia fuit primum peccatum Angelorum. ibid.
Cap. II. De conditione, et numero Angelorum, qui peccaverunt. 255
Prop. I. Valde probabile est, peccasse aliquos Angelos cujusvis ordinis. ibid.
Prop. II. Angeli prævaricatores fuerunt minori numero præ Angelis, qui in veritate steterunt. ibid.
Cap. III. De iis ærumnis, quibus Angeli mali propter peccatum evaserunt obnoxii. 256
§. I. De obcecatione intellectus malorum Angelorum. ibid.
Prop. Cognitio naturalis neque sublata, neque diminuta fuit in Angelis malis, supernaturalis autem speculativa fuit diminuta, practica vero prorsus sublata. ibid.
§. II. De obstinatione voluntatis malorum Angelorum. 257
Prop. I. Rectæ fidei adversatur, diabolum, et Angelos ejus

[illegible] quae [illegible] ab iis [illegible], quas patiuntur. 258
Prop. II. Causa [illegible] in Angelorum malorum in peccato [illegible] etiam debet ab illorum intrinseco principio, quo illi obstinato immobiliter adhaerent, cui semel cum plena deliberatione adhaeserunt. ibid.
§. III. De poena Angelorum malorum. 259
Prop. I. Certum est, saltem aliquos illorum Angelorum, qui ab aeterna felicitate propter suum peccatum exclusi fuerunt, hic in terris versari. 260
Prop. II. Ignis aeternus est poena peccati, quod Angeli commiserunt. 261
Prop. III. Probabilius est, et melius dicitur, ab eo tempore, quo Angeli mali ceciderunt a statu felicitatis, in quo creati erant, ad ignem aeternum eos fuisse damnatos. 262

LIBER SEPTIMUS.

De potestate dæmonum. 263

Cap. I. De potestate dæmonum universe, atque generatim. ibid.
Prop. I. Virtus naturalis dæmonis vel extraordinario motu rerum corporalium, vel applicatione extraordinaria causarum naturalium ad plura patranda prodigia sese extendit: quandoque tamen ipse solummodo illudendo sensibus nostris stupenda operatur. ibid.
Cap. II. De potestate dæmonum super homines. 265
§. I. De ea tentatione, qua diabolus inducere nos conatur ad peccandum. 266
Prop. I. Probabile esse non putamus, unum singulariter dæmonem operari in perditionem uniuscujusque singulariter hominis, sicuti unus singulariter Angelus in uniuscujusque salutem operatur. ibid.
Prop. II. Dæmones tentant homines, ut eos ad peccatum inducant. ibid.
Prop. III. Diabolus non potest inducere in nobis necessitatem ad peccandum. 267
Prop. IV. Interius instigante dæmone, homines ad peccatum quandoque inducuntur. 268
Prop. V. Non omnia peccata proficiscuntur a tentatione diaboli. ibid.
§. II. De potestate diaboli supra corpora hominum. 269
Prop. I. [illegible], quæ revera existunt, ex novo Testamento evidentissime compertum habemus. 270
Prop. II. Falso contenditur, ad naturalem causam referri oportere infirmitates illorum, quos a dæmonibus liberatos fuisse in evangelica historia legimus. 271

DISPUTATIO VIII.

De primo homine.

LIBER PRIMUS.

274

De primo homine, quatenus factus fuit ad imaginem, et similitudinem Dei, et spiraculum vitæ in eo inspiratum fuit. ibid.

Cap. I. De ea imagine, et similitudine, secundum quam primus homo factus fuisse legitur. ibid.
Prop. Homo secundum animam dicitur factus ad imaginem, atque similitudinem Dei. 275
Cap. II. De spiraculo vitæ, quod Deum in Adamum inspirasse, legimus. 276
Prop. I. Anima Adami creata fuit a Deo. 277
Prop. II. Anima non est portio substantiæ divinæ. ibid.
Prop. III. Animæ neque ante corpora extiterunt, neque in ea, uti in quemdam carcerem in pœnam admissi sceleris detrusæ fuere. 278
Prop. IV. Animæ non propagantur ex traduce, sed creatæ a Deo corporibus infunduntur. 280

LIBER SECUNDUS.

De primo homine, habita ratione singularium donorum, quæ ipse recepit a Deo. 286

Cap. I. De Justitia originali Adami. ibid.
Prop. I. Justitia originalis fuit in Adamo. ibid.
Prop. II. Justitia originalis Adami fuit donum supernaturale. 287
Prop. III. Justitia originalis haberi non debet uti donum, vel sicuti plurima dona distincta, et separata a sanctificante gratia, quum hæc sit radix illius. 288
Cap. II. De scientia Adami. 290
Prop. I. Adam habuit scientiam eorum omnium, quæ et naturaliter cognosci possunt, et illius statui conveniebant.
Prop. II. Adam supernaturalium rerum eam scientiam habuit, quæ secundum illum statum requirebatur ad spirituale regimen sui atque aliorum. 291
Cap. III. De dominio, quod habuit Adam super alia. 292
Prop. I. Adam in statu innocentiæ super animalia habuit perfectum dominium. ibid.
Prop. II. In statu innocentiæ fuisset inter homines aliqua

species dominii liberi, atque civilis in utilitatem tam communem, quam singulorum. 293
Cap. IV. De immortalitate Adami. ibid.
Prop. I. Adam a Deo conditus fuit immortalis, ita ut, si non peccasset, numquam fuisset moriturus. 294
Prop. II. Corpus Adami in se quidem spectatum fuit mortale, illi tamen non defuit, unde a mortalitate præserveraretur. 298

LIBER TERTIUS.

De conditione prolis generandæ in statu innocentiæ. 299

Cap. I. De generatione, quæ futura fuisset in statu innocentiæ. 300
Prop. In statu innocentiæ futura fuisset generatio per conjunctionem maris, et feminæ. ibid.
Cap. II. De conditione prolis generandæ in statu innocentiæ, habita ratione corporis. 301
Prop. Filii in statu innocentiæ nati fuissent in ætate puerili, eaque tantum potuissent, quæ hujusmodi ætati conveniunt. ibid.
Cap. III. De Justitia propria illorum, qui in statu innocentiæ geniti fuissent. ibid.
Prop. Omnes geniti in statu innocentiæ justitiam originalem habuissent. ibid.
Cap. IV. De usu rationis, atque scientia, quibus geniti in statu innocentiæ præditi fuissent. 303
Prop. I. Fueri in statu innocentiæ non habuissent usum perfectum rationis, sicut, crescente ætate, fuissent habituri. ibid.
Prop. II. Pueri in statu innocentiæ nascituri non erant in scientia perfecti, sed eam successu temporis erant faciliter acquisituri. 304

LIBER QUARTUS.

De natura pura. 305

Cap. I. De notione status naturæ puræ, deque illis, quæ eidem convenire, vel non convenire deberent. ibid.
Prop. I. Concupiscentia effrænis, qualis nunc est in nobis, in statu naturæ puræ non debet admitti. 307
Prop. II. Proclivitas ad peccandum in natura pura non fuisset eadem, ac nunc est in natura corrupta: tamen ad non peccandum facilitas non fuisset eadem, ac fuit in natura innocente. 308
Prop. III. Homo in statu naturæ puræ perfectius, quam in natura corrupta, noscoret præcepta legis naturæ, ipsumque

Deum uti ultimum naturalem finem rerum omnium. 309
Prop. IV. Præter supernaturalem dilectionem Dei, uti auctoris supernaturalis, est etiam admittenda naturalis dilectio Dei, uti auctoris naturalis, quæ sane dilectio Dei super omnia esse debuisset in hominibus in statu naturæ puræ. 310
Prop. V. Homo in statu naturæ puræ cum solo generali concursu Dei proportionato huic statui per aliquod breve tempus, uti auctorem naturæ, super omnia diligere potuisset, et implere cuncta præcepta legis naturæ. 312
Prop. VI. Homo in statu naturæ puræ cum eodem generali concursu Dei totam legem diu, et multo minus usque ad finem vitæ servare non potuisset; tamen potuisset utrumque adjutus extraordinariis auxiliis Dei in sui substantia naturalibus. ibid.
Prop. VII. Divinæ providentiæ, atque bonitati omnino consentaneum est putare, futurum fuisse, ut Deus in statu naturæ puræ ea auxilia ordinis naturalis hominibus conferret, quibus ipsi possent et servare totam legem, et usque ad finem vitæ in ea servanda persistere. 313
Prop. VIII. Non repugnat, in altera vita gravisuros fuisse naturali beatitudine illos, qui conditi in statu naturæ puræ, adjuti auxiliis ordinis naturalis, usque ad finem vitæ servassent omnia præcepta legis naturæ. ibid.
Cap. II. De potentia, providentia, sapientia, bonitate, et justitia Dei habita ratione naturæ puræ. 315
Prop. I. Quod est *conveniens* respectu unius attributi, debet esse conveniens etiam respectu aliorum attributorum, et quod est *minus conveniens* respectu aliquorum attributorum, debet esse minus conveniens etiam respectu unius, vel alterius attributi. 318
Prop. II. Si attendatur ad ea, quæ ex possibilitate naturæ puræ consequi contendunt adversarii nostri, constat ex iisdem contra eos, statum naturæ puræ esse impossibilem etiam absolute in se, et ratione omnipotentiæ divinæ. 319
Cap. III. De possibilitate naturæ puræ. 321
Prop. I. Possibilem esse statum naturæ puræ sensit S. Augustinus. ibid.
Prop. II. Statum naturæ puræ possibilem esse, Angelicus docuit. 329
Prop. III. Nostra de possibilitate naturæ puræ sententia est quam maxime conformis Ecclesiæ definitionibus. 332

LAUS DEO.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Franciscus Xaverius Passeri Archiepiscopus Lariss. Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Pani Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

2247
230
C 26
Cerboni, T
2247
AUTHOR
Institutiones Theologicae
TITLE